PRÆLECTIONES

Theologicæ -- Dogmaticæ -- Polemicæ -- Scholasticæ habitæ in celeberrima PATAVINA ACADEMIA

A P. M. F. JACOBO HYACINTHO

SERRY

ORD. PRÆD. DOCTORE SORBONICO

AC

PRIMARIO IBIDEM SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORE.

Quas in unum collectas, atque in ordine collocatas

ILLUSTRISSIMIS, ATQUE EXCELLENTISSIMIS VIRIS

JOANNI, ET PETRO

BASADONÆ

FRATRIBUS

VENETIS SENATORIBUS AMPLISSIMIS

D. D. D.

CAMILLUS MANETTI UTINENSIS J. U. D.

OPUS POSTHUMUM

Volumen Quartum.

De Conciliis : De Sacramentis in genere ; De Baptismo.

Accedit Opusculum ab Authore jampridem editum ; videlicet

VINDICIÆ VINDICIARUM

Ambrosii Catharini , seu de necessaria in perficiendis Sacramentis intentione

THEOLOGICA DISSERTATIO;

Contra Domesticum impugnatorem vindicata, defensa, confirmata magnaque rerum accessione novissimè acuta & illustrata.

VENETIIS,

APUD THOMAM BETTINELLI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC SENATUS PRIVILEGIO.

MDCCXLII.

DISPUTATIO PRIMA

De Conciliis.

PRÆLECTIO PRIMA.

AD quem Conciliorum Generalium convocatio spectet, quæritur.

II.

Qui sint ad Concilia præsertim Oecumenica vocandi cum jure suffragii?

III.

Quinam præesse Conciliis generalibus debeant, proponitur, demonstratur.

IV.

Suprema Conciliorum auctoritas eorumque indeficientia in judicandis Fidei Controversiis probatur atque defenditur.

V.

Satisfit momentis Lutheranorum & Calvinistarum, quibus Concilii Tridentini robur & auctoritatem oppugnant.

VI.

Sint ne Concilia Generalia aliquando Ecclesiæ necessaria, quæritur. Quando nam, & quibus in casibus, Conciliorum necessitas urgeat, demonstratur.

DISPUTATIO SECUNDA

De Romano Pontifice.

PRÆLECTIO PRIMA.

DIS-

DISPUTATIO TERTIA

De Romani Pontificis.

Super Concilia Generalia præstantia auctoritatis, potestatis, atque jurisdictionis.

PRÆLECTIO PRIMA.

P*ræstare Romanos Pontifices Conciliis generalibus auctoritate, potestate, & jurisdictione, multis ostenditur.*

II.

Pontificum supra Concilia potestas, veterum auctoritate confirmatur.

III.

Adversariorum momenta diluuntur.

IV.

Diluuntur momenta, quæ ad oppugnandam Pontificis supra Concilium eminentiam nedum ex Appellationibus, seu provocationibus ad Concilium Oecumenicum *factis desumuntur; sed etiam ex nonnullorum Conciliorum exemplis, quæ vel in ipsos R. Pontifices judicium exercuisse, vel illorum judicia recognovisse, ac retractasse demonstrant.*

V.

Ducta a ratione momenta reliqua adversus Pontificum potestatem auctoritatem, & jurisdictionem supra Concilia, resolvuntur.

VI.

Num Romani Pontifices & Concilia Oecumenica infallibilitatis privilegio gaudeant, ubi de factis doctrinalibus judicium ferant; de quibus nihil sacris in Litteris, nihil in divinis Traditionibus revelatum sit, disputatur.

VII.

Hæc eadem sententia multis exemplis confirmatur.

VIII,

Contrariis Argumentis occurritur.

DE SACRAMENTIS

PRÆLUDIUM.

Probatur studium rei Sacramentariæ cæteris aliis studiis esse anteferendum.

PRÆLECTIO PRIMA.

Quid intelligendum sit nomine Sacramenti, proponitur, explicatur.

II.

Quot & quales sint partes essentiales Sacramentorum.

III.

Cujus generis sint verba consecratoria, demonstratur; & insana Protestantium commenta refelluntur.

IV.

Calvinianorum momenta tum ex sacris Litteris, tum ex PP. delibata, conveluntur.

V.

Num res & verba in Sacramentorum administratione usurpanda, ita sint a Christo determinata, ut nihil illis addere, nihil minuere ac mutare liceat.

VI.

Multa atque graviora, quæ in sui confirmationem erroris Lutherus obtrudit, confutantur.

VII.

Baptisma quid sit exponitur; Aquam veram ac naturalem necessariam solamque baptismatis materiam esse, demonstratur.

VIII.

Baptismatis forma ex Doctrina Patrum, & Canonum explicatur, eademque adversus quorumdam tum veterum, tum recentium Theologorum aberrationes vindicatur.

IX.

Eadem forma Baptismatis adversus omnis ætatis Hæreticos, propugnatur.

X.

Theologorum quorundam momenta convelluntur, qui Baptisma in unius duntaxat Divinæ Personæ nomine collatum, ratum ac validum esse contendunt.

XI.

Prisca Patrum Orientalium de Ministro Baptismi Controversia refertur.

XII.

XII.

Hæreticos Sacramentum Baptiſmatis validè poſſe miniſtrare ; nec Infidelitatem miniſtri valori Baptiſmatis officere, probatur atque defenditur.

XIII.

Adverſariorum momenta refelluntur.

XIV.

Num Stephanus I. R. P. Africanos Epiſcopos, & Aſiaticos excommunicatione re ipſa petierit, ob errorem de rebaptizandis Hæreticis, quæritur?

XV.

Stephanum R. P. in rebaptizantium errore profligando, nec erraſſe, nec juris, & æqui metas prætergreſſum fuiſſe, contra Blondelum Calvinianæ ſectæ Profeſſorem, nonnulloſque Romanæ communionis Theologos, demonſtratur. Et quo tempore Præſules Orientales errorem de rebaptizandis Hæreticis, retractarint oſtenditur.

XVI.

Quodnam fuerit Plenarium illud Concilium, cujus auctoritatem Donatiſtis rebaptizantibus toties Auguſtinus oppoſuit, quæritur, explicatur.

XVII.

Eccleſiam omnes ac ſingulos etiam de populo, mares ac fœminas, Hæreticos, Judæos & Ethnicos ſufficientes baptiſmati conferendo Miniſtros agnoſcere, ubi extrema neceſſitas urget, probatur atque defenditur.

XVIII.

Parvulos etiam recentes ab utero, ſuſcipiendo baptiſmati idoneos eſſe, adverſus Anabaptiſtas propugnatur; eorumdemque momentis occurritur.

XIX.

Baptiſma puerorum, in matrum uteris omnino & ex integro incluſorum, impoſſibile, illicitum, & contrarium Eccleſiæ, probatur atque evincitur.

XX.

Quænam & qualis Baptiſmi neceſſitas ſit, præcepti ne duntaxat, an etiam medii, proponitur, explicatur.

XXI.

Cardinalis Cajetani commentum de puerorum, ſeu in matris utero, ſeu extra Uterum de vita periclitantium, Baptiſmo, refertur, & confutatur.

XXII.

Baptiſmi defectum deſiderio, votoque ſuppleri, ubi non adeſt ſuſcipiendi opportunitas.

XXIII.

XXIII.

Quid specialiter suppleat desiderium, demonstratur.

XXIV.

Quando nam facta sit Baptismatis institutio quæritur.

XXV.

Quando primum cœperit Baptismus obligare, & quando circumcisio cum cæteris legalibus ritibus obligare desierit.

XXVI.

De effectibus Baptismatis differitur.

XXVII.

Susceptores seu Patrinos in Baptismo quo distinctè tempore, & quot adhibere consuevit Ecclesia; quave de caussa variæ personæ ab eo officio obeundo per sacros Canones arceantur.

XXVIII.

Rationes, quæ Ecclesiam induxerunt ad Baptismum certis cæremoniis conferendum, exponuntur.

VIN-

VINDICIÆ VINDICIARUM

AMBROSII CATHARINI

Seu de Neceſſaria in perficiendis Sacramentis intentione

THEOLOGICA DISSERTATIO

Contra domeſticum impugnatorem vindicata, defenſa, confirmata, magnaque rerum acceſſione noviſſimè auĉta & illuſtrata.

CAPUT PRIMUM.

P*Roteſtantium error de Miniſtrorum intentione refertur: Eccleſiæ Catholicæ fides proponitur.*

II.

Eccleſiæ Catholicæ fides de Miniſtrorum intentione probatur atque defenditur.

III.

Proteſtantium momenta ex hiſtoriis Eccleſiaſticis petita diluuntur.

IV.

Aliis Heterodoxorum momentis occurritur.

V.

Ambroſii Catharini ſyſtema, de externa ut ajunt intentione proponitur.

VI.

Catharini ſententia Concilii Tridentini auĉtoritate firmatur: Eccleſiæ legibus, moribus, & uſibus ſtabilitur; latis olim ac nuper judiciis comprobatur.

VII.

VII.

Hæc eadem sententia Doctoris Angelici suffragio, Romanorumque Pontificum judiciis confirmatur.

VIII.

Divus Augustinus Catharini sententiæ præformator atque assertor ostenditur.

IX.

Idem Catharini Systema rationibus Theologicis confirmatur.

X.

Satisfit Objectis in contrarium fieri solitis; ac primùm quidem ex Concilii Tridentini auctoritate petitis.

XI.

Petita ex D. Augustino & D. Thoma recentium Theologorum momenta refelluntur.

XII.

Objecta ex Romanæ Inquisitionis Decreto difficultas eliditur, expeditur.

XIII.

Momentum a prisca Patrum Orientalium historia petitum eliditur, exsufflatur.

XIV.


Ducta a ratione adversus Catharini Systema momenta reliqua diluuntur.

XV.

XXIII.

Possintne filii Infidelium baptizari ipsorum parentibus consentientibus, imò & postulantibus, si postulent illi alio fine, quam ut Christiani Baptismate fiant, sed ut morbo curentur.

DE



DE CONCILIIS.

DISPUTATIO PRIMA.

PRÆLECTIO I.

Ad quem Conciliorum Generalium convocatio spectet, quæritur.

REdimus e longo diverticulo, in quod nos, suscepta dudum de Ecclesiæ Catholicæ Notis, Tractatio deduxerat. In pristinam itaque viam reversi de altera fidei Regula viventi, ut ajunt, atque spiranti disputabimus: De Concilio scilicet, cujus potissimum munus est, obortas fidei Controversias definire atque decidere.

Qua de re, ut debita methodo dicamus, illud omnium primò studiosam Juventutem monere juvat: Concilij nomine nihil aliud

intelligi, nisi congregationem seu conventum Ecclesiæ Prælatorum sub uno legitimo Capite, ad controversias fidei dirimendas, legesque condendas, componendis fidelium moribus opportunas.

Quoniam verò quadruplicis generis congregationes seu conventus Prælatorum fieri possunt, ita quadruplicis generis Concilia distinguntur: Alia quippe sunt Oecumenica, seu generalia, alia Nationalia, alia Provincialia, alia Diæcesana.

De Generalibus Conciliis nobis nunc est potissima disputatio: de quibus quinque duntaxat investigabimus. 1. ad quem Conciliorum Generalium convocatio spectet? 2. Quinam ad ea sint advocandi. 3. Cujus sit iisdem Conciliis præsidere? 4. Quamnam in Ecclesia auctoritatem obtineant? 5. sint ne Ecclesiæ necessaria?

In primo, quod modò suscipimus capite eventilando, cum nostræ hujus ætatis heterodoxis res nobis est. Contendunt enim hi, generalium Conciliorum advocationem ad Imperatores pertinere. Quod ut asserant, nituntur maximè octo priorum Conciliorum Generalium exemplo, quæ ab ipsis Imperatoribus convocata fuisse contendunt: Nempe Nicænum I. a Constantino Magno; Constantinopolitanum I. a Theodosio Seniore; Ephesinum a Theodosio Juniore; Calcedonense a Marciano; Constantinopolitanum II. a Justiniano; Constantinopolitanum III. a Constantino Pogonato; Nicænum II. ab altero Constantino & Irene; Constantinopolitanum IV. a Basilio.

Quare ut istorum tricas atque cavillationes refellamus; hoc primum omnium dicemus; quod tametsi ultrò Calvinianis concederemus, octo priora Concilia Generalia ab Imperatoribus fuisse convocata; ea tamen prioris ætatis exempla Romanorum Pontificum juri nequaquam obessent ex juris regula generali.

Quemadmodum enim facto jus non acquiritur, ita contrario facto jus non amittitur: maximè si quæ fortè peculiares rationes intercessere, quæ factum contrarium, necessarium quodammodo fecerint.

Porro a quarto Ecclesiæ sæculo, quo Concilium primum Oecumenicum habitum est, ad octavum usque, quo Concilium octavum celebratum fuit, variæ peculiares rationes fuere, quæ Conciliorum generalium convocationem ab Imperatoribus fieri postulabant. 1. quòd per antiquas Imperatorum leges, publici cætus fieri non possent absque Imperatorum licentia. 2. Quòd tota fermè Ecclesia intra unius Imperatoris ditionem contineretur. 3. Quòd Romani Pontifices nondum opibus aucti, Conciliorum celebrandorum expensas

pensas conferre non possent; nec possent Episcopi ære minuti, nisi alienis præsidiis itinera longa suscipere. 4. Quod Ecclesia nondum tunc viribus aucta, hæreses tunc grassantes frenare, & cohibere non posset absque præsidio Imperatorum. Idcirco convocarunt titulo protectionis, ita postulante temporum conditione.

Accedit ad hæc: Non posse Romanorum Pontificum juri in convocandis Conciliis generalibus derogare contraria illa priorum Conciliorum exempla, si liqueat aliunde, Imperatores ea duntaxat Concilia convocasse, rogantibus, optantibus, consulentibus Romanis Pontificibus: Sic enim Concilia convocasse censendi sunt Imperatores, non propria, sed delegata Pontificum auctoritate.

De Nicæna id apertissimis verbis asserit Ruffinus *lib.* 1. *Hist. Eccles. cap.* 1. ubi scribit eam ab Imperatore *ex sententia Sacerdotum* convocatam suisse.

Patres Concilii Constantinopolitani I. in Epistola Damaso & cæteris Episcopis scripta: *Constantinopolim*, inquiunt, *convenerامus*, *mandato litterarum superiore anno a vestra reverentia post concilium Aquilejense ad Dei amantissimum Imperatorem Theodosium missarum*. Et paulò ante, ubi sermo fit de alia synodo, quam Romæ convocaverat Damasus sub idem fermè tempus: *Concilio voluntate ac nutu Dei Romæ coacto*, *nos velut membra propria per Deo amantissimi Imperatoris litteras accersivistis*. Ex quibus verbis liquet, esse à Damaso Pontifice per Imperatoris litteras evocatos, Patres illos declarare.

Liquet hoc etiam ex Synodo VI. Oecumenica *Act.* 18. *in Serm. prosphonetico: Arius divisor atque partitor Trinitatis insurgebat: & continuò Constantinus semper Augustus, & Silvester laudabilis, magnum atque insignem in Nicæa Synodum congregabant*.

De reliquo verò, id juris convocandorum scilicet Conciliorum generalium, ad Romanos Pontifices pertinere, ipsi quoque Imperatores agnovere. In Capitularibus enim Imperatorum *lib.* 6. *cap.* 287. Ita legitur *Auctoritas Ecclesiastica atque Canonica docet*, *non debere*, *absque sententia Romani Pontificis*, *Concilia celebrari*.

Evincit hoc idem priorum Conciliorum exemplum, quæ scilicet ab Ecclesiæ incunabulis celebrata sunt, ante Concilium Nicænum I. *Actuum Apostolicorum cap.* 6. ubi de Diaconis eligendis, sic legitur: *Convocantes autem duodecim multitudinem discipulorum*. *Cap.* 15. ubi de dirimenda legalium controversia; ita habetur: *Convenerunt Apostoli & seniores videre de verbo hoc*. Nunquid ad Tiberium Cæsarem confugere?

Quod evincit etiam exemplum Conciliorum Generalium in Ecclesia Latina post octavum Ecclesiæ sæculum celebratorum, ex quibus constat, convocationem Generalium Conciliorum semper ad Summos Romanos Pontifices pertinuisse.

Ecur ergo, inquies, si id juris ad summos Pontifices pertinet, pro legitimis habentur priora Concilia, quæ Imperatorum auctoritate fuere convocata?

Responsio in promptu est. Ideo priora illa celebrata concilia pro legitimis semper habita sunt: 1. Quia, ut in antecessum ostendi, ex R. R. Pontificum nutu & voluntate fuere convocata. 2. Quia Pontificum Romanorum, totiusque Ecclesiæ consensu fuerunt acceptata. 3. Tandem, quia ad ipsa Legatos suos misere Romani Pontifices.

Non omiserim tamen ad uberiorem agitatæ hujusce controversiæ pertractationem, observare, nonnullos dari casus, in quibus R.R. Pontifices ab ea regula generali convocandi generalia Concilia excipiendi sunt.

Primò. Casus est Schismatis dubiorum Pontificum: dum neuter eorum in possessione reperitur; aut dum ille, qui in possessione est, generalem Synodum convocare detrectat. Tunc temporis jus convocandi Concilium pertinet ad Collegium Cardinalium.

Secundò. Si in hæresim Ecclesiæ notam Pontifex incideret.

Tertiò. Si in patentissima necessitate obstinatè Pontifex nollet Concilium indicere.

Si tamen inter Cardinales ipsos schisma ortum esset, proindeque generalem Synodum convocare & ipsi nollent; Tunc Regnorum Catholicorum Primates, habita prius inter sese consultatione, subjectos sibi Episcopos in Concilium cogere possent.

Nova tamen hìc oritur difficultas, quæ ut aliquos Theologos Catholicos Episcopalis auctoritatis depressores, & Pontificiæ dignitatis adulatores malè torquet, ita a nobis resolvi postulat; nimirum, qui sint ad Concilia præsertim Oecumenica vocandi cum jure suffragij. De qua prolixiùs disputare non est loci hujus & instituti; sed in sequentibus.

PRÆ-

PRÆLECTIO II.

Qui sint ad Concilia præsertim Oecumenica vocandi cum jure suffragii?

De vocandis ad Concilia Oecumenica cum jure & prærogativa suffragii, dum disputo, utraque manu, Aodis in morem, pugnandum est mihi. Dextera quidem adversus nonnullos Ecclesiæ Romanæ Professores, sinistra verò contra plerosque Lutheranæ & Calvinianæ Sectæ Ministros. Quamquam enim in id consentiant Catholici omnes, Episcopos suffragii jure potiri in Conciliis Oecumenicis, ubi de fide sancienda quæstio vertitur; non desunt tamen in Catholicis etiam Scholis, Episcopalis auctoritatis depressores, & Pontificiæ dignitatis projecti adulatores, qui Episcopos suffragio duntaxat consultivo potiri velint, solos verò Romanos Pontifices re ipsa in Conciliis pronunciare ac definire contendant. Sunt ex adverso in Protestantium grege non pauci, qui Laicos etiam, modò sint eruditionis atque doctrinæ laude conspicui, tanquam controversiarum Judices admitti velint in Concicilius Oecumenicis: quin etiam ita fieri postularunt in Concilio Tridentino, ad quod suos quoque Ministros, viros utique Laicos, admitti petiere, qui suffragii jure potirentur.

Nos ab utroque extremo quam longissimè absumus. Et Episcopos quidem suffragio, ut ajunt, decisivo ac definitivo in Conciliis potiri, verosque doctrinæ judices illic sedere contendimus: Laicos verò nihil illic juris habere, quantalibet eruditionis ac doctrinæ laude conspicui sint.

Probat id ratio non una sed multiplex. Itaque Episcopi constituti sunt Ecclesiæ ductores atque Pastores *Act.* 20. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.*

2. Episcopi, utpote Apostolorum successores, Jurisdictionem immediatam a Deo habent in Ecclesia, auctoritatemque pascendi atque docendi vi sacræ illorum ordinationis: sunt Vicarii Christi, missi, non a Pontifice: uti planè Apostoli non sunt a Petro missi, sed a Christo: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, Joann. cap.* 20.

3. Claves Ecclesiæ, quæ judicandi potestatem auctoritatemque præseferunt, sic sunt Petro Apostolo datæ, ac per ipsum Romano Pontifici, ut tamen toti ordini Apostolico, ac per ipsum toti ordini

dini Episcopali perinde sint datæ. Ita *S. August. Serm.* 295. *de diversis: Has enim claves non homo unus, sed unitas accepit Ecclesia. Hinc ergo Petri excellentia prædicatur, quia ipsius universitatis, & unitatis Ecclesiæ figuram gessit*. Quod idem hac maximè ratione probat Augustinus: quia quod primum soli dixerat Petro *tibi Dabo claves Regni Cælorum ....* postmodum iisdem omnino verbis universis Apostolis dixit, *Matth. cap.* 18. *v.* 18. *quæcunque alligaveritis super terram erunt ligata & in Cœlo*. Clavium igitur potestatem judiciariam habent in Conciliis Episcopi cum Romano Pontifice, uti eam recepere cum Petro omnes Apostoli.

Non idcirco tamen Episcopos Romano Pontifici, seu in judicando, seu in regendo pares volo: Absit: sed Pontifici prærogativam judicii dono, jure primatus non solum judicium. Universalitatem regiminis concedo Pontifici, Episcopis portionem, nimirum intra certum aliquem locum: sic tamen ut portionem illam eo in loco exerceat jure Divino. Quare dum Romanus Pontifex, aliquem talis Diœcesis renunciat Episcopum, limites quidem definit, intra quos exerceat auctoritatem; quam tamen illic auctoritatem exercet, a Deo ipso habet, non a Romano Pontifice.

Probatur rursus principale institutum ex antiquis subscriptionum formulis; Undè Episcopos benè multos observamus, veterum Conciliorum Oecumenicorum Actis subscribentes in hunc modum, *Ego N. N. Episcopus judicans subscripsi . . . . . . Ego N. N. Episcopus definiens subscripsi*. Adeo scilicet omni retro ætate judicandi definiendique potestatem tenuerunt Episcopi.

Hanc in Episcopis auctoritatem uti ab ipsomet Deo datam, Pontifices ipsi, & Patres Ecclesiæ priorum sæculorum agnoverunt, probaruntque.

Gelasius *II.* in *Epist. ad Gallos* de quadam caussa ibidem indicacata, hæc habet: *Libenter acquiescimus . . . . fratrum nostrorum judicio, quia a Deo sunt judices constituti in Ecclesia*.

Gregorius Magnus *lib.* 9. *Registri Epist.* 49. monens Archiepiscopum Arelatensem, ut suæ Provinciæ Episcopos advocet, ad Simoniacam hæresim extirpandam, ait: *ut melius ab omnibus caveatur, quod, auctore Deo, omnium fuerit constitutione damnatum*.

Bonifacius II. *Epist.* 2. *ad Cæsarium Arelatensem* confirmans ea, quæ in Synodo Arausicana fuerant definita: *quod etiam*, inquit, *fraternitatem tuam habita collatione cum quibusdam Sacerdotibus Galliarum, juxta fidem gaudemus sensisse catholicam*.

His accinit D. Bernardus *Epist.* 189. *data ad Innocentium II. Episcoporum, quorum esset ministerii de Dogmatibus judicare*. Quod ait ille de Concilio Senonensi, in quo Petri Abaelardi errores proscripti fuerant.

S. Leo

S. Leo *Epist.* 89. *Episcopis Provinciæ Vienensis:* Episcopalem *dignitatem vobis divinitùs datam.*

Zacharias *in Concilio Romano*. Episcopi *speculatores animarum a Deo constituti.*

Esse Episcopos Dei & Christi Vicarios, non Romani Pontificis, liquet etiam ex nonnullis aliis Pontificum testimoniis.

Hormisdas enim *Epist.* 25. *ad Episcopos Hispanienses:* Episcopos Christi Vicarios Sacerdotes disertè vocat.

S.Gregorius Magnus *homil.* 26. *de Apostolis*, Apostoli *vice Dei* principatum tenent. *Horum profectò nunc in Ecclesia Episcopi locum tenent.*

Gregorius VII. *Epist.* 22. Rebelles Carthaginenses hortatur ut suo obediant Episcopo *: Christi vicem super vos habenti ex debito obedite.*

Jam quod alterum asserti nostri Caput attinet, nullum scilicet Laicum, quantumlibet eruditum, suffragii jus habere, ex sacris Ecclesiæ Conciliis ubi de sancienda fide agitur, demonstratur.

Ac primò quidem. In Concilio ab ipsis Apostolis habito, quod omnium Conciliorum norma dicendum est, *Act.* 15. *Surrexerunt autem quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderunt, dicentes: Quia oportet circumcidi eos, præcipere . . . . Conveneruntque Apostoli, & Seniores videre de verbo hoc.* Quinam illi seniores? non utique Laici, sed Discipuli ex numero 70. qui & Episcopi ab Apostolis fuerant consecrati. Cui addiderim ego. *Seniorem* idem sonare ac *Presbyterum*. Undè Joannes ipse in Epistolis *senioris* titulum sibi sumit.

Liquet secundò ex usu veterum Conciliorum etiam ubi præsentes aderant Imperatores, illorumve Oratores. Theodosius junior *in Epist. ad Synodum Ephesinam* hæc habet: *Illicitum est, eum qui non sit in ordine Sanctissimorum Episcoporum Ecclesiasticis immisceri tractatibus.*

His omnibus suffragatur etiam ratio longè gravissima. Jus definiendi a Jurisdictione oritur, estque ex titulo & dignitate Pastoris atque Doctoris, quæ ad gratiam ministrationis omnino pertinet. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, aliòs vero Evangelistas, alios autem pastores, & Doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii; in ædificationem corporis Christi.* ita ad *Ephes.* 4. Cum Laici igitur nec Jurisdictionem, nec Pastoris dignitatem habeant; ecquis non videt, suffragii jus non habere?

Quare futile est, quod opponunt, Laicos plerumque esse doctiores Episcopis; proindeque in Sacris Ecclesiæ Conciliis, ubi de sancienda fide agitur, jus suffragii habere dicendum ne dum utile, sed

sed necessarium esse. Aliud etenim est judicium merè doctrinale, quod pendet ab eruditione atque doctrina: aliud est judicium decisivum, quod pendet ab auctoritate & Jurisdictione. Cum igitur Laici habere nequeant judicium illud decisivum pendens ab auctoritate & jurisdictione, cum auctoritatem & jurisdictionem non habeant, sequitur concludendum neque in Ecclesiæ Conciliis jus suffragii habere posse.

Futile est etiam quod ajunt, caussas fidei ad Fideles omnes pertinere, undè & Laici, qui fideles sunt, in generalibus Ecclesiæ Conciliis, ubi de fidei sanctione agitur, jus suffragii habere posse.

Audacter nimis & inconsultè. Si enim hæc ratio valeret, sequeretur, Judices fidei esse posse Actores, tabernarios, & Caprimulgos mulieresque de Trivio: cum & ipsi fideles sint. Subjungo tamen ego ad solutionis cumulum, caussas fidei ad fideles omnes æquo titulo minimè pertinere. Ad alios quidem pertinent ut discipulos; ad alios ut defensores ac vindices; ad alios ut Judices atque Pastores. Cumque fidei caussæ ad fideles solum ut discipulos pertineant, consequens est, eas fidei caussas de quibus sanciendis agitur in sacris Ecclesiæ Conciliis, ad Episcopos tantùm uti defensores ac vindices, uti Judices ac Pastores pertinere.

Corolarii loco notandum est, in Conciliis Abbates & Generales Ordinum Judicium ferre, non jure Divino sed Ecclesiastico; nemque lege lata, & ad praxim adhibita in Conciliis Generalibus, Basileensi, Florentino, Lateranensi sub Leone X. & Tridentino. Nihilosecius ante ea tempora, ad ferenda suffragia admissi sunt aliquando in Conciliis Oecumenicis. In Concilio Nicæno II. *Actione* 4. subscriptos legimus, una cum Episcopis, *Archimandritas*, id est Abbates, & Regulares Prælatos. In libro quoque Pontificali statuitur, ut qui ab Episcopis benedicentur Abbates, sese jurejurando adstringant accedendi ad Concilium, quotiescumque a Papa vocabuntur.

Presbyteri aliquando, ac etiam Diaconi sapientia & eruditione præstantes, ad suffragia consultiva admissi sunt in Conciliis, utque hæreticos confutarent. Sic Origenes in Concilio Arabico, Malchio in Antiocheno, Athanasius in Nicæno.

Sequitur nunc altera examinanda Controversia: quinam scilicet Conciliis generalibus præesse debeant, quæ uti novam materiam præbet, ita distincta ac peculiari Exercitatione pertractabitur.

PRÆ-

PRÆLECTIO III.

Quinam præesse Conciliis generalibus debeant, proponitur, demonstratur.

Quæ solet, de jure præsidis in Conciliis Oecumenicis, quæstio tractari, non tàm ex antiquæ historiæ notitia pendet, quàm ex recta vocis hujus ac tituli intelligentia: quid scilicet præsidis nomine veniat intelligendum. Aut enim Concilii Præsidem accipimus eum, qui sacrum Episcoporum cœtum dirigit, regit, moderatur in condendis Canonibus legibusque sanciendis cum prærogativa suffragii: hunceque Romanum Pontificem dicimus; seu præsit ille per sese, seu etiam per Legatos: aut præsidem intelligimus eum, qui pro concilianda inter Præsules pace, firmando ordine, sedando tumultu, tuenda libertate, procuranda decretorum executione, potissimam impendit operam: huncque Imperatorem utpote Ecclesiæ Catholicæ protectorem ac defensorem ultrò citròque profitemur. Quæ duo si Lutherani & Calvinistæ paulò distinctiùs observassent, tantas contra Concilium Tridentinum turbas non excitassent.

Quid enim è recta ratione magis esse potest, quàm membris præesse caput? quid ex prisco Ecclesiæ usu tam certum indubitatumque, quam Romanum Pontificem, aut per sese, si vellet, aut per Legatos si mallet, Oecumenicis Conciliis præfuisse semper, ut ea dirigeret, moderaretur ac regeret cum prærogativa suffragii, honoris & dignitatis? adeo ut Concilium Ephesinum II. eo maximè titulo è Conciliorum ordine sit expunctum, habitumque veluti latrocinium, quòd submissos a Summo Pontifice Legatos excipere detrectasset; eamque Præsidis dignitatem sibi arrogasset Dioscorus Patriarcha Alexandrinus.

Unicum tota retro antiquitate legitimum Concilium Oecumenicum fuit, cui nec per sese, nec per Legatos suos præfuit Summus Pontifex: nempe Constantinopolitanum I. At peculiaris quædam obfuit ratio, quæ jus Pontificis confirmat multò magis: quia nimirum quo tempore Concilium illud Constantinopoli celebrarent Episcopi Orientales, alterum Damasus R. P. ex Episcopis Occidentalibus Romæ celebrabat: atque ita subinde ex duobus illis Conciliis unicum veluti conflatum est Oecumenicum; quòd propterea suas secum definitiones mutuò communicarint, probarintque. De cætero tamen Constantinopolitanum illud ex ipsa sui cele-

lebratione, ac se solo ut ita dixerim, non est habitum Oecumenicum: quod illi nec per sese, nec per Legatos Romanus Pontifex præfuisset; sed ratione acceptationis subsequentis a Romano Pontifice factæ, Oecumenici titulum habuit.

Perperam autem objicit Calvinus, Concilium etiam Nicænum primum, absque ullo Pontifice Præside, fuisse celebratum, Sylvestrumque R.P. ei minimè præfuisse per Legatos suos vulgò jactatos Osium, Vittum, & Vincentium: propterea quòd & Eusebius, & Socrates, & Sozomenus, & Theodoretus, dum de iis loquuntur, eos Legatos Pontificis fuisse non dicant; sed omnino sileant. Perperam inquam id jactat Calvinus. Sed quid inde? meminerunt enim Photius *lib. de 7. Synodis*, Hincmarus, *Epist.* 20. Meminere etiam implicitè Theodoretus, & Socrates, dum scribunt, Vitum & Vincentium locum Pontificis suppleviste.

Neque obest, quod Eusebius referat *lib. 3. de vita Constantini c.* 11. primum inter Episcopos Nicænos in dextro Ordine locum obtinuisse Eustathium Antiochenum: cum primus Pontificis Legatis dandus fuisset, si qui illic adfuissent.

Ast erit fortè, qui objiciat. Illius jus est Conciliis præesse, cujus est eadem confirmare: At Imperatores sæpius Concilia confirmarunt: quandoquidem Eusebius *lib.* 3. *de Vita Constantini cap.* 16. Epistolam illius refert, qua Nicænam Synodum confirmavit.

Patres etiam Concilii Constantinopolitani I. datis ad Theodosium Epistolis, acta sua ab illo confirmari postulant. Quod alia quoque Concilia secutis inde temporibus fecere.

Nugæ profectò nugæ, eæque nugacissimæ: Confirmarunt quidem Imperatores tunc temporis Concilia quoad externam editorum Canonum executionem, non tamen quoad vim obligandi in conscientia. Hanc enim a R. Pontifice postulare solent confirmationem. Ex quo videtis, nil quicquam contra statutam sententiam extundi posse.

Quo loco (quandoquidem Pontificiæ Confirmationis mentio incidit) præstat obiter errorem refellere sat latè manantem; Eorum nempe qui putant, Concilia Oecumenica vim omnem suam auctoritatemque obtinere a R. Pontifice, propterea quòd ab illo, quoad vim obligandi, debeant confirmari.

Non est ita profectò, non est ita; sed suam a Deo habent auctoritatem. Suadet hoc ratio non una, sed multiplex. Primò enim Concilium a Deo ipso judicandi, & definiendi habet auctoritatem, uti sacris in litteris legitur: *visum est spiritui Sancto, & nobis, Actorum* 15. Secundò Episcopi, quibus conflatur Concilium, a Deo ipso regendi, adeoque & definiendi potestatem habent, non a R.Pontifice, ut superiùs exposuimus. Undè Pontificia confirmatio

tio nonnisi externa quædam conditio est, ut innotescat, quodnam verum sit Concilium Oecumenicum; conditio, inquam, non tribuens auctoritatem Concilio, quam habet a Deo, sed eam declarans ac manifestans. Aut etiam Pontifex confirmatione sua auctoritatis cumulum addit Concilio Oecumenico tamquam caput membris adjunctum, non omnem & integram tribuit auctoritatem.

Quia ergo nova de Conciliorum auctoritate, deque illorum indeficientia sese hoc loco aperit difficultas non segniter ac defunctoriè perpendenda; idcirco in Dissertationem sequentem mittimus expediendam.

PRÆLECTIO IV.

Suprema Conciliorum auctoritas eorumque indeficientia in judicandis Fidei controversiis, probatur atque defenditur.

QUod in suscepta de Conciliis Oecumenicis Tractatione præcipuum est, imò cujus gratia cætera tractata sunt universa, illud hodie disputamus: Sit ne Concilium Oecumenicum, in sanciendis definiendisque fidei dogmatibus, penitus infallibile? Hinc etenim pendet altera quæstio, quæ nos maximè tangit: sit ne Concilium Oecumenicum altera fidei regula spirans vivens & animata. Egere pro aris suis & focis Lutherus, & Calvinus, dum eam Conciliorum Oecumenicorum indeficientiam inficiati sunt. Cum enim suorum errorum partem plurimam in antecessum in Conciliis prædamnatam probè scirent, imminensque Tridentinæ Synodi judicium præviderent; nulla meliori via rebus suis prospectum iri existimarunt, quam si Conciliorum Oecumenicorum supremam indeficientemque auctoritatem inficiarentur. Hanc nos hodie tuendam aggredimur, illudque fidei caput ponimus: Concilium Oecumenicum in definiendis fidei dogmatibus, indeficientis est auctoritatis: atque ita indubitata fidei nostræ regula est.

In hujus assertionis probatione, hoc primum momentum sit.

Concilium Oecumenicum universam repræsentat Ecclesiam; imò Ecclesia ipsa est in suis Capitibus congregata; Ecclesia autem in judicando fidei dogmate indeficiens est, nam *Joann.* 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis.*

Secundum momentum est: Concilium Oecumenicum definit auctoritate Spiritus S. *Visum est Spiritui S. & nobis. Act.* 15. Porro si Concilium definit auctoritate Spiritus S. nulli dubium esse poterit, in judicandis fidei controversiis indeficiens esse.

Quartum desumi potest ex praxi & usu omnium priorum sæculorum; Primò enim iis anathema dictum est, qui Conciliorum statutis in caussa potissimùm fidei non parerent. Secundò, denuo tractari vetitum est, quod semel in caussa fidei fuisset in Concilio Oecumenico definitum.

Liquet hoc etiam ex incommodis & absurdis, quæ procul dubio sequerentur, si Concilia Oecumenica falli possent. Nihil sanè pro certo haberetur in Religione Catholica. Novum examen postulari posset quorumcumque dogmatum, in quibusvis Conciliis definito-

rum;

rum ; quinimo nullum illorum novum examen haberi posset, a quo (rogo vos) fieret ? alia tandem sexcenta absurda sequerentur, quæ longum esset singulatim recensere.

Videndum nunc, quid generatim opponant Lutherani & Calvinistæ adversus Conciliorum Generalium indeficientiam; tum videbimus in sequentibus, quid speciatim & singulatim contra nonnulla Generalia Concilia opponere soleant.

Ajunt hi loco primo, singulos Episcopos, ex quibus conflantur generalia Concilia, falli posse: uti profectò errarunt omnes in veteri Testamento : *Speculatores ejus*, inquit Isaias *cap. 56. cæci omnes, nescierunt universi: canes muti non valentes latrare*. Quod habetur etiam *Jeremiæ 6. A Propheta usque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum*. Igitur posse & omnes errare fidenter concludunt, cum a singulis sufficienter enumeratis valeat ad omnes consecutio.

Proh vanam argutationem putidumque sophisma? liceat hic mihi longè altiùs exclamare : a singulis enim sufficienter enumeratis valet quidem ad omnes consecutio in Physicis, futilis tamen, & ludicra in moralibus est. Quibus reponimus etiam, posse quidem omnes Episcopos falli & fallere seorsim ac distributivè acceptos ; minimè verò, si collectivè, & ad Concilium congregati sumantur. Ratio in promptu est. Promisit quidem Deus congregatis Episcopis, & Concilio ex iis constanti infallibilitatem *Matth.* 18. *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Nunquam tamen cuilibet in individuo accepto Episcopo infallibilitatem adpromisit. Temerè igitur & inconsideratè moliuntur Viri subtilissimi, nostra omnia tali pacto vitilitigare atque distringere.

Instant nihilominus adversarii disertissimo D. Augustini testimonio *lib. 2. de Baptis. cap. 3.* dicentis, plenaria Concilia *sæpe priora posterioribus emendari;* ex quo inferunt, agnovisse Augustinum plenaria Concilia errori quandoque subesse posse.

At errat quisquis eo lato Augustini testimonio plenaria Concilia fallere posse comminiscitur. Nam eo loci Augustinus, non intelligit emendari priora Concilia a posterioribus posse in dogmatibus, sed vel in factis, vel in rebus ad disciplinam attinentibus ; undè id accidere ait, *cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat*.

Altero tamen nodo difficultatem implicant Adversarii, ut Conciliorum auctoritatem atque indeficientiam elidant. Concilium, inquiunt, Francofordiense anno 794. celebratum, cui adfuerunt Legati Pontificii, & trecenti Occidentales Episcopi, decretum de colendis imaginibus latum in Concilio II. Nicæno damnavit, quamquam utrumque universale fuerit, ex quo inferunt, nullius au-

auctoritatis fuisse Nicænum Concilium, cum latum ab eo Decretum a Francofordiense Concilio damnatum fuerit; & vel unum aut alterum aberrasse. Vel Nicænum in decreto de cultu sacrarum imaginum sanciendo; vel Francofordiense in lato decreto condemnando.

At non est nodus iste tanto vindice dignus. Ad primum reponere facile est, Francofordiense non fuisse generale Concilium, cum ad illud Orientales Episcopi minimè vocati fuerint, aut ipsi eorum aliquis adfuerit: e contra Nicænum II. generale Concilium fuit, cum ad ipsum Orientales & Occidentales Episcopi per Romanos Ecclesiæ legatos adfuerint.

Quo ad secundam propositæ difficultatis partem attinet, dico, erraсse quidem Francofordiense Concilium in quæstione facti, non autem in quæstione juris, nam Patribus Concilii Francofordiensis visum fuerat, quod Concilium Nicænum definiisset, *Sanctorum* imaginibus eundem cultum esse exhibendum, qui debetur Sanctissimæ Trinitati: *Allata est in medium quæstio de nova Græcorum Synodo* (apertissima sunt ejusdem Concilii verba can. 2.) *quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut qui imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati, servitium, aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui supra Sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem & servitutem renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt.* Hoc adeo verum, quod cum ab Occidentalibus postea germanus Nicæni Concilii sensus intellectus fuerit, ipsum omnes Occidentales Ecclesiæ pro Oecumenico receperunt, ejusque definitioni firmiter adhæserunt. Pauca hæc adversus superiorum sæculorum Concilia Oecumenica objicere solent Lutherani & Calvinistæ, ut illorum auctoritatem enervent. Verùm adversus Concilium Tridentinum, a quo proscripti damnatique sunt, declamant licentiùs multò ac petulantiùs. Quare ut illorum insultus repellamus, jactasque in eam Sanctissimam Synodum calumnias diluamus, binas ac etiam ternas Prælectiones sequentes habebimus.

PRÆ-

PRÆLECTIO V.

Satisfit Momentis Lutheranorum & Calvinistarum, quibus Concilii Tridentini robur & auctoritatem oppugnant.

Concilii Tridentini vindicias adversus Protestantium quærelas adornaturi; si brevitatem, præ rerum copia dicendarum, tenere non possumus, at saltem methodum dicendo servabimus, amplissimumque argumentum in varias Prælectiones distribuemus, ne cui fortè simus onerosi. Quapropter generales & vagas Protestantium criminationes in præsentia occupabimus; quibus violatas Juris sacratissimas leges a Tridentinis Patribus conqueruntur in ipsa Concilii celebratione: tum in sequentibus peculiares & individuas querelas repellemus, quibus varia doctrinæ capita in variis sessionibus oscitanter & ignoranter tractata atque sancita calumniantur. Itaque ad rem ipsam veniamus. Primariam naturalis juris regulam in Concilio Tridentino violatam conqueruntur Protestantes; qua nimirum sanctissimè cautum est, ne quis Judicis simul & partis disceptatricis personam sustineat. Romanus quippe Pontifex, ajunt illi, totaque Ecclesia Romana, quam sexcentorum errorum incusaverant Lutherus atque Calvinus, judicis, & partis disceptatricis personam egit in Concilio Tridentino; atque ex hoc primam illi notam affricant Protestantes.

Futiliter tamen & ignoranter. Si porro sic est, nullus Regiæ Majestatis reus, nullus Reipublicæ perturbator in judicium vocari, damnarique poterit: Nullus Novator, nullus hæresiarcha, nullus perditæ sectæ auctor; Arius, Macedonius, Nestorius, Eutyches: cum & ii, Pontifices Ecclesiamque, quæ illos seu in Conciliis, seu extra Concilia damnavit, novitatis & corruptelæ circa fidem, pariter accusarent. A quibus ergo judicandi fuerant Lutherani & Calvinistæ? Ab Imperatore, a Regibus, a suæ ipsorum Sectæ Professoribus?

Cui & illud addiderim, Principem, Rempublicam, ubi boni publici quæstio vertitur, supremam auctoritatem, nunquam partis disceptatricis personam, contra subditum sustinere, maximè si juris, non facti quæstio moveatur. Ex quo concludendum nobis est, Pontificem, & Ecclesiam in Tridentino Concilio convocatam tum ad confirmandam fidem contra Lutheri, Zuinglii, Calvini, aliorumque hæreticorum errores, tum ad restituendam Ecclesiæ disciplinam,

plinam, quam bella & hæreses labefactaverant, disceptatricis personam minimè sustinuisse.

Momentum alterum nullitatis petunt a loco lati Judicii. Ex antiquis canonibus liquet, in Provincia sua non extra debere accusatos judicari. At cujus enim auctoritatis ac roboris erunt tot Romanæ Ecclesiæ Judicia extra suam provinciam, Tridentum nempe, convocatæ? debebat celebrari in caussa de qua agebatur in Germania; nam par erat ut negotio finis imponeretur, ubi inceperat.

Temerè tamen hoc recinunt & inconsultè importuni cavillatores: debent enim in sua Provincia accusati judicari in caussis privatis, ac ubi de factis personalibus quæstio est, non verò in caussis publicis, ac ubi de jure quæritur. Ratio in promptu est; quia in factis personalibus, testes, ex quorum testificatione res facti pendent, non tam facilè in loca dissita advocari possunt. Secùs est in caussis fidei: cum enim ad omnes spectent, ubique possunt examinari. Sic hæresis Ariana orta Alexandriæ in Egypto, damnata est Niceæ in Bithynia. Nestoriana orta Constantinopoli in Thracia, damnata est Ephesi in Asia Minori. Pelagiana orta in Britannia, in Africa proscripta est; Donatistarum hæresis orta in Africa, Romæ damnata est & in Galiis. Non est cur igitur hujus Sacræ Synodi auctoritatem Protestantes elidant ex eo, quod fuerit celebrata Tridentum, quæ commoda Germanis Civitas erat, minimè suspecta, Ferdinando Imperatori, non Romano Pontifici beneficiaria; quæ etiam in Spirensi Conventu anno 1542. a Germaniæ Principibus postulata fuerat.

Minùs multò refert, quod illi statim subijciunt; ut Tridentini Concilii auctoritatem enervent. Non interfuere, (ajunt hi) Concilio Tridentum Germaniæ Protestantes, & Principes Confessionis Augustanæ; imò accedere liberum illis non fuit: cum illuc accedere nemini liceret, nisi prius jurasset in verba Pontificis.

Sed ajunt hoc illi tantùm, non probant, imò liquet esse falsissimum. Libera enim accedendi facultas data est etiam Protestantibus, concessæ sæpius litteræ liberi commeatus: quæ nunc etiam leguntur *Seff.* 13. 15. 18. Sed illi ipsi sunt, qui nimium diffidentes vel intervenire noluerunt, vel nonnisi iniquis conditionibus adesse volebant.

Quartum momentum, in quo Lutherani vim maximam ponunt, illud est, quo sublatam ajunt a sacratissima illa Synodo Episcopis judicandi libertatem: 1. Quia legati Pontificii rerum proponendarum arbitrium ad se solos traxerunt: imò & hanc formulam *proponentibus legatis* actis ipsis millies inseri voluerunt, contra quam ab Hispanis semper est reclamatum: 2. Quod nihil Patribus Tridenti deliberandum proponeretur, nisi quod Pontifici Romæ degenti

genti placeret, nihil sanciretur, nisi quod ille probasset primùm judiciumque suum per submissos Cursores transmisisset: Undè Scomma illud publicè increbuerat: Spiritum S. Roma Tridentum in mantica deferri solitum fuisse: 3. Quod si qui fortè Episcopi liberam vocem in ferendo judicio mitterent ad reformandos præsertim abusus RR: Pontificum & Curiæ Romanæ, statim illis ora frangerentur: uti Episcopo cuidam Gallo accidit.

Sed est illa per omnia capita calumnia putidissima.

Primò: Ad libertatem Concilii minimè pertinet, ut privato cuique liberum sit proponere ad judicium quæcumque vellet, sed ut cuique liberum sit, super quacumque re proposita, sententiam ferre; aliàs pax nulla, nullus ordo esset. Porro jus proponendi penes Legatos Pontificios & Conciliorum Præsides solos semper extitit in priscis Conciliis Oecumenicis: Maximè Ephesino, Chalcedonensi, Constantinopolitano III. Nicæno II. Constantinopolitano IV. aliisque subinde in Occidente celebratis. Hispani autem non reclamarunt, ne id fieret, sed ne id in actis semper exprimeretur. Quid ni quoque dicamus: si quid Episcopi aliqui Concilio proponi vellent, poterant ante publicam sessionem legatos & Præsides convenire, & significare.

Falsum postea est, quod 2. loco subjungunt, nihil sanxisse Patres Tridentinos, nisi quod illis Pontifex præscripsisset; quasi sublata illis fuerit sanciendi ac judicandi libertas; sed R. Pontifex Romæ degens suis consiliis monitisque per Epistolas missis juvabat Patres, Tridenti sedentes, quæ res publico & propudioso scommati locum dedit *Spiritum S. Roma Tridentum in mantica deferri*. Certè hoc idem fecere olim Romani Pontifices Celestinus, Leo Magnus, Agatho: sua quoque ad Concilia, quæ tunc habebantur, consilia, monita, rescripta, sententias transmittebant, quin propterea effutierint maligni obtrectatores, Spiritum S. Ephesum, Chalcedonem, Constantinopolim in mantica fuisse missum; aut Patribus illic in Concilium congregatis ademptam esse suffragiorum libertatem.

Cæterum noluisse propterea Paulum III. aut Julium III. aut Pium IV. hujusmodi transmissis monitis atque Consiliis, liberam sentiendi judicandique facultatem Episcopis adimere, liquet ex Epistolis Cardinalis Farnesii & Cardinalis Borromæi ad Legatos datis anno 1546. & 1563.

Quare si cui fortè Episcopo Gallo improperatum est, quòd liberiùs pro Galli conditione cantaret ad Petrum excitandum: id fortè contigit, quòd modum excederet privatus ille, nimiumque re ipsa cantaret: quod in numerosissimo cætu non potest non aliquando contingere: aut id illi ab altero privato Episcopo impropera-

tum est, cui non satis placebat illius Galli cantus. Nec enim a Legatis, aliisve Concilii Præsidibus Gallum illum legimus reprehensum.

Quæ tamen generatim & universim contra Synodum Tridentinam obiiciunt Protestantes, ut illius auctoritatem exsufflent, abundè satis occupavimus. Nunc illa nobis occupanda veniunt, quæ singulatim, ut ita loquar, & individuè adversus ejusdem peculiaria & singularia decreta opponere solent, ut neglectum in Synodo Tridentina Judiciorum ordinem probent, violatas juris formulas palam faciant; politicas Præsulum illic judicantium artes, iniquas molitiones in propatulo ponant. Quæ certè, si uti objiciuntur, ita constarent, Conventum Tridentinum, non Concilium Oecumenicum vocare fas esset, sed Concilium Malignantium, Nebulonum coitionem, Bambalionum Latrocinium, Sathanæ Synagogam. Has itaque Protestantium criminationes ordine persequar, & calumniæ plenas palam ostendam.

In prioribus igitur Tridentinæ Synodi sessionibus prima scilicet, 2. 3. & 4. tria maximè reprehendunt, quæ illius auctoritatem penitus enervarent: 1. Quòd ad primum paucorum Episcoporum appulsum, cæperint de rebus omnium maximis pronunciare, statuere, definire; de Symbolo scilicet, de Sacrarum Scripturarum Canone condendo, de divinarum Traditionum auctoritate, aliisque id genus multis. 2. Quòd unam Scripturæ Sacræ Versionem Vulgatam, authenticam pronunciarint; atque ita primigenios fontes abjecerint. 3. Quòd hanc ipsam Vulgatam Versionem authenticam pronunciaverint, antequam esset à mendis repurgata; Quæ res a Romanis ipsis Theologis improbata est, uti liquet ex Littera Cardinalis Farnesii ad Legatos anni 1546.

Quibus omnibus respondemus; quod si, quid rei fuerit, distinctiùs perpendatur, nihil est, quod in quatuor illis sessionibus meritò cavillentur Heterodoxi. Quod primum criminationis caput attinet; quæ illic primitùs gesta sunt, postmodum accedentibus cæteris Episcopis rata & confirmata fuere. Quid ni dicamus: res illæ tales non erant, quæ nova consultatione, novoque examine egerent. De Symbolo namque sat legimus examinatum in Synodo Niceæ celebrata. De canone Scripturarum, in Conciliis Laodiceno, Carthaginensi, Romano, Florentino sub Summis Pontificibus Innocentio I. Gelasio I. Eugenio IV. Sat de Traditionibus non scriptis in Concilio II. Nicæno.

Quod alterum criminationis caput attinet, dico; Vulgatam editionem non eo sensu Concilium Tridentinum authenticam declarasse, quòd Hebraici & Græci Textus, qui leguntur in Bibliis, non sint authentici, sed quod multæ aliæ Versiones Latinæ, quæ tunc circumferebantur, authenticæ non essent.

Cæte-

Cæterùm: Tantum abest, Tridentinum Concilium Vulgatam Versionem latinam Hæbraicis aut Græcis fontibus antepofuisse, ut illam nullo modo cum hisce fontibus comparaverit. Quinimo illorum ne implicitè quidem meminisse liquet ex Cardinali Bellarmino *de verbo Dei lib.* 2. *cap.* 10. ubi sic loquitur: *Hoc ideo mendacium voco, quod nihil ejusmodi in Decreto Concilii legatur. Nec enim Patres fontium ullam mentionem fecerunt.* Et multò disertiùs Alphonsus Salmero *Prolegomeno* 3. Ubi de Latina Versione fermonem instituit: *Nihil enim ibi*, in Concilio, *de exemplaribus aut Græcis aut hæbraicis, agebatur; tantùm inter tot editiones latinas, quot nostra sæcula parturierant, quænam ex illis præstaret, sermo erat: & rejectis reliquis latinis, unam hanc Vulgatam, reliquis tanquam veriorem, puriorem, dilucidiorem, ac suis fontibus, undè est orta, magis consentientem pronuntiavit; atque huic soli, ut commentariis & Scholiis illustretur, contulit.*

Ad tertium intentatæ quærelæ caput respondeo, Tridentinum Concilium non eo sensu Vulgatam Versionem authenticam declarasse, quòd nulla omnino errata, seu menda in ea reperiantur. Quod adeo verum, ut illo tempore, quo decretum de Vulgari editione Sacra Synodus promulgavit, peritissimis Doctoribus mandavit, ut illius emendationi industriam ac laborem impenderent. Quod mandatum cum Summi Pontifices Pius IV. & Pius V. exequi cæperint, jussu tandem Sixti V. ad exitum perductum fuit. Quinimo istius Pontificis constitutio de Vulgatæ versionis correctione, quæ prodiit anno 1589. quæque incipit his verbis: *Æternus ille cælestium*, fuit iterum emendata Romæ sedente Clemente VIII.

In Sessione 14. Illud maximè carpere solent: quod ad pecuniæ aucupium decreta sit reservatio aliquorum casuum seu Romano Pontifici, seu Episcopis, contra sententiam ac votum Theologorum, qui illic aderant, Lovaniensium, & Coloniensium: qui juxta priscos Theologos, solas censuras, non item delicta reservari posse contendebant. Quod publicæ penitentiæ usum abrogavit.

Pura putaque calumnia illa est. 1. Quia sine pecunia absolutio dari potest. 2. Non est verisimile oppositum sensisse Lovanienses & Colonienses; ignorare quippe non poterant, Concilium Rhemense sub Innocentio II. Lateranense II. Clericorum percussores & incendiarios a solis Episcopis absolvi posse declarasse: ut alia longè multa prisca decreta omittam. Soli repugnarunt ex priscis Theologis Durandus, Gersonius, & Cajetanus, at temerè quidem: cum reservandi potestas appendix sit datæ a Christo potestatis. *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælis, Matth.* 18. *v.* 18.

Ridendi verò sunt Protestantes, qui cum ne privatam quidem

C 2 & auri-

& auricularem confessionem in usu habeant, Ecclesiam criminantur, quod publicam confessionem sustulerit.

Ad cujus resolutionem dico, duo hic esse distinguenda, publicam nimirum delictorum confessionem, & publicam pænitentiam subeundam: Hanc ultimam pro delictis publicis instaurari optavit *Sess.* 24. *cap.* 8. *de Reform.* Istud caput est disciplinæ, quæ mutationem patitur, ac etiam quandoque postulat ob fidelium teporem & corruptelam.

In hac ipsa Sessione 14. Patentem hallucinationem & aberrationem observant Protestantes de Sacramento Extremæ Unctionis: quod nempe illud a *Christo institutum* dixissent Tridentini Patres, *Marci 6.* Ubi notatur Apostolos ægrotos unxisse: quod postmodum a privato Theologo admoniti emendassent, & *apud Marcum delineatum tantùm & insinuatum* definivissent.

Calumniam patentissimam retegit Cardinalis Pallavicinus *lib.* 12. *Historiæ suæ Cap.* 12. Hoc enim decretum a Sacra Synodo primò formatum est post initium Mensis Novembris: cum diu antea, diebus scilicet 22. & 23. Octobris in præliminaribus Theologorum collationibus, plerique illorum observassent, hujusmodi Sacramentum non institutum, sed adumbratum & insinuatum fuisse *Marci cap. 6.* Nimirum Jodocus Ravestein Theologus Lovaniensis, Jodocus Tiletanus, & Sigismundus Fedrius Ordinis Minorum.

Ut sileam, incredibile esse, id potuisse Tridentinos Patres ignorare, quod usitatissimi & Communissimi Theologi diu antea observarant, Hugo a S. Victore, Magister Sententiarum, Alexander Alensis, D. Thomas, D. Bonaventura; alterius scilicet rationis esse unctionem de qua Marcus *Cap. 6.* & de qua Jacobus *cap.* 5. ut id a privato Theologo, postquam turpiter lapsi fuerant, internoscere debuissent.

In sessione 21. In decretis editis pro interdicendo laicis usu Calicis, pari audacia cavillantur Protestantes, quod scilicet statuant Tridentini Patres, *nulla gratia, necessaria ad salutem, eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt*. Ex quo sequitur, fuisse oblique definitum, privari illos aliqua gratia, saltem ad salutem minimè necessaria.

Sed spuria est consecutio. Nam primùm quidem definivere in sacra illa Synodo Tridentini Patres; de altero vero prorsus abstinuere.

Age tamen, inquiunt Protestantes, sit ita: eaque gratia, qua privantur, qui sub una tantum specie communicantur superabundans sit, & ad salutem fortassis minimè necessaria; congruit ne Ecclesiæ charitati, hac ipsa qualicumque gratia a Christo exhibita, filios suos defraudare?

Cui

Cui tamen depellendæ calumniæ satis sit observare, hanc ipsam gratiam, si absolutè fortè non congruat, congruere tamen sub certis rerum conditionibus, ubi in periculum venit honor, cultusque debitus Sacramento, ubi agitur de vitandis incommodis. Congruit inquam tunc, ut superabundanti gratia priventur fideles potius, quàm in contemptum veniat Sacramentum. Ecquot enim Ecclesiæ decreta sunt, Protestantibus etiam non improbata, quibus obliquè privantur Fideles aliqua superabundanti gratia, quæ ad salutem non est simpliciter necessaria? ut quod pluries in die Eucharistia sumi non possit: quod nonnisi a jejunis accipiatur: quod a vomitum patientibus non sumatur: quod certis diebus sacrum fieri nequeat: quod a laborantibus morbo Epileptico numquam fiat: quod tam subtili tenuique forma, species panis accipiatur; aliaque id genus.

Urgent tamen illi: formula saltem Canonis II. ea de re editi, insulta & absona est: dum ita decernitur: *Si quis dixerit, Sanctam Ecclesiam Catholicam non justis causis, & rationibus adductam fuisse, ut laicos, atque etiam Clericos, non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret; aut in eo errasse; anathema sit*. Factum enim humanum uti objectum fidei ibi ponitur. Quod enim certis de causis ac rationibus Ecclesia ducta fuerit ad id statuendum factum humanum est.

Minimè verò, sed factum planè divinum est, seu veriùs dogma revelatum: Ecclesiam scilicet in rebus seu fidei seu morum decernendis errare non posse, a Spiritu S. dirigi; atque ita quidquid in hujusmodi statuerit, justis de caussis & rationibus duci.

In sessione 22. Duo sugillant maximè: 1. Quod non expedire declararint, ut Missa *vulgari passim lingua celebraretur*; quod & priscæ Ecclesiæ disciplinæ, & Apostolicæ doctrinæ, & Romanorum Pontificum Joannis VIII. & Gregorij VII. indultis palàm apertèque repugnat. (*a*) *Apost. 1. ad Corinth. 14. Si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor, barbarus, & qui loquitur, mihi barbarus*.

Secundò. Quod ad incruentum altaris sacrificium exprimendum, *Missæ* vocabulum usurpet, a Theologis posteriorum sæculorum ignoranter invectum.

At nos nihil ista moramur. In primis ratio justa subesse potuit veteris disciplinæ immutandæ: 1. ad majorem Sacris Mysteriis venerationem conciliandam: Quæ enim vulgari lingua panduntur, non pari veneratione excipiuntur. 2. Quia in ea linguarum varietate facilè error elocutionis obrepere posset. 3. Quia cum linguæ Vulga-

(a) Vide Natal. Alexand. Tom. 8. Hist. Ecclesiast. pag. 652. Parisiis editæ 1730.

Vulgares seu vernaculæ quotidie immutentur, ideo mutationem veteris illius disciplinæ, uti necessariam tunc temporis, Patres existimarunt.

Quid ni dicamus ad pleniorem illius calumniæ confutationem, mutationem illam non esse factam in ritu, sed in populo. Apostolus verò objecto loco nihil ad præsens Institutum decernit. Cum non de publicis Orationibus ab Ecclesia fundendis agat, sed de concionibus, adhortationibus ad populum haberi solitis. In eo porro discrimen est, quia in illis Sacerdos Deum alloquitur, in istis populum, ut eum edoceat; vel de Orationibus, quas primi Christiani dono linguarum præditi ex tempore componebant; & ad fratrum solatium in publico cætu recitabant. Joannis VIII. & Gregorii VII. indulta nihil incommodant, quia passim Missæ vocabulum, jam a quinto Christiani nominis sæculo inductum est. Ita S. Augustinus *Serm.* 227. Novæ Editionis Parisiensis PP. Benedictinorum, qui est quartus in die Paschæ *ad Infantes de Sacramentis, idest de mense Dominicæ Sacramento*. *S.* Leo ad *Dioscorum Episcopum Alexandrinum Epist.* 11. *Edit. P. Quesnel cap.* 2. Vigilius R. Pontifex ad *Profuturum Bracarensem Episcopum scribens cap.* 5. S. Cæsarius Arelatensis *Sermone ad populum habito*. Concilium II. Bracarense Anni 563. Canone 4. (*a*)

Missæ vocabulum ad sacrificium Eucharisticum designandum a primis Ecclesiæ sæculis usurpatum aliqui putant, probantque ex Canonibus Apostolicis, Epistolisque decretalibus Romanorum Pontificum Clementis I.; Evaristi, Alexandri, Telesphori.

Si quæret fortasse quispiam, undè sit sumptum hoc nomen? Ex D. Augustino *Sermone* 237. & ex S. Isidoro Hispalensi *lib. 6. Orig. cap.* 16. Nempe a *Missione* Catechumenorum. Quia in sacris olim Christianorum post habitam ad universum populum concionem, Cathecumeni foras mittebantur, dum erat inchoandum Sacrificium. Inde hoc ipsum Sacrificium, *Missa* dictum est, nomine parum congruo, & obscuro ad rem divinam significandam, sed & hoc ipsum obscurum nomen usurpare in Ecclesia tunc libuit, ut hominibus falsas Religiones colentibus hoc symbolicum nomen ignotum esset, ne fideles ipsi proderentur, dum ad Missarum solemnia vocabantur. Ita *Aug. serm.* 237. In *seß.* 23. Patribus Tridentinis illud præ cæteris vitio dant: Quod in præfiniendo sacrorum Ministrorum ordine, eorumque variis gradibus distinguendis, superbo nimis vocabulo usi sint, & priscis Ecclesiæ Patribus ignorato; vocabulo scilicet *hierarchiæ Ecclesiasticæ*: cum potius juxta Christi D. & Apostolorum documenta, *hieradiaconiam* aut *hierodouliam* dicere debuissent; sacrum scilicet ministerium.

At

(b) Vide Natal. Alex. Tom. 8. Hist. Ecclesiast. pag. 552. 553., & 654. Edit. Paris. Anni 1730.

At nec id quidquam nos movet. In primis, *Hierarchiæ* nomen non incongruè usurpatum est. Cæterum dico, utcumque sese res habeat, a VI. saltem Ecclesiæ sæculo id nominis usurpatum esse; tum ab auctore illo non adeo contemnendo, tum a S. Maximo Martyre, qui Dionysii libros commentariis illustravit.

Nec dum criminationum & calumniarum finis est, quibus Tridentinæ Synodi auctoritatem deprimere moliuntur nostræ hujus ætatis Heterodoxi.

Si unquam tamen adversus Tridentinæ Synodi statuta atque decreta liberè debacchantur, tunc certè maximè, ubi de decretis Sessionis 23. quæstio venit; in quibus de Episcoporum reformatione actum est. Tunc enim præ cæteris patuisse, ajunt Protestantes, totum illum Tridentinum conventum, meram politicorum hominum visionem fuisse. Cum enim de assidua Episcoporum in suis Diœcesibus commoratione, quam *residentiam* de more vocant, ageretur; juris ne Divini esset, an Ecclesiastici duntaxat; Italiæ Episcopi veriti, ne si Residentia juris Divini esse decerneretur, non posset in ea Pontifex dispensare; atque ita pompaticus Romanæ Curiæ apparatus Episcoporum in suis Diœcesibus non residentium frequentia plus æquo luxurians imminueretur: totis viribus, juris Divini non esse contenderunt, Hispanosque Episcopos, Divini juris illam esse contendentes, salibus & conviciis prociderunt; hæreseos notam procaciter illis affricuerunt; sæpiùs etiam succlamarunt plus sibi molestiæ ab Episcopis illis inferri, qui Catholicos agerent, quam vel ab ipsis Germaniæ Protestantibus. Ubi verò Galliarum Episcopi Tridentum adventarunt, & in eandem cum Hispanis sententiam descenderunt, ac nervosè etiam defenderunt, Itali in has voces contumeliosas proruperunt, *Ex hispanica scabie incidimus in morbum Gallicum*. Quin & ipse Romanus Pontifex, Romæ degens, re tota ex legatorum suorum Epistolis intellecta, ut salutarem illam Divini juris declarationem impediret, quadraginta circiter subsidiarios Episcopos ex Apulia, Sicilia, Calabria tumultuariè collectos, Tridentum submisit, quibus ad cæterorum Italorum sententiam accedentibus, effectum est, ut ne meditatum decretum de Residentia juris Divini sanciretur; quo nullum ad Ecclesiæ reformationem sanctiùs poterat promulgari. His fermè quærelis Protestantes in Synodum Tridentinam tibias suas inflant.

Audaciùs tamen, & multò quam par est petulantiùs exaggerantur hæc omnia. Etsi enim inficiari omnino nolim, humani fortassis aliquid passos esse Episcopos Italos ea in occasione, falsum tamen est, quod subjungunt, hæreseos notam affricuisse, salibus & conviciis proscidisse, ob id quod Hispani Residentiam juris Divini esse contenderent;

Con-

Constat hoc primò ex actis Cardinalis Paleoti, variisque litteris a Cardinali Pallavicino relatis *lib.* 17. *hist. Conc. Trid. cap.* 8. & 13. ex quibus liquet, Italiæ Episcopos XXXI. in severiorem sententiam de Episcoporum residentia, jure Divino præcepta, cum Gallis & Hispanis descendisse.

Constat secundò, illos ipsos Episcopos Italos, ab aliis insimulatos (quod sententiam illam Pontifici parum gratam amplexi fuissent) excusationis epistolas ad Pontificem ipsum scripsisse, a quo tamen responsum accepere, gratum sibi fuisse, quod pro conscientia sua suffragium in ea Sessione dedissent, velleque se, ut summa cuique in Concilio sentiendi libertas servaretur.

Tertiò constat ex eo, quod tametsi distincto & aperto decreto definita non sit in Concilio Tridentino Episcoporum Residentia, uti jure Divino præcepta, virtute tamen, & ex consequenti definita videri potest. Sic enim ea in Sessione declarat Synodus Tridentina: *Cum præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere; pro his sacrificium offerre; verbique Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum operum exemplo pascere . . . . quæ omnia nequaquam ab iis præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt.*

Quibus omnibus adderem tot Veterum Conciliorum exempla, in quibus pares quandoque Episcoporum contentiones, altercationes contigere, si diutiùs abuti patientia vestra non dubitarem.

Haud minoris querelæ occasionem Protestantibus præbuit *Canon* 7. *Sessionis* 24. qui quidem his verbis primum statutus fuerat ac definitus: *Si quis dixerit Matrimonia consummata ob adulterium dissolvi, anathema sit:* postmodum tamen instantibus Venetæ Reipublicæ Oratoribus, ita temperatus reformatusque est Canon ille, qualis nunc in Actis habetur: *si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit, & docet, juxta Evangelicam, & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi . . . . anathema sit.* Quorum certè canonum ecquis non videt diversum admodum sensum esse. Ex quo argumentantur hoc pacto: aut ergo afflante Spiritu S. fuerat primò canon ille editus, atque decretus; aut non. Si primum, igitur non poterat canon ille Venetis instantibus Oratoribus temperari, ac reformari; ad id igitur, quod in canone sancitum fuit, non tenebitur fidelis.

Sed brevi observatione tota vis hujus argumenti prosternitur, brutumque fulmen cadit in irritum; si videlicet observetur in Conciliis Oecumenicis rem non esse censendam, auctore Spiritu S. ultimò

timò

timò definitam, nisi ubi ab Episcopis omnibus in suffragium itum est. Porro Canon, quo sub anathemate sancitum est, *si quis dixerit matrimonium consummatum ob adulterium dissolvi, anathema sit*; a Theologis consultoribus delineatus quidem fuerat, & ab aliquibus Episcopis recognitus & approbatus; non omnes tamen Episcopi ad suffragia venerant. Undè res adhuc indecisa censebatur.

Ad hæc: Decretum hoc ut fuit secundis curis reformatum, nihil absolutè decernit priori meditato contrarium: sed ut ut maximè id omittit definire ut fidei dogma, quod priori definiebatur.

PRÆLECTIO IV.

Sint ne Concilia Generalia aliquando Ecclesiæ necessaria, quæritur. Quandò nam, & quibus in casibus, ea Conciliorum necessitas urgeat, demonstratur.

QUod postremo omnium loco, de Oecumenicis Ecclesiæ Conciliis, quæri solet, sint ne Ecclesiæ Catholicæ necessaria, illud hodie disputamus. Quod ut præstemus ordine debito, generatim & universè quæremus primò, sint ne Concilia Generalia aliquando Ecclesiæ necessaria? Tum singulatim & individuè disputabimus, quandonam & quibus in casibus ea Conciliorum necessitas urgeat.

Esse Concilia generalia quandoque Ecclesiæ Catholicæ necessaria, ille solùm inficiabitur, qui Ecclesiam ipsam summæ imprudentiæ arguere velit. An non enim ingentis imprudentiæ illud esset tot impendiis, tot periculis, tot incommodis, generales illos Episcoporum omnium conventus celebrare, quorum non esset summa necessitas? celebravit autem Ecclesia ad hanc usque diem Concilia hujusmodi generalia undeviginti: Niceæ duo, Constantinopoli quatuor, Romæ in Laterano itidem quatuor, Lugduni duo, Ephesi, Chalcedone, Viennæ, Constantiæ, Basileæ, Florentiæ, Tridenti, in singulis unum. Ita ne quæso inutiliter ac futiliter omnia? Ecquis ergo non videt, Concilia aliquando esse Ecclesiæ Catholicæ necessaria.

Illud itaque diligentiùs inquirendum quandonam, & quibus in casibus, Concilia hæc necessaria sint? Et quidem de diversi ordinis casibus quæstio moveri potest; aliis quidem ubi de ipsa Fidei summa agitur; aliis ubi de sedando schismate, de moribus ac de disciplina controvertitur. Quocirca; ubi de caussa fidei simpliciter agitur, dum hæresis oborta simpliciter damnanda est, non est absolutè necessaria Concilii Generalis celebratio.

Liquet hoc primò tot hæresum trium priorum sæculorum exemplo: Simonis, Menandri, Ebionis, Cerinthi, Nicolai, Valentini, Cerdonis, Marcionis, Manetis, Montani, Origenis, aliorumque hujus farinæ hominum, quorum errores absque Conciliorum generalium celebratione damnati sunt.

Pari, ad præsens institutum nostrum, vi ac potestate est Augustini testimonium *lib. 4. ad Bonif. cap. ultimo*, ubi Pelagianis Concilium generale poscentibus, in quibus expenderetur eorum doctrina,

na, id necessarium non fuisse respondit; quod iisdem confirmavit ex eo, quod absque Synodorum celebratione plures antiquiores hæreses extinctæ sint. *Aut verò*, ait SS. Doctor, *congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur: quasi nulla hæresis aliquando nisi Synodi congregatione damnata sit: Cum potius rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit . . . . . hanc etiam gloriam captare intelligitur*, Pelagianorum superbia, *ut propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur*: & hoc quia satis superque ad id sufficit auctoritas Romani Pontificis, qui de fide potest infallibiliter judicare.

Nec obest si dicatur, eum non esse infallibilem, nisi accedente consensu Ecclesiæ: primò, quia ad hoc ut iste consensus accedat, necessarium non est, ut Ecclesia in Concilium convocetur. Secundò, quia ad faciendum Judicium R. Pontificis infallibile satis est si pronunciet ex consilio & assensu Romanæ Ecclesiæ, cujus ille specialiter caput est.

Ubi verò non qualiscumque damnanda est hæresis, sed hæresis ad cujus defensionem conspirant Regna florentissima, Nationes integræ, Sedes Episcopales magnæ & multæ; tunc certè necessaria est Concilii Oecumenici celebratio: quia tunc unius R. Pontificis auctoritate frænari & coerceri hæretici nolunt. Exemplum habemus in Arianis, Eutychianis, Nestorianis, Monothelitis, Græcis, Lutheranis & Calvinistis, quos frænare Romani Pontifices non potuerunt absque Plenariorum Conciliorum celebratione. Patet hoc etiam Affricanorum rebaptizantium exemplo, qui ab errore divelli nequivere unius Stefani I. R. P. auctoritate, donec in Plenario Concilio error damnatus esset.

Nec refert si dicas: nolle quandoque hujusmodi hæreticos, & præcipuè Lutheranos & Calvinistas stare judicio Generalis Concilii. Primò, quia obstinata jam voluntas illa est, nullo sanè colore fulta. Secundò, quia non ita semper detrectarunt Calvinistæ, ideoque stare renuerunt, quia Concilium Tridentinum nedum pro Oecumenico non habent, sed meram politicorum hominum coitionem fuisse contendunt, ubi Pontifex ipse atque Italiæ Episcopi omnia subdolæ artis machinamenta tentarunt, ne salutaria decreta ad Ecclesiæ reformationem maximè necessaria conderentur.

Sunt alii etiam casus, in quibus extra necessitatem hujusmodi hæresis condemnandæ, necessaria est generalium Conciliorum celebratio.

Primus casus est: dum de Pontificatu contendunt plures electi: ac neuter alteri cedit, & ob hunc casum legimus Concilii Basileensis & Concilii Constantiensis celebrationem.

Secundus casus est: dum Natio integra a schismate revocanda

 est,

eſt , & ob id legimus celebratum Concilium Lugdunenſe II. & Florentinum.

Tertius caſus occurrit : dum Reformatio morum in capite & in membris fieri debet, ad quam faciendam legimus Tridentinum celebratum Concilium.

Quartus & ultimus caſus eſt, ſi Pontifex in hæreſim ut privatus Doctor incideret , aut pravis moribus ſuis Eccleſiæ ſcandalo eſſet citra ſpem correctionis. Tunc ad ejuſdem depoſitionem Concilium convocari poſſet ; quo tamen titulo nullum adhuc fuit celebratum Concilium ; ſed tolerandum ad breve tempus duxit Eccleſia, donec illum de medio tolleret Deus.

Abſoluta jam de Conciliis Theologica Tractatione : Poſtulat in præſentia ſuſcepti operis ratio, ut de Romanorum Pontificum auctoritate ſermonem inſtituamus. Erit itaque hoc ſequentis Diſſertationis argumentum.

DI-

DISPUTATIO SECUNDA
DE ROMANO PONTIFICE.

PRÆLECTIO I.

De Primatu D. Petri.

HAbitæ hactenus Tractationi de Conciliis potissimùm Oecumenicis, alteram nunc de Romano Pontifice Tractationem adnectimus: eo maximè titulo, quòd Ecclesia Catholica, quam viventem ac spirantem fidei Regulam demonstravimus, quemadmodum Conciliorum Oecumenicorum lingua loquitur, ita R. Pontificum ore de fide statuat, pronunciet atque decernat. Quia autem ita de Fide statuendi, pronunciandi, decernendi potestatem obtinet Summus Pontifex, propterea quòd Ecclesiæ Universæ sit caput, supremamque in ea auctoritatem exerceat; idcirco prima officii nostri ratio postulat, ut ejus in Ecclesia primatum, non honoris duntaxat & dignitatis, sed & jurisdictionis & potestatis pro viribus adstruamus; & contra nostræ hujus ætatis hæterodoxos tota animi contentione pugnemus. Illud verò cum ex altera quæstione pendeat, num scilicet D. Petrus Apostolorum princeps sit a Christo Domino institutus: (quem enim in cæteros Apostolos principatum obtinuit Petrus, eumdem in cæteros Episcopos obtinet Petri successor, R. Pontifex) idcirco ab ea quæstione de primatu D. Petri dicendi initium faciemus. Sit itaque prima hæc assertio nostra adversus hujus ætatis hæterodoxos.

Divus Petrus cæterorum Apostolorum Caput, Rector, ac Princeps a Christo D. datus est.

Nititur Catholica Veritas Oraculo Christi Domini *Matth. 16.* ubi cum Christum Dei filiùm Petrus confessus esset his verbis, *Tu es Christus, filius Dei vivi;* vices illi rependit Christus e vestigio subjungens: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves Regni Cælorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cælis.* Quibus verbis gemina D. Petri prærogativa notatur; Prima quòd super

ipsum

ipsum tanquam supra solidissimam petram ædificanda esset Ecclesia. Secunda quod claves Regni Cælorum esset accepturus. Quibus nil simile cæteris Apostolis dictum est.

Vix credas, quot anfractus & diverticula quærant Hæterodoxi, ut hujus Oraculi vim & pondus effugiant: sunt enim verò qui dicant, verba hæc, *& super banc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, non ad Petrum ipsum referri, sed ad Christum: quod is illa ipsa Petra sit, supra quam Ecclesia ædificata est, de qua 1. *ad Corint. cap.* 10. dicitur; *Petra autem erat Christus*. Quam interpratationem Augustinum dedisse ajunt *Serm.* 13. *de verbis Domini; & Tract.* 124. *in Joannem: Ecclesia fundata est super Petram, undè Petrus nomen accepit ..... Ideo quippe ait Dominus, super banc Petram ædificabo Ecclesiam meam ..... Petra enim erat Christus: super quod fundamentum etiam ipse ædificatus est Petrus. Fundamentum quippe aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus*. Quæ Apostoli verba sunt 1. *ad Cor. cap.* 3. Alii verba hæc, *super banc Petram ædificabo Ecclesiam meam;* non ad Petrum ipsum, sed ad fidem & confessionem Petri, quam paulò ante prodiderat, referenda putant; quod nempe fundata sit Ecclesia super fidem divinitatis Christi, quam Petrus antea professus erat, *Tu es Christus filius Dei vivi:* Quam interpratationem Petrum esse contendunt: maximè verò D. Hilarii *lib.* 6. *de Trinit.* S. Cyrilli Alexand. *lib.* 4. *de Trinit.* S. Joan. Chrysost. *bomil.* 55. *in Matthæum*.

Verùm suffugia ista præcludere non est admodum operosum. Ad Petrum enim laudata Christi verba illa referri, tota contextus series palam ostendit: ad ipsum quippe antecedentia & subsequentia verba apertissimè referuntur. *Beatus es Simon Barjona: quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Cælis est. Et ego dico tibi quia tu es Petrus, & super banc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Et tibi dabo claves Regni Cælorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cælis*. Fidei professionis merces illa fuit.

Implicata quoque, ac perturbata periodus esset, si vel ad Christum, vel ad confessionem fidei verba illa referrentur. Deinde Patres fermè omnes ita verba hæc ad Petri personam retulere, ut hoc ipso testimonio ducti, Petrum petram illam esse docuerint, super quam Christi ædificata sit Ecclesia; ut Origenes ab Eusebio relatus *lib.* 6. *cap.* 19. S. Basilius *in cap.* 2. *Isaiæ*, S. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 26. S. Joan. Chrysost. *bomil.* 2. de *pœnitentia in Psal.* 50. S. Cyrillus Alexandrinus *lib.* 2. *in Joan. cap.* 12. S. Epiphanius

phanius *hæresi* 59. *Tertullianus lib. de Præscript. cap.* 21. S. Hieronymus *lib.* 1. *adversus Pelag. cap.* 4. S. Hilar. *cap.* 16. *in Matth.* S. August. *in Psal.* 69. Leo Magnus *serm.* 2. *in Natali Apostolorum Petri, & Pauli*.

Futile verò est, quod ad cohonestandam utramque Lutheranorum & Calvinistarum interpretationem obtruditur. Neque enim necesse est, ut quoties *Petræ* nomen sacris in Litteris legitur, de Christo illico intelligatur, quia *Apostolus* 1. *Cor.* 10. de Patribus veteris Testamenti dixit: *Bibebant autem de Spirituali, consequente eos petra: petra autem erat Christus*. Ea enim figuratorum nominum conditio est, ut non eodem semper sensu usurpentur, sed sæpe diverso, prout diversa argumenti ratio postulat. Neque refert quod Christus & petra sit, & fundamentum Ecclesiæ: Ecquis nesciat? Sed aliter ille, aliter Petrus. Quare si qui Patres recitata verba, *& super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, ad Christum ipsum retulerunt, tanquam ad Petram angularem, Petrum propterea non excluserunt tanquam ministeriale Ecclesiæ fundamentum: ut patet de Augustino qui solet objici: ait enim *Enarrat. in Psal.* 69. *Petrus in illa confessione appellatus erat petra, supra quam fabricaretur Ecclesia*.

Non absimiliter Patres, qui hæc ipsa verba ad Petri confessionem retulere, quasi super confessionem a Petro factam ædificata Ecclesia sit, caussam moralem seu meritoriam judicarunt, cur Petrus a Christo sit electus, ut ministeriale fundamentum esset; Petri tamen personam subjectivam, ut ita loquar, hujus ædificii caussam non negarunt.

At nonne, inquies, Apostoli omnes Ecclesiæ fundamenta dicuntur ab Apostolo *ad Ephes.* 2. *superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu*. Sic sane fundamenta ministerialia sunt Apostoli omnes ratione doctrinæ ab ipsis prædicatæ: at inter ministerialia fundamenta præcipuum Petrus est ratione auctoritatis acceptæ supra cæteros universos. Si enim nihil hac in parte præ cæteris habuisset, distinctam ab aliis confessionis suæ mercedem non accepisset: cujus rei locupletissimus testis sit D. Hieronymus *lib.* 1. *contra Jovinianum: licet id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claves Regni Cælorum accipiant; & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur: tamen propter ea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto, schismatis tollatur occasio*.

Sed neque hic cavillationum finis est. Cavillantur etiam Hæterodoxi in reliquis Christi verbis Petro subjunctis. *Tibi dabo claves Regni Cælorum; & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum*

solutum & in Cælis. Ut nihil inde ad Petri primatum adstruendum colligere liceat. Inquiunt etenim, claves illas Petro datas esse totius Ecclesiæ nomine, cujus ille personam gerebat atque figuram: uti Patres passim affirmant, maximè verò D. Augustinus. *Tract.* 50. & 124. *in Joannem*.

Sit ita porrò, Claves Ecclesiæ nomine Petrus acceperit, Ecclesiæque figuram gesserit ea in occasione; non id tamen obest, quominus verè Claves acceperit. S. Augustinus enim *lib.* 15. *de Trinit. cap.* 26. Christum figuram Ecclesiæ gessisse ait, dum baptizatus est. Judam omnium impiorum figuram gessisse, dum tradidit Christum, *Enarrat in Psal.* 108. Joannem figuram gessisse Ecclesiæ triumphantis, dum supra pectus Christi recubuit. *Tract. ult. in Joan.* Imò *propter Apostolatus sui primatum gerebat figurata generalitate personam*. Ita August. *Tract.* 124. *in Joan.*

Quapropter dum Petrus claves accepit Ecclesiæ nomine, non accepit uti legatus aut Orator solet Civitatis alicujus claves recipere nomine Principis: sed uti Oeconomus Domus claves accipit, aut uti Præfectus aut Prætor Civitatis claves a Domino suscipit.

Instant tamen illi: Esto soli Petro claves ad ligandum solvendumque promiserit Christus, ubi tamen illas re ipsa dedit, non soli Petro dedit, sed Apostolis Universis. *Matth.* enim 18. *v.* 18. omnibus Apostolis in commune a Christo dictum est: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælo.*

Sic sanè dedit universis, ita tamen ut illis cum quadam ad Petrum subordinatione uterentur; uti Patres passim agnoscunt, qui Petrum claves accepisse ajunt, *cæteris Apostolis communicandas*. Ita Optatus Milevitanus *lib.* 7. *contra Parmenianum*, & S. Leo Magnus *serm.* 2. *in Natali Apostolorum Petri, & Pauli*.

Alterum cui Catholica veritas innititur Oraculum extat *Joan.* 21. ubi cum Christus ter Petrum interrogasset: *Simon Joannis diligis me plus his?* Isque toties respondisset. *Domine, tu scis quia amo te:* toties quoque subjunxit Christus: *Pasce agnos meos, pasce oves meas*. Quibus verbis non simplicium duntaxat fidelium curam Petro commissam Patres agnoscunt, quos *agnorum* nomine designatos dicunt: sed & ipsorum Apostolorum quos nomine *ovium* indigitatos existimant; præsertim S. Joannes Chrysostomus & Theophylactus in hunc locum; S. Ambrosius *lib.* 10. *in Lucam ad cap.* 24. S. Gregorius Magnus *lib.* 4. *Registri Epist.* 32. S. Bernardus *lib.* 2. *de consider. cap.* 8. Idque ipsa quoque ratio postulat. Cum enim Christus, antequam pascendi auctoritatem largiretur, a Petro ter requisierit, num ipsum præ cæteris diligeret; argumento est, voluisse illi auctoritatem concedere, cæteris superiorem: porro cæteri Apo-

Apostoli auctoritatem fideles pascendi in commune recepere. Concludendum est igitur, Petrum nedum fidelium omnium curam, sed & ipsorum Apostolorum gessisse.

Hæc idem evincunt variæ prerogativæ Petro concessæ, de quibus passim sermo fit sacris in Litteris. 1. nominis immutatio, & mystica significatio, *Joan. 1. Tu es Simon filius Jona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus*. Cæphas Syriacè petram sonat, græcè autem caput. 2. in quavis Apostolorum recensione Petrus primo semper loco ponitur. 3. Concilium Jerosolymitanum convocavit, in quo quæstio de legalibus soluta est, primusque sententiam dixit. 4. Alterius Apostoli in locum proditoris electionem, fidelium cætui proposuit. 5. Primis Ecclesiæ sæculis eæ solum Sedes Patriarchales habitæ sunt, quæ a Petro sunt institutæ: Romana, Antiochena per sese, Alexandrina per Marcum Discipulum suum. 6. Quod Romana Ecclesia, quam Petrus ultimò occupavit, omni retro ætate semper habita sit tanquam mater & caput omnium Ecclesiarum, & centrum Unitatis Ecclesiasticæ. Ita Cyprianus *de unitate Ecclesiæ*. S. Hieronymus *lib. 1. contra Jovin. cap. 14.* Optatus Milevitanus *lib. 2. contra Parmenianum*.

Quæret fortassis curiosus aliquis ex me, apta ne sit, atque concinna ea loquendi formula, *Tibi dabo claves, & quodcumque ligaveris erit ligatum & in Cælis*; Cum clavium usus non sit ad solvendum atque ligandum; sed ad claudendum & aperiendum? Responsio in promptu est.

Non fuisse olim portarum seras in eum modum aptatas, quo communiter sunt in præsenti: sed fuisse seras catenarias, seu seras catenis quibus januæ claudebantur, tum obstringendis, tum laxandis aptatas. Quare clavium usus perinde tunc erat & ad ligandas solvendasque catenas, & ad claudendas aperiendasque januas: imò non aliter claves illæ claudebant, aperiebantque Januas, quam quia ligabant solvebantque catenas.

Nunc re tota bono in lumine posita, & D. Petri primatu validissimis fundamentis asserto; illi modò audiendi veniunt, qui eum Sacrarum Scripturarum Oraculis, Patribus, & prisca Historia impetere moliuntur. Quæ tamen cum peculiare criterium postulent, idcirco in sequentibus mittimus examinanda.

PRÆLECTIO II.

Satisfit Objectis ex Scriptura Sacra, Patribus, & prisca Historia petitis contra D. Petri primatum.

IN Scenam hodie veniunt nostræ hujus ætatis hæterodoxi, qui quòd in Romanos Pontifices virus excoquunt, in D. Petrum primo omnium effundunt: eo quod persuasum illis sit, suprema auctoritate exutum iri Romanos Pontifices, si ea exutus fuerit D. Petrus. Itaque nulla D. Petrum in cæteros Apostolos auctoritate valuisse, primatum in illos nullum a Christo Domino suscepisse, momentis longè multis evincere satagunt, partim ex sacris Litteris delibatis, partim ex veterum Patrum suffragatione petitis, quæ nos si Deus dederit, breviter expediemus: ac primum a sacris Litteris petemus exordium.

Palmare illis videtur momentum esse, quòd *Lucæ* 22. legimus: *Facta est autem & contentio inter eos*, nimirum Apostolos, *quis eorum videretur esse major*. Quos Christus his verbis increpavit: *Reges Gentium dominantur eorum; & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic: sed qui major est in vobis, fiat sicut minor: & qui præcessor est, sicut ministrator.*

Ad cujus momenti confutationem sat esset, si dicerem: quòd dum eos Christus iis verbis obortam inter sese contentionem increpuit, nondum Petro collatus erat primatus, sed promissus duntaxat: Adderem etiam obortam contentionem inter Apostolos fuisse de primatu meritorum, & excellentia virtutis, minimè verò de primatu jurisdictionis, & auctoritatis, de qua contendimus.

Sequitur de proximo momentum illud alterum ex illa increpatione desumptum Petro ab Apostolo Paulo facta, quæ legitur *in cap. 2. ad Galatas; In faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.* Si solus igitur superior potest corripere inferiorem; tantum abest, ut Petrus cæteris superior fuerit, ut inferior potius cæteris omnibus dicendus sit.

Quis quæso non ilia risu quatiat, ubi tam absurdas consecutiones à feriis disputationibus efici videt.

Quid enim vetat non posse aliquando inferiorem Superiorem etiam corripere ex officio charitatis? Quod adeo verum in illa Pauli Apostoli increpatione Petro facta, ut Patres ex ea correptione Petri humilitatem commendaverint, qui inferioris correptionem non detrectavit. *Ecce*, inquit Gregorius Magnus *lib.* 2. in Ezechielem

homil.

homil. 18. *à minore suo reprehenditur, & reprehendi non dedignatur. Non ad memoriam revocat, quod primus in Apostolatum vocatus sit, non quod claves regni cœlestis acceperit.* Cui adstipulantur S. Cyprianus *Epist.* 71. *ad Quintum*, & S. Augustinus *Epist.* 82. *ad Hieronymum.*

His adjungitur tertium; quòd Petrum inter & Paulum Jurisdictio divisa fuerit, ut ille Judæorum, iste Gentilium curam haberet, *ad Galat.* 2. *Creditum est mibi Evangelium præputii, sicut & Petro circumcisionis; qui enim operatus est Petro in Apostolatum Circumcisionis, operatus est & mibi inter gentes.* Quis igitur dicet, superioritatem omnem supra cæteros Apostolos Petro fuisse concessam, si divisam cum Paulo habebat jurisdictionem?

At hujus momenti nugacitatem facilè quisquis aprehenderet, si videlicet observaret, Petrum fuisse Apostolum Judæorum, Paulum autem gentium, non divisione jurisdictionis, sed sortis. Nam ut celeriùs posset Evangelii lumen universis gentibus affulgere, Terrarum orbem Apostoli inter sese partiti sunt; Petrus ergo Judæos, Paulus verò gentes imbuendas suscepit, ita tamen ut uterque sin minùs sorte, saltem jure tam Judæorum quam Gentium Apostolus diceretur. Hoc ex eo maximè liquet, quod Petrus etiam Gentilibus prædicavit; uti Petrus ipse testatur. *Act.* 15. *Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire Gentes verbum Evangelii, & credere.* Petrus igitur ideo circumcisionis Apostolus dictus est, quia sorte obtigit ipsi, Judæos Christi fide imbuendos; nec immeritò hæc prima sors debebatur Petro: nam quemadmodum Christus missus est primùm ab æterno Patre ad oves, quæ perierant domus Israel; ita & Vicarius Christi primò ad Judæos missus est, cum Judæi præsertim a Paulo veluti radix & olea dicti sunt, Gentes velut oleastrum in olivam insertæ. Undè sors illa omnium dignissima Petro delata est, ut ille radicem atque olivam ipsam coleret; alii novos quasi surculos in Petri olivam insererent. Quinimò liquet & Paulum *capitibus* 13. 14. 17. & 18. *Actuum Apostolorum* quantumvis ad Gentes missum, in Synagogis Judæorum frequentissimè evangelizasse. Ex Paulo ipso Constat hoc maximè *cap.* 13. *v.* 46. Judæis dicente: *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud .... ecce convertimur ad Gentes.*

Postremum ex sacris Litteris delibatur inficiale argumentum, quo Petri primatus videtur labefactari. Apostolus enim *ad Ephesios* 4. & 1. *ad Corinth.* 12. Omnes Ecclesiasticæ Hierarchiæ gradus recensens atque describens, nuspiam meminit unius capitis, unius præsidis, unius Rectoris, qui cæteros regat universos: Imò totius corporis Ecclesiastici unitatem probans; ex unitate Christi Domini, ex uni-

tate fidei, ex unitate Spiritus, ex unitate Baptiſmi momentum repetit, nuſpiam tamen ex unitate capitis Viſibilis: *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem ſanctorum*. Cum enim eo loci diſtinguat Apoſtolus varios ordines per ea, quæ ſunt propria cujuslibet ordinis: cumque ratio capitis non ſit propria Ordinis Apoſtolici ſeu Epiſcopalis; quia Petrus eſt Caput non ſolum Apoſtolorum ſeu Epiſcoporum, ſed totius Eccleſiaſticæ Hierarchiæ; ideo Apoſtolus in ea graduum omnium Eccleſiaſticæ Hierarchiæ deſcriptione nuſpiam meminit unius capitis, unius Præſidis, unius Rectoris.

Quid ni dicamus ad uberiorem hujuſce argumenti confutationem: Ex hoc quod Unitas Eccleſiæ probetur ex unitate Chriſti, qui caput illius eſt principale atque inviſibile; non eſt ultra neceſſe ut probetur ex Unitate Capitis miniſterialis atque viſibilis.

En plenam expeditamque primi propoſiti Enigmatis ſolutionem.

Quod verò ex ſacris Litteris evincere nequeunt noſtræ hujus ætatis Hæterodoxi. (Petrum ſcilicet Apoſtolici Ordinis caput a Chriſto non fuiſſe inſtitutum) id ex Patrum auctoritate, ac priſca Eccleſiæ hiſtoria extundere moliuntur. Quare non pauca Veterum Patrum ſuffragia congerunt, quibus labefactari primatus Petri videri poteſt, niſi in rectum ſenſum exponantur: quod noſtræ nunc curæ erit, atque induſtriæ.

In D. Cypriani verbis delicias faciunt Proteſtantes lib. de *unit. Eccleſ. Hoc erant utique & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi, & honoris, & poteſtatis*.

Miror vafros homines hærere in media D. Cypriani periodo, & cætera quæ ſequuntur ſilentio præterire, addit enim SS. Doctor: *ſed exordium ab unitate proficiſcitur, & primatus Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia, & Cathedra una monſtretur*. Ex quibus profectò colligitur, primatum aliquem ſuper reliquos Apoſtolos Petro fuiſſe datum, quamvis eſſent aliunde paris honoris & poteſtatis. Ad rectam igitur D. Cypriani intelligentiam, duplex in Apoſtolis poteſtas diſtinguenda eſt; altera Apoſtolatul intrinſeca ac veluti eſſentialis, alia extrinſeca & accidentaria. Poteſtas intrinſeca Apoſtolatus, eſt poteſtas prædicandi Verbi Dei, Eccleſias fundandi, Sacramenta miniſtrandi: Poteſtas extrinſeca & accidentalis poſita eſt in ordine ac diſpoſitione regiminis, plenitudine & excellentia poteſtatis ad regimen univerſale. Cyprianus enim citato in loco intellexit, Petrum ejuſdem honoris eſſe & poteſtatis ac cæteros Apoſtolos, quoad poteſtatem intrinſecam Apoſtolatus, quæ æqua erat in omnibus, ſecus verò quoad poteſtatem extrinſecam & accidentalem, in plenitudine poteſtatis ad regimen univerſale ſpectantem, poſitam,

quæ

quæ soli Petro concessam sequentibus verbis palam apertèque enunciavit. Instant nihilominus Adversarii. Docet *eodem libro de unitate Ecclesiæ* Cyprianus, Episcopatum seu Apostolatum unum esse, cujus pars a singulis tum Episcopis tum Apostolis possidetur in solidum. Nihil ergo plus habuit Petrus quam cæteri Apostoli.

At obvia responsio est. Episcopatus seu Apostolatus unus est, ut ita dicam, specie, cujus pars a singulis Apostolis tenetur in solidum, non tamen æquo jure, eademque plenitudine: eo planè modo quo in Senatu judicandi potestas una est universis judicibus a Rege data, cum tamen plenitudinem & excellentiam potestatis solùm penes Regem esse dicatur.

Non leve quoque præsidium petunt ex D. Ambrosio *lib. de Incarnationis Dominicæ mysterio cap.* 4. ubi de Divo Petro sic habet: *Statim loci* (Petrus) *non immemor sui, primatum egit. Primatum confessionis utique; non honoris: primatum fidei, non ordinis.*

Quibus perinde reponimus, D. Ambrosium eo loci loqui de Petro, quo tempore nondum erat a Christo Domino Apostolorum Princeps constitutus, imò nec designatus, sed dum solemnem fidei confessionem edidit. Quodque notandum magis & ad rem nostram maximè facit; agnoscit Ambrosius D. Petrum ea solemni fidei professione viam sibi paraffe ad primatum Ordinis obtinendum: *Hic est ergo Petrus, qui respondit præ cæteris Apostolis, imò pro cæteris; & ideò fundamentum dicitur*. Et in *cap. ult.* Lucæ: *Et ideò quia solus* (Petrus) *profitetur ex omnibus, omnibus antefertur*.

Jactant Protestantium aliqui D. Clementis auctoritatem ab Eusebio recitatam *lib.* 2. *hist. Ecclesiast. cap.* 1. qua primatus; si quis fortè inter Apostolos fuit; Jacobo potius adscribitur, quam Petro. *Petrus enim, & Jacobus, & Joannes, post ascensionem Salvatoris, quamvis ab ipso fuerint omnibus penè prælati, tamen non sibi vindicabant primatus gloriam, sed Jacobum, qui dicebatur Justus, Apostolorum Episcopum statuunt*. En tibi Jacobum cæteris prælatum Apostolis. Cui concinere videtur, quod habet Hesychius in *Orat.* in *Jacobum fratrem Domini*, cujus fragmentum extat *in Bibliotheca Photii Cod.* 275. ubi Jacobum *Apostolorum caput, & in capitibus verticem dicit*.

Respondeo ad primum: Ita siquidèm haberi in Codice Basileensi Versionis Ruffini; at mendosus est Codex, ut Valesius observavit, & loco verborum illorum, *Apostolorum Episcopum statuunt*, legendum est *Jerosolymorum*. Unde Nicephorus Callistus, qui locum illum Eusebii descripsit *lib.* 2. *hist. cap.* 3. *Jacobum justum*, inquit, *Episcopum Jerosolymorum legerunt*.

Quod

Quod verò ad Hesychium pertinet, dico: id ab Hesychio Patriarcha Jerosolymitano oratorio more esse dictum, ut Jacobi laudes exaggeraret. Nisi fortè eo sensu Jacobum *Apostolorum caput* appellavit, non quod illis ipsis caput esset, sed quod ab ipsis institutus esset caput Jerosolymis, dum illic adhuc Apostoli degerent. De cætero ignorare non poterat Hesychius Jerosolymitanus Episcopus, sedem suam a D. Jacobo occupatam, ultimum inter Patriarchales locum sæculo V. quo vivebat ipse, tenuisse.

Nusquam tamen tibias suas altiùs inflant Protestantes, quàm dum Paulum Petro æqualem in potestate fuisse conantur evincere, ut vel hoc pacto Petri in cæteros Apostolos primatum evertant. Et quidem Paulum perinde ac Petrum Apostolum & *Episcopum Romæ*, *Ecclesiarum caput ac Principem* dicunt S. Irenæus *lib.* 3. *adversus hæreses cap.* 3. S. Epiphanius *hæresi* 27. S. Joannes Chrysostomus *hom.* 32. *in Epist. ad Rom.* S. Leo *Serm.* 1. *de Natali Apostolorum cap.* 1. S. Gregorius Magnus *lib.* 1. *Dialogorum cap.* 12. S. Maximus Taurin. *Hom.* 5. *in eorum festo.*

Imò Romani ipsi Pontifices *successores se Petri & Pauli* nonnumquam appellant in diplomatibus. Quin etiam in antiquis RR. Pontificum sigillis utriusque Apostoli effigies exprimuntur; ita tamen ut dextram interdum partem obtineat Paulus, Petrus sinistram.

Iis tamen occurrere non est admodum operosum: si nempe dicamus Petrum & Paulum ex æquo fuisse Apostolos Romæ; si in Apostolatu spectemus docendi munus, non si spectemus auctoritatem regendi, seu ut antea dicebamus, si essentialia Apostolatus munia, non si accidentaria spectemus.

Non absimiliter intelligendum, fuisse Petrum & Paulum ex æquo Romanæ Urbis Episcopos, si de universali Episcopatu sermo sit, secus si de singulari atque locali, tum voluntate delecto, tum sortitione quæsito.

Sic ergo dum Romani Pontifices vocant se Petri simul & Pauli successores, ita intelligunt, quia Ecclesiam Romanam perinde docuere Petrus & Paulus, & extraordinariam jurisdictionem illic Paulus exercuit, dum ordinariam Petrus exerceret.

Quod autem in Pontificum sigillis amborum Apostolorum effigies exprimantur, non probat fuisse illos ex æquo illius Urbis Episcopos; sed peculiares illius Ecclesiæ protectores. Sigillo certè suo SS. Gervasii & Protasii conjunctas effigies insculpi jusserat S. Carolus Borromæus, nec per hoc decessores in Mediolanensi Archiepiscopatu suos ideo agnoscebat, sed singulares tantum apud Deum patronos, ut adjuncta innuebat inscriptio: *Tales ambio defensores.*

Quod verò in iis sigillis Paulus sæpiùs dextram occupet, Petrus sini-

sinistram, non evincit, Paulum dignitate majorem esse Petro, imò veriùs oppositum : quia juxta priscum Ecclesiæ usum, sinistra manus honoratior habebatur; & certè in septima Synodo Oecumenica *Act.* 4. Sophronius Patriarcha Jerosolymitanus refert, admirabilem vidisse imaginem, quæ Christum in medio, Deiparam Virginem a sinistris, & S. Joannem Baptistam a dextris præseferebat ; neque ex eo colligebatur, Præcursorem Baptistam B. Virgini coæquandum.

Hac sanè ratione Dioscorus in Concilio Chalcedonensi licet damnandus, dextram tenebat, legati verò S. Leonis sinistram.

Ob hanc sopivit Otto Apostolicæ Sedis Legatus contentionem obortam inter Cantuariensem Archiepiscopum a dextris Legati sedentem, & Eboracensem a sinistris in Londoniensi Concilio sub Gregorio IX. celebrato anno 1237.

Quæ cum ita sint omnia, quis non videat vel mediocriter sapiens, Petrum auctoritate, potestate, jurisdictione cæteris aliis Apostolis fuisse superiorem.

Succedit nunc altera de RR. Pontificum primatu agitanda salebrosissima quæstio, quæ uti audacissimorum Protestantium genio magis arridet, ita & ab iis majori animorum contentione impugnatur.

PRÆ-

PRÆLECTIO III.

De Primatu Romani Pontificis.

ACturi nunc de primatu Romani Pontificis, potissimam suscepti operis partem executi sumus. Ex quo enim Petrum primatum in cæteros Apostolos a Christo Domino obtinuisse demonstravimus; illud profectò reliquum est, ut & Romanus Pontifex Petri successor, primatum quoque teneat supra Episcopos universos, cæterorum Apostolorum in Ecclesiæ regimine successores. Cum enim Christus Ecclesiam instituerit, ad finem usque sæculi duraturam: regiminis quoque formam instituit, quæ non solo Apostolorum tempore perduraret, sed ad usque sæculi finem: perdurare autem forma illa non potest, nisi & Petri & Apostolorum successores eum inter sese ordinem teneant, quem illi primitus tenuerunt. Probato itaque Petri primatu in cæteros Apostolos, Romani quoque Pontificis in Episcopos omnes primatus assertus est.

Idcirco Ecclesiæ Patres omnium sæculorum non alio meliori titulo, Romani Pontificis in reliquos Episcopos, totamque idcirco Ecclesiam, primatum asseruerunt, probarunt, ac demonstrarunt, quàm quòd Romani Pontifices D. Petri in Romana Sede tenenda sint successores. Qua de re legendi sunt S. Cyprianus *Epist.* 41. 45. 55. Optatus Milevit. *lib.* 2. *contra Parmenianum*, *Tom.* 4. S. Hieronymus *Epist.* 57. *ad Damasum*. S. Petrus Chrysologus *Epist. ad Euticbetem*, S. Augustinus *Epist.* 55. *aliàs* 165. *ad Generosum*, & D. Bernardus *lib.* 2. *de Consider. cap.* 8.

Quamquam autem ex jacto jam positoque principio, primatu scilicet D. Petri, veritas ipsa, quam nunc habemus in manibus, satis superque probata maneat; Non ita morosi sumus, quin eundem novis iisque invictis probationibus muniamus.

Primaria illa probatio est, quæ ex capitis alicujus necessitate petitur. Si quod enim totius Ecclesiæ visibile caput est, in omnia illius membra primatum & auctoritatem exercens, illud certè Romanus Pontifex debet esse, aut planè nullus erit: Nemo quippe est, qui hunc sibi titulum arroget præter ipsum; nemo in quem capitis notæ meliores conspirent: Quod neque Protestantes ipsi diffitentur. Porro unum totius Ecclesiæ caput visibile esse oportere, quod præsit omnibus, sexcenta momenta evincunt.

Probat hoc primò optima regiminis forma a Christo D. instituta,

tuta, quæ certò certiùs haberi non posset, ni præesset unus, qui cæterorum esset Rector, moderator & Arbiter.

Liquet etiam exemplo Synagogæ, cui ab Aarone semper unus sacrorum Præses Summus Pontifex præfuit. Verisimile ergo non est, Christum Ecclesiæ in nova lege negasse, quod in veteri Synagogæ concessit.

Confirmat vel maximè, quod *Cant. 6.* legamus, Ecclesiam esse castrorum aciem ordinatam. Qui ordo quæso esse posset, ni unus Dux esset, qui cæteros potestate & jurisdictione antecelleret?

Hujus probationi limpidissimum etiam videtur esse, quod legitur *Lucæ* 12. Ecclesiam unam veluti familiam existere: *Quis putas, est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam*. Quis porro nisi Pontifex fidelis hic Pater, prudens, & dispensator dici poterit, supra familiam suam a Christo Domino constitutus, qui hanc regeret & gubernaret?

Accedit ad Romani Pontificis primatum adstruendum probatio facti ex prisca Ecclesiæ disciplina. Liquet enimverò, jam a primis Ecclesiæ sæculis, ac diu ante quam Oecumenica Concilia in Ecclesia celebrarentur, Romanos Pontifices jura primatus omnia exercuisse, nemine reclamante ac repugnante. Dixi antequam Oecumenica Concilia celebrarentur: ne quis fortè reponat, ea jura fuisse illi ab Ecclesia collata, non a Christo ipso concessa.

Constat itaque primò, fidei controversias tam in Oriente, quam in Occidente obortas Pontifices diremisse, utque supremos Judices judicasse: uti fecere Victor, & Stephanus in causa Asiaticorum, & Africanorum, & uti in causa S. Dionysii Alexandrini Dionysius R. P.

II. Constat excommunicandi auctoritatem ubivis Pontifices exercuisse; imò & rescindendi quandoque sententias excommunicationis, ab aliis Episcopis latas, ut constat ex causa Montanistarum, quos Episcopi Phrygiæ damnarunt; quos tamen in suam communionem recipere R. P. deliberavit.

III. Liquet appellationes inferiorum Episcoporum recepisse, ac judicasse; Episcoposque ac etiam Patriarchas ab iniquis Judicibus male dejectos restituisse, ut constat ex factis S. Athanasii Patriarchæ Alexandrini; Pauli Episcopi Constantinopolitani; Marcelli Ancyrani Asclepæ Gazensis, quos iniquè deposuerant Ariani, Julius verò Pontifex suis sedibus restituit. Facti item S. Joannis Chrysostmi, quem Innocentius I. suæ sedi restituit, & Eustatii Sebasteni a Concilio Melitinensi in Armenia dejecti, quem Liberius restituit. Nec alia sanè de causa 27. error Vvicleffi in Concilio Constantiensi damnatus fuit, nisi quia, non esse scintillam

 appa-

apparentiæ, quòd oporteat unum esse caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum ipsa militante Ecclesia converfetur & conservetur, temere proposuerat.

De inferioris ævi appellationibus nihil addo, ne quis, ut paulò ante præmonui, reponat, ea jura non fuisse Pontifici a Christo concessa, sed ab Ecclesia collata.

Temperare tamen mihi non possum, quin hìc in antecessum occupem quamdam Protestantium calumniam, ad quam demum confugerunt, ut Romani Pontificis primatum, ab ipso veluti fundamento concuterent. Inquiunt scilicet ii: Idcirco maximè Romani Pontifices primatum obtinere dicuntur, quod Petri in Sede Romana sint successores: At non sunt illi profectò Petri in Sede Romana successores; cum nec Romæ quidem fuerit aliquando Petrus. Undè volitat apud illos scomma illud contra Romanos: *an Petrus Romæ fuerit, sub Judice lis est: Simonem Romæ nemo fuisse negat*. Quare ut suffugium illud insulsamque calumniam occupem, Petrum re ipsa fuisse Romæ paucis evinco: remque non esse sub Judice, palam ostendo.

Habetur itaque primò, primam Petri Epistolam Romæ fuisse scriptam, quam figurato Babylonis nomine designat. *Salutat vos*, inquit *cap.* 5. *Ecclesia, quæ est in Babylone collecta, & Marcus filius meus*. Quo Babylonis figurato nomine Romam intelligi, Patres communiter docent; S. Hieronymus in *Catal.* Eusebius *lib.* 2. *hist. Ecclesiast. cap.* 5. Tertull. *lib. adversus Judæos cap.* 9. S. Augustinus *lib.* 18. *de Civit. cap.* 22. Ea maximè ratione, quod Joannes in *Apocalypsi cap.* 17. Babylonem illam dicat sedere super septem montes, & habere Regnum super Reges terræ. Quæ peculiares notæ Romanæ Urbis existunt.

Et certè Babylon illa, ubi Petrus scripsit Epistolam illam, non potest esse vera Babylon Assiriorum. Siquidem ex Josepho *lib.* 18. *antiquit. Judaic. cap.* 12. constat, Judæos omnes, (quo tunc nomine Christiani censebantur) ad unum illinc a Cajo Augusto fuisse expulsos. Nec potest esse Babylon Ægyptiorum; quæ tunc obscurus planè locus erat, nec oppidi nomine dignus: ut monet Strabo *lib.* 17.

Huic robur addit, quod legimus apud Patres sanctitate & doctrina celebratissimos: nimirum Petrum Romæ de Simone Mago triumphum reportasse, uti liquet ex P P. Arnob. *lib.* 2. Hegesippo *lib. de excidio Urbis Romæ cap.* 3. S. Cyrillo Hierosolymitano *Catech.* 6. S. Hieronymo in *Catal.* S. Augustino *lib. de hæres. cap.* 1. Severo Sulpitio, Theodoreto, Isidoro Pelusiota.

Confirmat hoc vel maximè, D. Marcum Evangelium Romæ scripsisse, prout ibi Petrum prædicantem audierat, ita S. Clemens

Alex.

Alex. in *libro hypotiposeon*, Eusebius *lib.* 2. *hist. cap.* 14. S. Hieronymus in *Catal.*

Quid plura? Petrum *Romæ Episcopum* disertissimè vocant: Irenæus *lib.* 3. *cap.* 3. S. Epiphanius *hæresi* 27. S. Leo *Serm. de SS. Apostolis*. Orosius *lib.* 7. *cap.* 4. Eusebius *lib.* 2. *hist. cap.* 13.

Accedit alterum observatione dignissimum: Romæ fuisse Ecclesiam florentissimam, dum suam Paulus Epistolam ad Romanos scriberet, ait enim *cap.* 1. *Gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis: quia fides vestra annunciatur in universo Mundo*. Quo certè tempore nondum illic venerat Paulus: *Nolo autem vos ignorare fratres: quia sæpe proposui venire ad vos (& prohibitus sum usque adhuc) ut aliquem fructum habeam & in vobis, sicut & in cæteris gentibus*. Quis autem Ecclesiam illam fundaverat, instituerat nisi Petrus?

Quin etiam, quod notandum magis, quotquot Petrum martyrio affectum scripsere Patres, Romæ passum notarunt. Tertullianus, Egesippus, S. Athanasius, Lactantius, Theodoretus, Hieronymus, Ambrosius, Paulus Orosius, Augustinus, Gregorius Magnus, aliique bene multi.

Plura addere facilè possem, sed jam satis sit probationum. Audiendi nunc protestantes in oppositum adnitentes, qui ut hoc fidei caput impugnent, utque magis suam perfidiam sustineant, multa hinc indè congerunt momenta, quæ cum a nobis intra breve spatium expediri atque refelli omninò non possint: idcirco istud operis in sequentem Dissertationem polemicam mittimus majori otio perficiendum.

PRÆLECTIO IV.

Adversariorum Momenta refelluntur.

Nihil est tam invictis momentis assertum, quod si adsit ingenium, impugnari non possit; maximè si ingenio furor & rabies arma ministrent. Id ut in omni polemica Controversia facilè comprobatur, multò magis in ea, in qua de primatu R. Pontificis quæstio vertitur. Mirum quàm multa undequaque congerant protestantes, ut hoc fidei nostræ caput, tametsi sexcentis momentis assertum, oppugnent; quæ nos ad certa capita revocabimus, ut refelli commodiùs possint, ac nunc quidem, quæ ex Patribus petunt, diluemus loco primo, cætera postmodum expediemus.

Ex Patribus vim potissimam repetunt ex D. Cypriano, qui cum litibus commissus olim fuerit cum Stephano I. R. P. occasione celeberrimæ controversiæ de rebaptizandis hæreticis, duriùs quoque de Romanorum Pontificum auctoritate locutus videri potest. Quid itaque rei sit videamus.

Is Epistola ad Quintum ita præfatur, *nemo quisquam nostrum Episcoporum se Episcopum constituit*: Quomodo igitur Pontifex, subjungunt Protestantes, Episcopus Episcoporum vocabitur.

At perperam id contra R. Pontificis primatum detorquetur, quod de cœtu Episcoporum Africanorum est dictum in Concilio Carthaginensi. Ea enim loquendi formula voluit innuere Cyprianus, nullum Episcopum in Carthaginensi Concilio adactum fuisse, ut propositæ de hæreticorum rebaptizatione sententiæ faveret; sed quemquam liberè de proposito argumento sententiam dixisse: *superest*, (SS. Doctoris verba sunt hæc) *ut de hac ipsa re singuli, quid sentiamus, proferamus, neminem judicantes.... neque enim quisquam nostrum Episcoporum se Episcopum constituit.*

Instant nihiloseciùs fervidi Argutatores: Episcopos a solo Deo judicari posse contendit D. Cyprianus eadem illa epistola his verbis: *Expectemus universi judicium Domini nostri Jesu Christi, qui unus & solus habet potestatem & præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione, & de actu nostro judicandi*. Porro subjungunt hi: si R. Pontifex primatum auctoritatis, & potestatis haberet, posset ille de cæterorum Episcoporum actibus judicare: si igitur solus Deus potest Episcopos judicare, remanet cum Cypriano concludendum, primatum nullum in Episcopos Pontifices obtinere.

Sed

Sed nec istud ad præsens institutum est opportunius; Ea dicendi ratione Cyprianus intelligit, a solo Deo Episcopos judicari posse quoad occultam cordis intentionem, quam quisque Episcopus ad Synodum vocatus sibi in ferenda sententia proponit, seu ut passim ait Augustinus *in iis quæstionibus, quæ nondum eliquatissima perspectione discussæ sunt*; non quoad actus manifestos & exteriores; Quod adeo verum, ut ipsemet Stephanum I. hortetur *Epist. 67.* ut Marcianum Arelatensem Episcopum, qui ad Novatianos defecerat, in ordinem redigat, aliumque ejus loco sufficí jubeat. *Dirigantur* (hoc pacto ad Pontificem scripsit Cyprianus) *in Provinciam, & ad plebem Arelate consistentem à te litteræ, quibus abstento Marciano alius in locum ejus substituatur.*

Difficultatem videtur habere longè majorem, quod non ex S. Cypriano tantùm, sed ex aliis quoque Patribus opponunt: Episcopos scilicet Petri quoque successores esse, Ecclesiamque super universos Episcopos esse fundatam. Quæ loquendi formulæ extant tum apud Cyprianum *Epist.* 27. Tum apud D. Hieronymum *Epist.* 5. S. Ephrem Syrum *Orat. de laudibus Basilii Magni*, & apud S. Gaudentium Brixiensem Episcopum *Oratione in die suæ Ordinationis.* Quomodo igitur, concludunt hi, supremam in Episcopos potestatem habere Pontifices poterunt ex eo quod Petri successores sunt, si & Episcopi Petri successores dicantur?

Cui perinde reponimus, Episcopos indirectè & collateralis successionis jure Petri successores vocari, cum solus Petrus Ecclesiastici Ordinis, nec non potestatis in omnes Episcopos derivatæ fons & origo fuerit. Directè tamen & successionis jure unus Pontifex dicitur, cum hic totius Ecclesiæ caput visibile, quod præesset omnibus, fuerit a Christo Domino constitutus.

Cæterùm ad solutionis cumulum adderem ego. Do ultroque concedo, Episcopos esse Apostolorum indeque successores Petri. Nego tamen eam æque extensam habuisse Episcopos potestatem, quam habuerunt Apostoli, eorumque successores Pontifices. Legimus enim eorum auctoritatem nullis unquam sedibus definitam, nullis provinciis circumscriptam. Potestatem verò quam habent Episcopi, semper & ubique intra Diœcesium suarum cancellos arctatam. Iis auctoritatem regendi universalem Ecclesiam concessam, *Euntes in mundum Universum Marci 16.* Istis certas orbis portiones, & certos Greges commissos: *Attendite vobis* inquit Paulus *Act.* 20. *& universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Hac certè de causa Chrysostomus a Theophilo, & Episcopis Egypti vexatus, graviter apud Innocentium I. R. P. conquestus fuit *Epist.* 1. Quod præter fas & æquum de Constantinopolitano Episcopo judicium ferre præsum-

sumpserint: *Neque enim congruum est, ut hi, qui in Egypto sunt, judicent eos qui in Thracia*. Verba Chrysostomi sunt.

Hoc fuit, quòd ab Apostolicis temporibus usus invaluit, ut Metropolitæ & Patriarchæ ipsi certas haberent constitutas provincias vel Diæceses, quas regerent, nec in aliis jus suum extenderent; quam ob rem inhibitum legimus in Concilio Nicæno *Can.* 15. ne Episcopus a Civitate in civitatem transiret. Facessant ergo nugaces & malenati Circulatores.

Eadem fermè via solvitur, quod ex Patribus longè multis opponi solet: maximè ex D. Ignatio Martyre *Epist. 9. ad Philadelphienses*, & S. Alexandro Patriarcha Alexandrino in *Epist. Encyclica*: nimirum Episcopos universalis Ecclesiæ curam habere.

Sic quoque *Vicarii Christi* plerumque dicuntur a D. Cypriano *Epist.* 55. & D. Bernardo *Epist.* 42. & Ivone Carnotensi *Serm.* 3. *de consec.* sed non æquo jure cum Romano Pontifice. Quisque enim Christi vices gerit in peculiari sua Ecclesia: R. vero Pontifices in Universa. Quid quod ipsi quoque simplices Sacerdotes Vicarii quoque Christi dicuntur ab Hormisda R. P. *Epist.* 25. ad universos Hispaniæ Episcopos; a Carolo M. *in fragmento de ritibus Ecclesiæ;* & a Concilio Carisiaco anni 818.

Quare injuriam Episcopis irrogant, qui eos aut Vicarios R. Pontificis vocant, aut suam a R. Pontifice jurisdictionem habere fabulantur. Non est ita profectò: a Deo ipso constituti sunt Episcopi Ecclesiæ Rectores atque Pastores: *Act.* 20. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Joan.* 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit: & dixit eis: Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Secundò. Habent à Deo immediatam jurisdictionem utpote Apostolorum successores, auctoritatemque pascendi atque docendi vi sacræ illorum ordinationis.

Tertiò. Ecclesiæ claves, quæ judicandi potestatem & auctoritatem præ se ferunt ita sunt Petro Apostolo datæ, ac per ipsum Romano Pontifici, ut tamen toti Ordini Apostolico, ac per ipsum toti Ordini Episcopali perinde sint datæ. Qua de re fusè in antecessum disputavimus, ubi de vocandis ad Concilia Oecumenica cum jure, & prærogativa suffragii sermonem instituimus.

Nec dum cavillationum finis est, quibus supremam in Ecclesia R. Pontificis auctoritatem primatumque impetere moliuntur, nostræ hujus ætatis Heterodoxi; ad eas respondimus hactenus, quæ supremam illam auctoritatem primatumque recta veluti fronte impetunt; ad illas nunc veniemus, quæ eandem obliquè & indirectè aggre-

aggrediuntur. Quibus diluendis non admodum nobis est immorandum, utpote quæ levem difficultatem præ se ferant.

Si R. Pontifex ajunt illi, in universa Ecclesia primatum obtineret, universalis Episcopus dici potest: At id dici non potest, cum D. Gregorius Magnus R. P. *Epist.* 21. *lib.* 5. non modo Joannis Patriarchæ Constantinopolitani, qui sese universalem Episcopum nuncupabat, audaciam fregit; sed etiam *Epist.* 43. disertè testatur, nullum decessorum suorum RR. Pontificum tam profano nomine usum esse.

Uno flatu tota hæc machina disturbatur, si videlicet observetur; duplici sensu Episcopum universalem dici posse. Primò ad exclusionem aliorum Episcoporum, quasi ille sit solus *Universæ Ecclesiæ Episcopus*, cæteri verò non Episcopi sint, sed illius potius Vicarii. Secundò ad amplitudinem & extensionem auctoritatis significandam, quod hæc in Universum Orbem extendatur sine exclusione tamen aliorum Episcoporum. Gregorius igitur Magnus, ideo Patriarchæ Joannis audaciam repressit, nullumque R. Pontificum tam prophano nomine usum pronunciavit, quia hoc primo sensu sese universalem Episcopum nuncupabat; quod non ausisset SS. Doctor, nec prædecessorum R. Pontificum exemplo confirmasset, si talem sese secundo sensu Joannes appellasset.

At urgent quoque: *dist.* 90. *Cap. Primæ sedis*, ubi vetitum esse ajunt, ne prima sedes, *Princeps Sacerdotum* vel *summus Sacerdos* vocitetur; Quomodo igitur Pontifex & universalis Episcopus dici, & supremam in Ecclesia auctoritatem atque primatum obtinere, asseri poterit?

Egregiè id quidem; sed respondeo, canonem illam petitum esse ex Concilio VI. Africano, nec de prima simpliciter Sede, quæ Romana est, debere intelligi, sed de Africæ Metropolita, qui insolenti fastu eo se nomine vocitabat.

Age tamen, inquiunt Protestantes, sit ita, primatum habeat R. Pontifex, non habet illud jure divino, sed Ecclesiastico: cum illi ab Ecclesia fuerit attributus, propter Romanæ Urbis nobilitatem, quod Imperii Romani Sedes esset. Probatur id *ex Canone* 28. *Concilii Chalcedonensis* (*apud Labb. Tom.* 15. *pag.* 1694.) *Antiquæ Romæ throno, quod Urbs illa imperaret, jure Patres privilegia tribuerunt* . . . . & disertiùs *ex Novella Valentiniani III. Imperatoris: Romanæ Civitatis dignitas Apostolicæ Sedis primatum asseruit*.

Ut vanos tamen, atque irritos prorsus ostendamus omnes hosce conatus improbos, queis lucidissimæ Veritati nebulas offundere moliuntur Protestantes. Quod attinet ad Canonem Concilii Chalcedonensis nobis objectum respondeo, primò illum a S. Leone Ma-

gno

gno ex totius Ecclesiæ consensu rescissum fuisse. Undè ex antiquis Collectionibus expunctus remansit.

Quod ad Valentiniani Imperatoris Novellam spectat, dico, Valentinianum non loqui ibi de primatu Pontificio, sed de primatu Patriarchicho. An verum sit, ad evidentiam ostendo.

Egrè ferrens Hilarius Arelatensis Episcopus, quod minutum fuisset Ecclesiæ suæ jus illud Metropoliticum, quod in utramque Provinciam Narbonensem Patroclo decessori suo contulerat Zozimus, restrictumque a Bonifacio Pontifice Zozimi successore intra solos Viennensis Provinciæ fines, fuisset ne unus Metropolita contra Nicænos canones duabus Provinciis præesset; id inquam egre ferrens Hilarius, ordinationes & depositiones Episcoporum extra suam provinciam arrogare, & aliena jura usurpare temere cæpit. Quam ob rem S. Leo Magnus justa indignatione correptus, jus Metropoliticum in Provinciam etiam Viennensem ei ademit; cumque Hilarius ordinationes illas Episcoporum & depositiones nihil ominus armata manu tueretur, Valentiniani Imperatoris potentiam, Pontifex Maximus imploravit. Annuit piissimus Imperator, & novellam illam suam edidit, jubens, ut tam in Galiis, quam in aliis Provinciis Episcopi parerent R. Pontifici, canonum executionem imperanti, usumque veterem vindicanti; & ut perduelles Episcopi per Præfectum Provinciæ ad Tribunal Pontificis adesse cogerentur. Porro jus illud in ordinationibus Episcoporum ad Romanum P. non pertinebat nisi quatenus erat Patriarcha totius Occidentis, siquidem jus illud non habebat in Ecclesiis Orientalibus, cum esset penes Alexandrinum & Antiochenum Patriarcam. Ex quibus clarè quis colligi potest, eam Valentiniani Novellam de Primatu Patriarchicho esse solummodo intelligendam, cum in R. Civitatis dignitatem illum ex parte refundat.

Addam etiam in Primatu, quem R. Pontifici adjudicamus, aliquid esse juris divini, aliquid juris Ecclesiastici: aliquid quod R. Pontifici congruat, quia simpliciter successor est Petri; aliquid quia Romanam Sedem obtinet, in Urbe scilicet Orbis domina. Quod ut aperiam, scire juvat Dominicum Soto, *in* 4. *Sent. dist.* 24. *quæst.* 2. *art.* 3. Dominicum Bannes 22. *quæst.* 1. *art.* 10. *dub.* 4. Et Bellarminus *lib.* 2. *de R. Pont. cap.* 12. Existimare juris quidem divini esse, ut Petri successores sint quoque Ecclesiæ Universæ Pastores & Capita. Quia tamen Petrus duplicem Sedem occupavit; primam quidem Antiochenam, ubi sedit annos 7., tum Romanam, ubi sedit annos ut vulgo creditur 25. variosque idcirco successores habuit, Antiochenos Episcopos & Romanos; solo Ecclesiastico jure factum esse ajunt, ut Romani Episcopi potius, quam Antiocheni in primatu totius Ecclesiæ Petro succederent. Quod non ita videtur

tur imprudenter excogitatum: Nullum enim ea de re divinum Mandatum habemus. Hoc itaque posito, ad objectam difficultatem reponi potest, jura primatus Romanæ Sedi propter illius Urbis amplitudinem ab Ecclesia fuisse concessa; quantum ad attributionem, ut ita loquar, materialem: Tametsi juris divini fuerit, ut alterutri Petri successores, seu Romani, seu Antiocheni, primatum in Ecclesia Universa obtinerent.

Nunc ad ea Protestantium momenta veniendum, quibus potissimum primatus fundamentum concutere moliuntur. Quod nempe non sint R. Pontifices D. Petri successores, propterea quòd Petrus nusquam Romæ fuerit, sederitque.

Opponunt itaque primò: Qui Petrum Romæ fuisse, ibidemque sedisse Episcopum volunt (uti S. Hieronymus *lib. de script. Eccleſiaſt.*) hunc anno Claudii Imperatoris secundo Romam perexisse volunt, post annos 7. commorationis Antiochiæ, hoc est anno post Christum in Cœlos assumptum 12. At falsum id esse convincitur: quia anno post Christum 18. Jerosolymis aderat, dum illic Concilium celebratum est pro finienda celebri de legalibus Controversia. Inutiliter igitur R. Pontificum Primatus eruitur ex eo, quod Petri successores sint.

Bellè id quidem excogitatum; merum tamen effugium est. Ideo enim Petrus tunc temporis Jerosolymis erat, quia redux Roma fuerat: eo quod Judæi omnes anno Claudii 9. ejecti fuerant, dum Petrus septimum Romani Episcopatus annum egisset; ex quo liquet, Petrum antea Romæ fuisse, ibidemque Episcopum sedisse. Nihil ergo valet prima hæc Protestantium audacissimorum argutatio.

Instant nihilosecius Adversarii: Petrus, inquiunt, nequidem Romam redierat sedata Claudii persecutione, ac post celebratum Concilium Jerosolymitanum, dum Paulus suam ad Romanos Epistolam scripsit. Quia multos nominatim fideles salutans, Petrum insalutatum reliquit, quem certè non reliquisset, si eum tunc Romæ substitisse novisset. Quin imò Petrum nequidem post Claudium extinctum, Romam rediisse, probant ex eo, quod Lucas *in Act. cap.* 28. narrans, quo pacto Paulus Romam in vinculis ductus fuerit 7. Neronis anno, notat fratres multos illi obviam processisse, Petro minimè nominato. Imò Paulus ipse tunc Romæ degens, & scribens ad Timotheum *Epist.* 2. *cap.* 4. de persecutione in ipsum tunc excitata, conqueritur, quòd nemo ipsi adfuerit, sed omnes ipsum dereliquerint: *Nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt*, ex quibus inferunt tunc Romæ Petrum non extitisse: nam incredibile est, Petrum, si tunc Romæ fuisset, Paulum fuisse derelicturum.

Nihil tamen boni ſucci ex duabus hiſce Animadverſionibus in deſperatæ cauſæ præſidium a Proteſtantibus colligi poteſt. Quod primum itaque ex ea ad Romanos ſcripta Epiſtola petitum momentum pertinet, cum S. Epiphanio *hæreſi* 27. brevi verbo reſpondeo, Petrum Romæ Epiſcopatum gerentem identidem Roma abſceſſiſſe, ut in vicinioribus Provinciis Evangelium prædicaret, Lino & Cleto relictis, qui munia Epiſcopalia vice ejus implerent. Futiliter igitur colligunt nequidem ſedata Claudii perſecutione, ac poſt celebratum Jeroſolymis Concilium Petrum Romam rediiſſe, ex eo quod Paulus in ea, quam ſcripſit ad Romanos Epiſtola, Petrum inſalutatum reliquerit.

Nec quemquam movere debet, quod Paulus *in Epiſtola ad Timotheum ſcripta* conqueratur, omnes eum dereliquiſſe, dum Romam in vinculis Anno Neronis 9. ductus eſt; ut inde colligant, eſſe incredibile, quod ſi Petrus Romæ fuiſſet, Paulum eo in ſtatu dereliquiſſet. Conqueritur enim ea in Epiſtola Apoſtolus, quod nemo illi tunc adſuerit eorum, qui cauſſam ejus apud Neronem juvare potuiſſent gratia, qua valebant apud Aulicos Cæſaris, quo certè numero non erat Petrus.

Sed eſt alterum longè gravius, quod *ex Actibus Apoſt. cap.* 28. *v.* 22. argumentum eliciunt Pontificiæ dignitatis impugnatores. Cum Paulus, ajunt hi, Romam pervenit, a Judæis rogatus eſt; ut de Chriſtiana Religione ſuam illis mentem aperiret; *Rogamus autem à te audire quæ ſentis: nam de ſecta hac notum eſt nobis, quia ubique ei contradicitur*. Non ergo jam Romæ fuerat Petrus, a quo certè de Chriſtiana Religione multa imò plurima didiciſſent, quin neceſſe illis eſſet, Paulum de ea loquentem atque narrantem audire.

At nec id nos movet, ut a ſtatuta ſententia reſiliamus. Certò certiùs eſt, permultos Romæ degentes Judæos, antequam Paulus Romam veniſſet, non modo de Chriſtiana Religione quamplurima didiciſſe, ſed & Chriſtianam Religionem amplexos eſſe. Quandoquidem Paulus in ſua ad Romanos Epiſtola, quam antea ſcripſerat, illorum fidem maximè commendaverat, *Gratias ago Deo meo per Jeſum Chriſtum pro omnibus vobis: quia fides veſtra annunciatur in univerſo mundo; cap.* 1.

Quare dum Paulum ſubinde Romam adductum rogarunt Judæi aliqui, qui Chriſtianam Religionem nondum amplexi erant, ut ſuam illis de Chriſtiana Religione mentem aperiret, id unum reſcire ex eo voluerunt, an cum Moſäicæ legis figuris, veterumque Prophetarum vaticiniis apprimè cohæreret. Quia Paulus veteris legis peritiſſimus habebatur: nec tantam de Petro exiſtimationem habebant.

Id er-

Id ergo certum indubitatumque, Petrum & Romæ fuisse, & Episcopatum illic gessisse, insulsumque planè esse, quod a Protestantibus scomma jactatur, *an Petrus Romæ fuerit, sub Judice lis est: Simonem Romæ nemo fuisse negat*. Imò ex quo nemo negat, Simonem Romæ fuisse, fateri quoque debent omnes, Petrum etiam fuisse Romæ: quandoquidem Petrum de Simone Mago triumphum reportasse uno ore testantur Arnobius, Cyrillus Jerosolymitanus, Hieronymus, Augustinus, Severus Sulpicius, Theodoretus.

Atque hic finis esto institutæ contra Protestantes de Primatu R. Pontificis polemicæ Disputationis. Nunc de ejus Indeficientia seu Infallibilitate disputandum.

PRÆLECTIO V.

De Indeficientia seu Infallibilitate R. Pontificis. Ac primo de mente Academiæ Parisiensis.

HActenus Romani Pontificis Primatum, non honoris modò ac dignitatis, sed jurisdictionis, auctoritatis, & potestatis, in tota qua latè patet Ecclesia, omni momentorum genere demonstravimus, & contra quascumque recentium hæreticorum oppugnationes vindicavimus, confirmavimus. Proximum modò est, ut de Primatus hujus appendicibus, seu veriùs prærogativis ac privilegiis, eidem a Christo concessis, paulò proliхiùs differamus: quæ ad duo maximè capita revocantur; ad indeficientiam nempe judicii, seu ut Schola pro more loquitur, infallibilitatem in ferenda sententia, in caussis maximè fidei ac morum; & ad eminentiam potestatis atque auctoritatis supra ipsa Concilia Oecumenica Ecclesiam universam repræsentantia: de primo Privilegio dicendum loco primo, tum de secundo.

Primum igitur Privilegium ut expediam debita methodo, illud ante omnia explicabo, bonaque in luce ponam, quid vocetur in controversiam, dum de indeficientia, seu, ut loqui libet, de infallibilitate R. Pontificis disputatur: quod ni fecerim accuratè, inexplicabilibus ambagibus implicata quæstio remanebit.

Non itaque quæritur in præsentia num R. Pontifex quotiescumque & ubicumque de Fide, aut etiam de moribus ore, vel scripto loquitur falli & fallere nequeat: errare ipse, & cæteros in errorem inducere? Ecquis quæso ita desipiat, ut id velit? cum vel sic Pontifex non loquatur ut Pontifex, summusque Ecclesiæ Catholicæ hierarcha, sed uti privatus Doctor & homo, *circumdatus infirmitate*, ut ait Apostolus *ad Hebræos cap.* 5., *& propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis*. At illud maximè quæritur: num Pontifex sententiam aliquam in materia fidei, & morum, ex Cathedra, seu ex Sacro Tribunali solemni ritu pronuncians, vel sic possit in errorem dogmatis prolabi; falsumque judicio statuere, definire, atque decernere, dum Ecclesiam universam edita Constitutione, docet, instruit, & informat?

Is limitibus quæstionem hanc celeberrimam circumscribunt, explicantque illi ipsi, qui hac ipsa ætate nostra Pontificiam indeficientiam acriùs impugnarunt; ac tum maximè Ludovicus Maimburgus,

Socie-

Societatis Jesu desertor, in suo illo Tractatu historico; *De statu & prærogativis Ecclesiæ Romanæ, illiusque Episcoporum pag. 67.* qua vel una præmissa nunc agitandæ quæstionis explicatione, in fumum abeunt caduntque in irritum facta penè omnia Romanorum Pontificum ab iis Theologis objici solita, qui illos & errare in fide posse, & errasse re ipsa, evincere adnituntur. Quandoquidem neminem vel unum nobis obtrudunt Pontificem R., qui solemni quodam judicio, atque ex juris formulis pronunciato, fidem Catholicam violaverit; sed errorum a R. Pontificibus admissorum exempla proferunt unicè, in quibus judicii solemniter & ex formula lati, speciem quidem & umbram invenias. Quid enim per fidem vestram! si Petrus Romanorum Pontificum primus, Christum (quod objicere ii solent) in passione se nosse negavit? Si legalium observantiam ad salutem necessariam, in familiari conversatione significare visus est; propter quod a Paulo coram omnibus sit increpitus? Quid si Marcellinus Pontificum alter, in publica persecutione suppliciis victus, thus adolevit Idolis? Quid si Liberius exilii tædio victus, Arianæ tandem perfidiæ, & S. Athanasii damnationi subscripsit? Quid si Honorius datis ad Sergium Epistolis, Monothelitarum errori favere visus est, aut etiam favit? Quid si Joannes XXII. in errorem de Visionis beatæ dilatione propendere visus est, propenditque re ipsa? Itane iis in casibus aliisque proferri solitis judicium solemne aliquod, quale modò descripsimus tulere laudati Pontifices, ut ad quæstionem, quæ nobis in manibus est dirimendam, exempla hujusmodi trahi possint; fidemque e Sacro Tribunali, atque ex Cathedra ut ajunt, violasse plerique Pontifices convincantur? A præsenti igitur instituto longè abeunt tot illa errantium, ut ajunt, in fide Pontificum exempla; si quo sensu debet, de Pontificis indeficientia, quæstio ventiletur.

Hanc porro antequam moveam, & judicii Pontificii indeficientiam pro mea virili propugnandam aggrediar, adversus Theologos aliquos recentiores, qui eam in ferendo de fide judicio indeficientiam solius universalis Ecclesiæ, Conciliorumque Oecumenicorum, universam Ecclesiam repræsentantium privilegium esse volunt, non itidem Pontificum Romanorum, etiam ex Tribunali, seu ex Cathedra judicantium: Sinistrum nescio quod præjudicium e mentibus vestris avellam; Ne me Ecclesiæ Gallicanæ, quæ me Christo peperit, & Accademiæ Parisiensi, quæ me Theologiæ Magistrum inauguravit, degenerem filium reputetis: quod ita de Pontificum indeficientia sentiam, ac etiam publicè doceam. Præjudicium illud intelligo, quod omnium fermè animos occupavit; quo scilicet vulgò creditur, Academiam Parisiensem, Ecclesiamque Gallicanam in

con-

contrariam planè Sententiam versari, eamdemque dato veluti Sacramento solemniter profiteri. Quàm id falsum, quàm id absonum, quàm ab omni veri specie alienum palam, vobis hodie faciam: quo fœliciùs in sequentibus relectionibus, ad Pontificiæ quam tueor indeficientiæ probationes accedam.

Et quidem quod Academiam Parisiensem attinet; eam de Romani Pontificis indeficientia non ita sentire, ut vulgò jactatur: fidenter pronuncio.

Probatur primò ex priscis Parisiensis Academiæ Magistris atque Doctoribus, qui majori doctrinæ pietatisque laude floruere primis Academiæ temporibus, nimirum B. Alberto Magno, Alexandro Alensi, D. Thoma, D. Bonaventura, Nicolao de Lira, aliisque, quos commemorare longum esset, qui omnes Romanorum Pontificum infallibilitatem apertissimè docuerunt; ut planè de illorum mente atque sententia dubium subsit omnino nullum.

Probatur secundò ex recentioribus, Andrea Duvalio Regio in Sorbona Professore, in Libris contra *Edmundum Richerium* publicatis. Michaele Mauclercio *lib. de Monarchia*. Hallerio Episcopo Cabilonensi in dictatis *de Summo Pontifice*. *Habertio* Episcopo Vabrensi *in defensione fidei Catholicæ*. Stephano Baraut Archiepiscopo Arelatensi in *Clypeo fidei Catholicæ cap.* 3. contra Molineum; Joanne Coeffetæo Episcopo Massiliensi in *Responsione ad Mysterium iniquitatis Plessei Mornæi*, qui omnes non modò doctrinæ caput de infallibilitate Romanorum Pontificum tuentur ac docent, verum etiam *Communem Catholicorum sententiam esse* ajunt, probantque pro viribus.

Tertiò probatur ex eo Tractatu Theologico, quem Anno 1394. Academia Parisiensis edidit, & Clementi VII. Avenione sedenti (quem Gallia tunc uti Pontificem agnoscebat) obtulit; in quo Romani Pontificis in judicandis fidei quæstionibus infallibilitas peculiari conclusione statuitur, rationibusque, Patrumque testimoniis confirmatur, cujus hæc sunt verba. *ad Sanctam Sedem Apostolicam pertinet auctoritate judiciali suprema, circa ea quæ sunt fidei judicialiter definire. Et hoc probatur: quia ad illius tamquam ad supremi judicis auctoritatem pertinet in fide judicialiter definire, cujus fides numquam deficit. sed Sanctæ Sedis Apostolicæ fides numquam deficit; quia de hac Sancta Sede, in persona Petri, in ea præsidentis dictum est, Petre rogavi pro te ut non deficiat fides tua. Lucæ 22. propter quod dicit Cyprianus, qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia deserit, in Ecclesia se non esse demonstrat. Et Hieronymus dicit, super eam fundata est Ecclesia, & quicumque cum Pontifice Romæ non colligit, disperdit.*

Extat etiamnum hodie Tractatus ille MS. in Bibliotheca Collegi

gii Navarici, legiturque in plerisque Editionibus ad calcem Magistri sententiarum, titulo Commentarii adversus errores fratris Joannis de Montesono.

Quartò. Probatur ex facto damnationis Edmundi Richerii Theologicæ facultatis Syndici. Cum enim librum ille edidisset *de Ecclesiastica potestate*, in quo Romani Pontificis, in ferendis de fide judiciis, indeficientiam acriter impugnabat; non modò ab ipsa Academia Parisiensi & a Conciliis Galliæ provincialibus, Aquensi, & Senonensi Anno 1612. damnatus est; verùm etiam palinodiam recantare compulsus est: quam ipsemet Cardinali Richellæo Galliæ tunc Regni administro, instar solemnis declarationis obtulit die 7. Decembris anni 1629. in qua inter alia sic habebat: *Protestor & declaro, me semper voluisse, ac etiamnum velle, & me ipsum, & libellum meum, & quascumque ejus propositiones, omnemque doctrinam meam Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, & Sanctæ Sedis Apostolicæ judicio subjicere: quam matrem & magistram Ecclesiarum, & infallibilem veritatis judicem agnosco.*

Quintò. Probatur ex facto damnationis Gabrielis Droüet de Villanova, Baccalaurei Parisiensis; latæ ab Augustissimo Senatu Parisiensi die 22. Januarii anno 1663. Cum enim hanc ejus propositionem solemni decreto damnasset, Senatus Augustus, *Concilia generalia ad extirpandas hæreses, & Schismata, & alia tollenda incommoda, admodum sunt utilia, non tamen absolutè necessaria:* (quam ille propositionem non alio sensu propugnaverat, quàm quod extare alterum in Ecclesia Tribunal existimaret, quo possent & jam infallibiliter hæreses extirpari:) cumque edictum illud suum Academiæ tabulis inscribendum jussisset: renuit academia, celebratisque Comitiis censuit, *Adeundum esse Augustissimum Senatus Principem, per Sapientissimos Magistros N. N. qui cum debita reverentia peterent ab Augustissimo Senatus Principe, ut velit & dignetur exponere mentem suam non fuisse, sibi adscribere judicium doctrinale, in materia fidei & Ecclesiæ dogmatibus, vel lædere jura Theologicæ facultatis; & innuere necessarium esse absolutè Concilium generale, extirpanda quælibet schismata, & quaslibet hæreses: Cum constet Pelagianam, & Jansenianam hæreses fuisse sufficienter extinctas absque Concilio generali; quod tantùm in aliquibus casibus dici potest absolutè necessarium.* Ita in actis Academiæ. Censuit igitur Academia Parisiensis extare in Ecclesia Tribunal aliquod damnandis extirpandisque hæresibus & schismatibus sufficientissimum, absque ope Concilii generalis. Illud porrò quodnam aliud esse potest, nisi tribunal R. Pontificis? Ex quo verò damnandis extirpandisque hæresibus sufficientissimum est; indeficiens & infallibile debet esse; cum fidei falsum subesse, omnino non possit.

Sextò

Sextò Probatur ex Decreto Stephani Episcopi Parisiensis, edito de unanimi Magistrorum Theologicæ facultatis consilio, ad vindicandam D. Thomæ doctrinam, adversus nonnullos maleferiatos oppugnatores Anno 1324. in quo hoc Apostolicæ Sedi elogium dixit, posuitque monumentum ære perennius. *Sacrosancta Romana Ecclesia, omnium fidelium mater, & magistra, in firmissima D. Petri Christi-Vicarii Petra fundata est; Ad quam velut ad universalem regulam Catholicæ veritatis pertinet approbatio & reprobatio doctrinarum, declaratio dubiorum, determinatio tenendorum, & confutatio errorum.*

Audi tamen quorundam recentiorum argutiam, qua momenta hæc omnia uti futilia enervare moliuntur. Qui eam inquiunt, Academiæ Parisiensi sententiam affingunt, Pontificiæ indeficientiæ seu infallibilitati contrariam, nituntur maximè *articulo 3. Declarationis, ab Academia datæ anno 1663. Regi Christianissimo*, quo nempe protestata est, *Non esse doctrinam nec dogma facultatis Theologicæ, Summum Pontificem nullo accedente Ecclesiæ consensu, esse infallibilem.*

Tum quod anno subinde 1665. die 3. Februarii censuram distrinxerint, in Amadei Guimenii de Romani Pontificis infallibilitate doctrinam; quam *falsam & temerariam, & Gallicanæ Ecclesiæ libertatibus, Theologicis facultatibus, & Orthodoxis Doctoribus contumeliosam pronunciarunt.*

Non est tamen cur ita temerè de Accademia Parisiensi suspicemur. In rectum quippe sensum declaratio Regi tunc exhibita flecti potest: ut videlicet eam duntaxat quorundam exoticorum Doctorum sententiam rejiceret, quæ omnem prorsus tam universalis Ecclesiæ toto Orbe diffusæ, quam Romanæ intra muros urbis constitutæ, consensum inutilem dicit; non eam tamen, quæ Romanæ saltem Ecclesiæ, consensum necessarium profitetur, ut Romani Pontificis judicium ex Cathedra Romana profectum, atque ita infallibile censeatur; quæ constans Parisiensium Theologorum sententia huc usque fuit. Quamquam & illud addi potest, Academiam Parisiensem declarationem fecisse suam verbis merè negantibus: *Non est Doctrina.... non est dogma &c.* ut scilicet Romanorum Pontificum indeficientiam, juratum sacratumque Academiæ dogma non esse significaret, quod ex professo & lata lege sui tuerentur alumni; sed planè liberum, a quo abscedere integrum illis esset.

Quod autem ad Censuram attinet in Amadeum Guimerium ab Academia districtam, miror eam ad caussam quam hic agimus detorqueri. Cum confixæ ab Academia larvati Scriptoris propositiones, Pontificis infallibilitatem tanquam fidei caput assererent, quod oppugnare absque aperta hæresi nemo posset. *Pag. 60. n. 2. De fide est,*

de est, ajebat ille, *non posse Pontificem errare, ita ut approbet tanquam consentaneum Evangelicæ perfectioni, quod consentaneum non sit*. Et infra *pag. 61. numero eodem, tam certa est conclusio, ut oppositum non dubitem esse hæreticum*. Eccur quæso exorbitantem & excedentem in figenda sententia Theologastrum non damnarit Theologicus ordo, Pontificiæ adhuc infallibilitatis assertor, moderatus tandem & prudens? Est enim modus in rebus, certique sunt fines, quos ultra citraque nequit consistere verum. Meritò ergo damnatus est Amadeus ab Academia, quamquam ipsa Pontificiam infallibilitatem agnosceret; quia eam uti fidei dogma non agnoscebat, ut ille ignoranter affirmabat & contendebat.

PRÆLECTIO VI.

Quæ vera sit Ecclesiæ Gallicanæ mens atque sententia, exponitur.

DE mente atque Sententia Academiæ Parisiensis, circa Romanorum Pontificum indeficientiam, in judicandis fidei quæstionibus, sat multa jam diximus, in anteacta Prælectione, ut falli illos ostenderemus, qui florentissimam Academiam in contraria Sententia versari persuasum habent. Nunc de Ecclesiæ Gallicanæ mente, atque Sententia disputandum, quærendumque an & ipsa (quod vulgò jactatur) contrariam Pontificiæ indeficientiæ Sententiam amplectatur. Qua in re asseveranter affirmo, Ecclesiam Gallicanam Sententiæ de Romani Pontificis infallibilitate favere veriùs, quam eamdem oppugnare, si ejus acta, tum vetera tum recentia inquiramus.

Primum itaque probationis momentum petimus ex Concilio Turonensi, (ut ea longè plura mittamus, quæ in antehabita Prelectione protulimus) ad quod universa fermè Gallicana Ecclesia convenerat anno 567. post recitatum Innocentii I. Decretum, quo Virgines Deo dicatas matrimonio jungi prohibuerat, ita subjungunt Galliæ Præsules *Can.* 20. *Quis Sacerdotum contra decreta talia, quæ a Sede Apostolica processerunt, agere præsumat. Et quorum Auctorum valere poterit nisi prædicatio, eorum quos Sedes Apostolica semper aut intromisit, aut apocryphos, fecit, & Patres nostri hoc semper custodierunt, quod eorum præcepit auctoritas?*

Accedit in positæ assertionis confirmationem, Ecclesiam Gallicanam anno circiter 503. Sexto ineunte sæculo (occasione Symmachi R. Pontificis, de violata castitate accusati, quem Concilium Romanum, *Palmare* vulgò dictum, in judicium vocavit, postquam se ipse illius judicio subjecerat) supremam R. Pontificis in Concilia omnia auctoritatem novisse; dum eum a Concilio Romano utpote inferiori non potuisse judicari professa est, sed illius caussæ judicium uni Deo reservandum asserit, in Epistola ad Urbis Senatores data, & a S. Avito Viennensi Episcopo, publico omnium Collegarum amanuensi scripta; quæ sic habet: *Quoniam a cunctis Gallicanis fratribus meis, ad hoc ipsum non minus per mandata, quàm per litteras oneratur, quæcumque a vobis omnes ambimus, unus suggerenda suscepi. Dum de causa Romanæ Ecclesiæ anxii animi ac trepidi essemus, utpote nutare statum nostrum, in lacessi-*

to

to vertice (scilicet Symmacho R. Pontifice) *sentientes .... perlata est sollicitudini nostræ ab Italia in exemplaribus Sacerdotalis forma Decreti, quam de Papa Symmacho, apud Urbem Italiæ collecti Antistites ediderunt. Quam Constitutionem licet observabilem numerosi Reverendique Concilii reddat assensus, intelligimus tamen Sanctum Symmachum Papam, si sæculo primum fuerat accusatus consacerdotum suorum solatium potius adsciscere, quam judicium recipere debuisse. Quia sicut subditos non esse terrenis potestatibus jubet arbiter Cœli, staturos nos ante Reges, & Principes in quacumque accusatione prædicens: ita non facilè datur intelligi, qua vel ratione, vel lege, ab Inferioribus eminentior judicetur ...... In Sacerdotibus cæteris potest, si quid fortè reformari: at si Papa Urbis vocatur in dubium, Episcopatus jam videbitur, non Episcopus vacillare ...... Reddet rationem, qui ovili Dominico præest, qua commissam sibi agnorum curam administratione dispenset: Cæterum non est gregis Pastorem proprium terrere, sed Judicis*. Hæc Ecclesia Gallicana per Avitum Viennensem. (*a*)

Probatur secundò ex Comitiis Melodunensibus anni 1579. in quorum fidei professione hæc habentur: *Clerici & Laici aperta professione eam fidem pronuncient, quam Sancta Romana Ecclesia Magistra, Columna, & firmamentum veritatis profitetur & colit. Ad hanc enim necesse est omnem Ecclesiam, propter suam principalitatem, convenire*. Et in fine articulorum eo in Conventu Statutorum: *Omnia hæc Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cujus ex præceptis populum fidelem institui & certam fidei ac morum correctionis regulam constitui oportet, judicio & auctoritati subjicimus*. Hoc etiam multò disertiùs colligitur ex Litteris, quas Anno 1655. dedere Innocentio X. octoginta quinque Episcopi Gallicani, in Comitiis congregati, quibus judicium Apostolicum de quinque Jansenianis propositionibus humillimè postulabant, eo maximè titulo, quod *Majores caussas ad Sedem Apostolicam referre, solemnis Ecclesiæ mos esse, quem fides Petri nunquàm deficiens perpetuò retineri jure suo postulat*. (*b*)

Probatur itidem ex Epistola Episcoporum Gallorum ad eundem Innocentium, die 15. Julii 1658. qua summas ei gratias referebant, pro lata in propositiones Jansenianas damnatione. Ubi sic habent: *Perspectum habemus, non solùm ex Christi pollicitatione Petro facta, sed ex actis priorum Pontificum, judicia pro sancienda regula fidei a Summis Pontificibus lata super Episcoporum consultatione, Divina æque ac Summa per universam Ecclesiam auctoritate niti, cui Christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequium præstare tenentur: seu suam Episcopi in consultatione Sen-*

(a) *Adud Sirmondum tom. 2. epist. 31. pag. 4.*
(b) *Apud Labbæum pag. 1641. tom. 21.*

tentiam ponant, seu non ponant. Opponent fortasse nobis nonnulli Apostolicæ indeficientiæ criminatores, declarationem de Ecclesiastica potestate, in comitiis generalibus editam Anno 1682. in cujus *art.* 4. statutum fuit: *In fidei quæstionibus præcipuas quidem Summi Pontificis esse partes, ejusque Decreta ad omnes & singulas Ecclesias pertinere; non tamen irreformabile esse judicium ejus, nisi Ecclesiæ consensus accesserit.*

Quàm verò turpiter hallucinentur, qui talia proferunt, multis evincere facilimum est. Primò enim dubium moveri posset, de quo consensu sermo fiat ubi dicitur *nisi Ecclesiæ consensus accesserit*.

Secundò; Conventus ille Episcoporum universam Ecclesiam Gallicanam non repræsentavit.

Tertiò; Episcopi ad Conventum illum, ex variis Provinciis deputati, non potuerunt doctrinaliter judicare, quòd non essent ad id ipsum delegati, sed ad negotia merè temporalia expedienda.

Quartò; Illi palinodiam sub Innocentio XII. decantarunt, datis ad ipsum excusationis Epistolis Anno 1692. quibus præmissa pro suscepto recens Pontificatu gratulatoria salutatione, *dolere se ex corde* profitebantur, *ac ultra quàm dici potest, quod in Comitiis suis anni 1682. nonnulla statuta fuissent, quæ Sanctitati suæ displicuerant*. De qua quidem excusationis formula, Romæ inter Summi Pontificis, & Regis Christianissimi administros conventum erat: Eminentissimos scilicet Principes, Franciscum Albani, & Baldinum Panciatici, Pontificis nomine, & Cæsarem Destrees, nec non Tussanum Janson de Forbin, nomine Regis.

Quid plura in hujusce sententiæ confirmationem? Tantas decimoquarto sæculo ea sententia, de Romani Pontificis indeficientia, radices in Galliis egerat, ut non Ecclesiasticus & Academicus tantùm ordo, sed & Politicus, ea perinde esset imbutus. Cum enim porrecto Clementi V. R. P. libello Anno 1305. petiissent Regni Nobiles, ut Bonifacii VIII. memoriam damnaret, ob injurias Regno Galliarum illatas; significarunt memoriam ejus damnari idcircò posse, quòd fuisset hæreticus, & hæreticum esse potuisse, quia verus Papa non erat: addebantque suo illo Libello, Quod ad rem nostram maximè facit: *Non quæritur de hæresi Papæ quondam, ut Papæ, sed ut privatæ personæ. Nec enim ut Papa potuit esse hæreticus, sed ut privata persona: Nec unquam aliquis Papa in quantum Papa hæreticus fuit.*

PRÆ-

PRÆLECTIO VII.

Hæc eadem Pontificiæ indeficientiæ Sententia pluribus argumentis confirmatur.

Satis hactenus in proludiis hæsimus, ut celeberrimæ, de Romani Pontificis indeficientia, controversiæ, statum ac sensum aperiremus: & Academiæ Parisiensis, nec non Ecclesiæ Gallicanæ ea de re sententiam, paucis admodum agnitam, in bona luce poneremus. Tempus est, ut ad rem ipsam veniamus, & ad Pontificiæ indeficientiæ probationes accedamus.

Id ut felicius exequar, multaque paucis complectar; tria potissimùm Sacrorum Evangeliorum Oracula commentabor, ex quibus privilegium illud eximium D. Petro, ejusque in Sede Romana Successoribus datum a Christo colligi solet.

Primùm extat *Lucæ* 22. *v.* 31. *Simon Simon; ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret quasi triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos &c.*

Secundum extat *Matthæi* 16. *v.* 18. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam &c.*

Tertium habetur *Joannis* 21. *v.* 15. *Pasce agnos meos ... Pasce oves meas &c.*

Primum rogo vos, feriùs expendamus. Versabantur Apostoli omnes in extremo fidei amittendæ periculo, propter scandalum, quod ex Christi morte patiebantur: pro uno tamen Petro Christus orat, ut non deficiat fides ejus; quod quo fine fecerit Dominus, exponit S. Leo Magnus *Serm.* 3. *in Anniversario Die assumptionis suæ* inquiens; *Commune erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis .... & tamen specialis a Domino Petri cura suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur*. Christus autem a Patre semper *exauditus est pro sua reverentia*, ut habetur ad *Hæbreos* 5. fateturque ipsemet Patrem alloquens *Joannis* 11. *Ego autem sciebam quia semper me audis*. Quid ergo inde consequitur, nisi quod intulit Augustinus *lib. de Correptione & gratia*, *cap.* 8. *Cum Christi*

non

non posset esse inannis oratio . . . . . Quid aliud rogavit, nisi ut haberet (Petrus) *in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem?*

Neque obest, quod Petrus pro cujus fidei indeficientia rogaverat Christus, Christum statim in passione negarit. Non enim Christum extremis labiis negando fidem interiorem amisit, sed contra præceptum de externa fidei proffessione peccavit; undè Academia Parisiensis hanc Marci Antonii de Dominis propositionem censura confixit Anno 1615. *Petrus pro cujus fide Christus oraverat, fermè statim ab illa eadem fide decidit; neque semel, sed sæpiùs titubavit, etiam post Christi ascensionem, & Spiritus Sancti illapsum. quam quidem propositionem erroneam, temerariam, & in Beatum Petrum contumeliosam* pronunciavit Theologicus Ordo.

Ita Patres, ac speciatim *D. Joannes Chrysostomus*, S. Ambrosius, S. Leo Papa, S. Prudentius, Cyrillus Alexandrinus, Theophilactus, Oecumenius.

Sed & si fortè tunc defecisset in fide, Christum extremis labiis negando, nihil id nobis obesset, cum nondum tunc a Christo D. institutus esset Ecclesiæ Caput, ut rectè observat D. Hieronymus *in cap. 16. Matth.*

Ut ab eo argumento, ex Christi D. Oratione petito expediant sese Theologi nonnulli, duo reponere solent: Primò orasse pro Petro Christum, ne deficeret fides ejus, in ea singulariter occasione Dominicæ passionis atque in eo præsenti periculo, in quo tunc versabatur, non pro toto deinceps vitæ decursu. Secundò pro Petro singulariter Christum orasse; ad ejus autem in Sede Pontificia Successores minimè transiisse privilegium illud indeficientiæ in fide.

At contra Patres, veteresque Christi verborum Interpretes ad totum Vitæ Petri decursum, & ad Petri, quod notandum magis, in Sede Pontificia successores universos, fructum Dominicæ Orationis extendunt; impetratam scilicet Christi oratione fidei firmitatem, atque indeficientiam, tam Petro, quam illius successoribus.

Agatho R. P. in Epist. ad Constantinum Imp. quæ in 6. Synodo Oecumenica lecta probataque est, post explicatam Ecclesiæ suæ, fidem adversus errores tunc emergentes, ita addit; *Hæc est veræ fidei regula, quam & in prosperis, & in adversis vivaciter tenuit, ac defendit hæc spiritalis mater vestri tranquillissimi Imperii, Apostolica Christi Ecclesia: quæ per Dei omnipotentis gratiam, à tramite Apostolicæ traditionis, nunquam errasse probabitur, nec Hæreticis novitatibus depravata succubuit: sed ut ab exordio fidei Christianæ percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi principibus, illibata fine tenus permanet, secundum ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, quam suorum Discipulorum Principi,*

cipi, in Sacris Evangeliis factus est: Petre, Petre, *inquiens*: Ecce Satan expetivit ut cribraret vos, sicut qui cribrat triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. *Consideret itaque vestra tranquilla Clementia quoniam Dominus, & Salvator omnium, cujus fides est, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum; fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices, meæ exiguitatis prædecessores, confidenter fecisse semper, cunctis est cognitum.* (*a*)

Leo IX. *Epist.* 5. *ad Petrum Episcopum: Solus, inquit est ille* (Petrus) *pro quo, ne deficeret ejus fides, Dominus, & Salvator asserit se rogasse, dicens:* Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. *Quæ venerabilis, & efficax oratio obtinuit, quod hactenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius usque in sæculum sæculi: sed confirmabit corda fratrum variis concutienda fidei periclitationibus, sicut usque nunc confirmare non cessavit.* (*b*)

Idem *Epist.* 1. *ad Michaelem Constantinopol. Patriarcham cap.* 7. *Erit ergo*, inquit, *quisquam tantæ dementiæ, qui orationem illius, cujus velle est posse, audeat in aliquo vacuam putare? Nonne à Sede Principis Apostolorum, Romana videlicet Ecclesia tam per eundem Petrum, quam per successores suos, reprobata, & convicta atque expugnata sunt omnium Hæreticorum commenta, & fratrum corda in fide Petri, quæ hactenus nec deficit, nec usque in finem deficiet sunt confirmata?* (*c*)

D. Bernardus *Epist.* 190. *ad Innocentium II.* R. P. *Oportet ad vestrum referri apostolatum pericula quæque, & scandala emergentia in regno Dei, ea præsertim, quæ de Fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum. Hæc quippe hujus prærogativa fidei. Cui enim alteri aliquando dictum est*, ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua? *Ergo quod sequitur, à Petri successore exigitur:* Et tu aliquando conversos confirma fratres tuos.

Innocentius III. *Epist. ad Archiepiscopum Arelat.* undè sumptum est *Cap. majores*. *Majores Ecclesiæ causas præsertim articulos fidei contingentes, ad Petri sedem referendas intelligit, qui cum quærenti Domino, quem Discipuli dicerent ipsum esse, respondisse notabat: Tu es Christus filius Dei vivi: & pro eo Dominum exorasse, ne deficiat fides ejus.*

Idem *Serm.* 2. *in consecratione Pontificis: Rogavit* (Christus) *& impetravit: quoniam exauditus est in omnibus pro sua reverentia.*

(a) *Apud Labbæum Tom.* 7. *pag.* 662. (b) *Apud Labbæum Tom.* 11. *pag.* 1345. (c) *Apud Labbæum Tom.* 11. *pag.* 1323.

tia. Et ideo fides Apostolicæ Sedis in nulla nunquam turbatione defecit, sed integra semper, & illibata permansit: ut Petri privilegium persisteret inconcussum.

Et *Epist.* 209. *ad Patriarcham Constant. Pro Petro Dominus se orasse fatetur; ex hoc innuens manifestè, quod successores ipsius; à fide Catholica nullo unquam tempore deviarent, sed revocarent magis alios, & confirmarent etiam hæsitantes; per hoc sic confirmandi alios potestatem indulgens, ut aliis necessitatem imponeret obsequendi.*

Oraculum alterum ex Evangelio petitum, ad Judicii Pontificii indeficientiam comprobandam istud est: *Matthæi 16. Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Quo circa duo hìc sunt ponderanda: Primò, quod super Petrum ædificata dicatur Ecclesia, tanquam super firmissimam petram: Secundò, quod adversus eam portæ inferi non sint prævalituræ. Porro *portarum inferni* nomine *hæreses & hæresum conditores intelliguntur, ex D. Epiphanio in ancorato, pag.* 354.

Et hìc quoque suffugia duo sunt, quæ recentiores aliqui Theologi quærant: Primò: Verba hæc, *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, ad Ecclesiam duntaxat referri, non ad petram, supra quam ea dicitur ædificata. Secundò: si fortè verba hæc referantur ad Petram peculiare fuisse Petro, ut in eum portæ inferi prævalere nequiverint; ad ejus tamen successores Romanos Pontifices minimè privilegium illud transiisse.

Verùm; Quod primum effugium attinet: repugnant Ecclesiæ Patres prioris ætatis, & utriusque Ecclesiæ, tam Latinæ, quàm Grecæ, tam sinistro interpretamento. Origenes, Augustinus, Epiphanius, Leo Magnus, Gregorius itidem Magnus, quorum omnium Sententia hæc una est, ab Origene primùm expressa *Homil.* 1. *in Caput 16. Matth. Manifestum est, quod nec adversus Petram illam, super quam ædificatur Ecclesia, nec adversus Ecclesiam, quæ ædificatur super hujusmodi Petram, portæ prævalebunt inferorum.* Cujus quidem ratio invicta hæc est. Ex quo Petrus, seu Petra illa mystica Ecclesiæ fundamentum est, prævalere contra Petram inferorum portæ non possunt nisi & contra Ecclesiam prævaleant: Diruto quippe fundamento, ruere ædificium necesse est. Cæterorum vero Patrum testimonia hæc sunt: S. Augustinus *in Psalmo contra partem Donati: Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Petri sede, & in ordine illo Patrum, quis cui successit, videte: Ipsa est Petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.*

S. Epiphanius *in Ancorato, Petrus Spiritum S. nobis patefecit. Sic enim qui inter Apostolos primus esset, consentaneum Orat:*

Soli-

Solidæ inquam illi petræ, ſupra quam Eccleſia fundata eſt, & cui portæ inferi non prævalebunt.

S. Leo *Epiſt.* 54. *ad Marcianum Auguſtnm cap.* 3. *Nec præter illam Petram quam Dominus in* (Eccleſiæ) *fundamento poſuit, ſtabilis erit ulla conſtructio.*

Et *Epiſt.* 75. *ad Leonem Auguſtum cap.* 2. *Cum ergo univerſalis Eccleſia per illius principalis Petræ ædificationem facta ſit Petra, & primus Apoſtolorum Beatiſſimus Petrus voce Domini audierit:* Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, *quis eſt, niſi aut Antichriſtus, aut Diabolus, qui pulſare audeat inexpugnabilem veritatem?*

S. Gregorius M. *lib.* 7. *Regiſtri Epiſt.* 40. *Quis enim neſciat Sanctam Eccleſiam in Apoſtolorum principis ſoliditate firmatam, qui firmitatem mentis traxit in nomine, ut Petrus à Petra vocaretur? Cui Veritatis voce dicitur:* Tibi dabo claves Regni Cœlorum.

Effugium verò alterum præcludunt Patres numero longè plures, qui Divi Petri myſticæ illius Petræ firmitudinem, ad illius perindè ſucceſſores Romanos Pontifices tranſiiſſe, atque in iis perennare, probant. Patres hoc in ordine laudandi ſunt.

S. Cyprianus *lib. de Unit. Eccleſiæ; Qui Eccleſiæ renititur, & reſiſtit, qui Cathedram Petri, ſuper quem fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſia ſe eſſe confidit?*

Et *Epiſt.* 55. *ad Cornelium; Cathedra Petri Eccleſia principalis, unde Unitas Sacerdotalis exorta eſt .... Romani quorum fides Apoſtolo prædicante laudata eſt, ad quos perfidia acceſſum habere non poteſt.*

S. Leo Magnus *Serm.* 2. *in Anniverſario aſſumptionis ſuæ; ſoliditas illius fidei, quæ in Apoſtolorum principe eſt laudata, perpetua eſt. Et ſicut permanet, quod in Chriſto Petrus credidit: ita permanet, quod in Petro Chriſtus inſtituit.*

Simplicius R. P. *in Epiſtola ad Acacium*, quam refert ac probat Gelaſius alter R. P. *Qua ratione aliis ſedibus deferendum erit, ſi primæ Beatiſſimi Petri ſedi antiqua & vetuſta reverentia non defertur? Per quam omnium Sacerdotum dignitas ſemper eſt roborata atque firmata, trecentorum decem & octo Patrum invicto & ſingulari judicio vetuſtiſſimus judicatus eſt bonor; Utpote qui Domini recordabantur Sententiæ. Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.*

Poſſeſſor Epiſc. Africanus in *Relatione ad Hormiſdam R. P. A quo magis eſt nutantis fidei ſtabilitas expectanda, quàm ab ejus ſedis præſide, cujus primus rector a Chriſto audivit:* Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. (*a*)

(a) *Apud Labbeum Tom.* 5. *pag.* 661.

Joannes Episcopus Constantinop. in Libello professionis fidei ad Hormisdam R. P.: *Non potest Domini nostri Jesu Christi prætermitti sententia dicentis:* Tu es Petrus, & super hanc Petram ædifiabo Ecclesiam meam. *Hæc quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus: Quia in Sede Apostolica inviolabilis semper Catholica custoditur Religio . . . . In qua* (Sede Apostolica) *est integra Christianæ Religionis, & perfecta soliditas.* (a)

Sergius Episc. Cypri *Epist. ad Theodorum R. P.* quæ lecta est & probata in Concilio Lateranensi anno 645. sub Martino I. *Firmamentum fidei, fixum & immobile posuit Christus Apostolicam Vestram sedem. Tu es enim, sicut divinum veraciter pronunciat verbum Petrus, & super fundamentum tuum Ecclesiæ Columnæ confirmatæ sunt: tibi & claves Cœlorum commisit, Tu prophanarum Hæreseon destructor existis; Tu Princeps & Doctor orthodoxæ & immaculatæ fidei.*

S. Maximus Martyr in *Epist. ad Marinum præsbyterum Cypri: Ab initiò enim quando ad vos Dei Verbum assumpta Carne descendit, unicam basim ac fundamentum habent fidei suæ Christiani omnes, Romanam Ecclesiam, adversus quam juxta Salvatoris vocem portæ inferi haudquaquam prævaluerint . . . . In hanc velut in solem sempiternæ lucis respiciunt universi.*

Ignatius Patriarca Constantinopolitanus *Epist. ad Nicolaum I.* Post relata Christi D. verba ad Petrum dicta addit: *Hujuscemodi enim beatas voces non soli Apostolorum Principi privata quadam sorte transcripsit, & assignavit, sed per ipsum ad omnes Romanæ Sedis Pontifices illi successuros transmisit. Hinc retrò olimque semper, cum hæreses & scelera pullularent, noxias illas herbas, & zizania Apostolicæ Sedis vestræ successores extirparunt.* (b)

Bessarion Patriarcha Constantinopolitanus in *Epist. encyclica* ad omnes sui Patriarchatus Episcopos: *Si doctorum nostrorum Libros evolueritis, invenietis Romanam Ecclesiam supra Cæteras omnes potestatem habere, & ita universæ praeesse Ecclesiæ, ut absque ejus auctoritate, nulla prorsus Ecclesiastica quæstio solvi, nullum dogma concludi possit aut debeat . . . . hæc fidem, Petri tenet, & prædicat: Hæc sola est adversus quam portæ inferi non prævalebunt.*

Tertium Oraculum Evangelicum, ad judicii Pontificii indeficientiam probandam, istud est, Joannis 21. *Pasce agnos meos . . . . Pasce oves meas.* Quo ex loco ita licèt in gratiam Pontificiæ infallibilitatis disputare.

Petrus a Christo D. datus est pastor universalis Ecclesiæ, Agnorum

(a) *Apud Labbæum Tom. 5. pag. 622.*
(b) *Apud Labbæum Tom. 5. pag. 661.*

rum scilicet, & ovium hoc est, ut Patres interpretantur, atque rectorum; seu Episcoporum: Ut Ecclesiam universam pascat, verbo Doctrinæ. Id porrò aptè commodeque fieri nequit, si & ipse falli in Doctrina fidei ullo modo potest. Sic enim gregem universum in pascua veneno imbuta duceret; Cæcusque Cæcos secum duceret universos.

Debuit autem & hoc privilegium ad illius successores extendi; Cum enim Domini Grex, seu Ecclesia, ad finem usque mundi sit duratura, debent Petri successores ad finem usque mundi universam Ecclesiam pascere verbo Doctrinæ.

Neque obest si dixeris: Cæteros etiam Apostolos, Ecclesiæ Pastores a Christo perindè esse datos. Imò & Episcopos universos Christi gregem debere pascere; quin idcircò indè colligatur illos in doctrina fidei errare non posse. Non id inquam obest: Duplex quippe discrimen est: Primùm, quod Petrus agnos & oves; Cæteri oves tantum pascere debeant: Romanus Pontifex gregem universum, Episcopi gregis partem tantum, quæ illis obtigit, pascere, & erudire teneantur. Secundum discrimen: quod Petrus aut Pontifex pastor supremus sit; Apostoli cæteri & maximè Episcopi, Pastores sint subalterni. Hinc ratio oritur duplex, cur in Petro Romanisque Pontificibus indeficientia in fide desideretur omnino, non itidem in Episcopis: Primò quia error Episcoporum facile potest a Pontifice emendari; grexque averti, ne ad infecta veneno pascua, ab errante Episcopo proposita, deducatur. Secundò quia error Episcopi in errorem non traheret universam Ecclesiam, sed eam duntaxat illius partem, quam pascendam accepit.

Peculiarem pascendi Dominici gregis curam, Petro supra cæteros Apostolos datam esse, inde liquet, quod is ante a Christo sit interrogatus, an ipsum plus cæteris Apostolis diligeret: *Simon Joannis diligis me plus his?* Frustra enim majorem in eo, quam in cæteris Apostolis desiderasset amorem, nisi majorem illi quam cæteris Apostolis præfecturam esset collaturus. Qui majus exigit meritum, majus quoque daturus est præmium. Id Patres apertissimè docuerunt. S. Ambrosius in Caput ultimum Lucæ hæc ipsa verba exponens; *Et ideo quia solus* (Petrus) *profitetur ex omnibus, omnibus antefertur.*

S. Leo *Epist.* 89. *Cui* (Petro) *cum præ cæteris solvendi & ligandi tradita sit potestas, pascendarum tamen ovium cura specialis mandata est.*

Et Serm. 3. in Anniversario suæ Assumptionis: *Petro enim ideò hoc singulariter dicitur, pasce oves meas, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus, Petri forma proponitur.*

S. Irenæus *lib.* 3. adversus Hæreses *Cap.* 3. de Ecclesia Romana

loquens; *Ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis Traditio.*

Ex hac ipsa universali Cura pastorali Petro concessa, Romanorum Pontificum sedisque Apostolicæ fide indeficientiam, Ecclesiæ Patres ipsi collegerunt.

Simplicius R. P. *Epist.* 4. ad Zenonem Imperatorem: *Perstat enim in successoribus suis hæc & eadem Apostolica norma doctrinæ, cui Dominus totius curam ovilis injunxit, cui se usque ad finem sæculi minimè defuturum, cui portas inferi nunquam prævalituras esse promisit; cujus sententia quæ ligarentur in terris, solvi testatus est non posse nec in cælo.* (a)

S. Petrus Chrysologus in Epist. ad Eutychetem, quæ refertur 1. parte Concilii Chalcedonensis *num.* 15. apud Labbæum Tom. 4. pag. 802. *In omnibus autem hortamur te, frater honorabilis, ut his, quæ a Beatissimo Papa Romanæ Civitatis scripta sunt, obedienter attendas; quoniam beatus Petrus, qui in propria sede vivit, & præsidet præstat quærentibus fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis & fidei, extra consensum Romanæ Civitatis Episcopi, causas fidei audire non possumus.*

Tribus illis capitalibus probationibus Pontificiæ indeficientiæ, addi & altera debet, quæ mihi quidem decretoria atque ineluctabilis visa est pro Pontifice judicante de Consilio & consensu Ecclesiæ suæ Romanæ, in qua specialiter sedet.

Ecclesia enim Romana in qua specialiter sedet R. Pontifex, tota retrò antiquitate a Patribus & Conciliis acclamata est, *omnium Ecclesiarum Mater atque Magistra . . . Centrum Unitatis Ecclesiasticæ : . . Ad quam omnes Ecclesias necesse sit convenire; ad quam perfidia accessum habere non possit; quam non vincunt superbæ inferorum portæ. Unde Sacerdotalis unitas omnis exorta est.* (quibus loquendi formulis abundant D. Cyprianus *lib. de Unitate Ecclesiæ*, S. Irenæus *lib.* 3. adversus hæreses *Cap.* 3. S. Hieronymus *Epist.* 14. ad Damasum, Optatus Milevitanus *lib.* 2. contra Parmenianum, S. Augustinus *Epist.* 43. & in Psalmo contra partem Donati, S. Bernardus *lib.* 2. de Consideratione *Cap.* 8. Concilium Lateranense sub Innocentio III. Concilium Tridentinum *sess.* 7. *can.* 3. (b) Ecqua enim forte omnium Ecclesiarum Mater atque Magistra a Deo data erraret in fide; illa inquam ad quam perfidia accessum habere non potest? Aut quo facto centrum unitatis Ecclesiasticæ ab ipsa unitate decideret; illa inquam ad quam omnem.

(a) *Apud Labbæum Tom.* 5. *pag.* 98.
(b) *Apud Labbæum Tom.* 13. *pag.* 938.

nem Ecclesiam convenire necesse est? Uti profectò necessario decidit, quisquis ab ea decidit fide, quæ omnium Ecclesiæ membrorum vinculum est.

Reponet fortasse nonnemo, ut ineluctabilis hujusce argumenti vim ac robur elidat: Romanam Ecclesiam tot illis titulis a Patribus & Conciliis honestatam, non illam intelligi, quæ Romæ ambitu continetur, sed illam duntaxat esse, quæ toto terrarum Orbe diffunditur; quæque Romana & ipsa dicitur communione, non locali circumscriptione.

At ineptè prorsùs atque inscitè. Quandoquidem non potest Ecclesia, ut est toto Orbe diffusa, cæterarum, quæ præter ipsam nullæ sunt, mater dici atque Magistra: nec potest tota Ecclesiæ Universitas, peculiarium Ecclesiarum centrum vocitari. Uti profectò lineæ simul omnes, peculiaris cujusque lineæ centrum esse non possunt: nec potest quis sui ipsius pater esse atque Magister. Ut sileam, Patres ex citatis bene multos, tacito *Ecclesiæ Romanæ* nomine, *Petri Sedem*, Ecclesiarum omnium matrem atque magistram, centrumque unitatis Ecclesiasticæ nuncupare; quo nomine Romanam Ecclesiam denotari nemo non videt, nisi qui in calcaneo oculos gestat.

Idcirco in Concilio Complutensi a Sixto IV. confirmato, damnatus est Petrus Oxomensis etiam ut hæreticus, eo quod asseruerit *Ecclesiam Urbis Romæ errare posse*. Quem item errorem, eodem quoque hæresis nomine damnavit Sixtus idem in Extravaganti, adversus eumdem Petrum Oxomensem edita: ut refert Melchior Canus *lib.6.* de locis Theologicis *cap.7.* Ex quibus omnibus eam ego consecutionem elicio: *Ubi Pontifex, Ecclesia urbis Romæ assentiente, consiliumque dante, pronunciat, errare omninò non potest:* aliter cum Pontifice erraret & ipsa.

Ultima tandem, pro infallibilitate Pontificia, probatio petitur, ex Clementis VI. fidei formula Armenis exhibita. Cum Armenorum *Catholicus* seu Patriarcha, Præsulesque cæteri, veteres errores, juxta formulam a Benedicto XII. præscriptam ejurassent; Ecclesiamque Romanam solam esse Catholicam, solumque Romanum Pontificem plenitudinem potestatis habere professi essent; Clemens VI. de illorum salute piè sollicitus, explicatiorem primatus Pontificii professionem ab eis exegit, datis ad eosdem Epistolis, quibus illos de quatuordecim doctrinæ Capitibus interrogabat, subscriptionemque postulabat, si vellent Romanæ Ecclesiæ integrè consociari. Horum quintum sic habebat: *Si credidisti & credis, quod in tantum fuerit, sit, & erit suprema, & præeminens auctoritas, & juridica potestas Romanorum Pontificum, qui fuerunt, nostri qui sumus, & illorum qui in posterum erunt, ut a nemine judicari po-*

tue-

tuerint, potuerimus, neque in posterum potuerunt, sed soli Deo judicandi servati fuerunt, servemur, & servabuntur: Et quod a sententiis & judiciis nostris non potuerit, neque possit, nec poterit ad aliquem judicem alium appellari. Decimum tertium sic afferebatur: *Si credidisti, & adhuc credis, solùm Romanum Pontificem, dubiis emergentibus circa fidem Catholicam, posse per determinationem authenticam, cui sit inviolabiliter adhærendum, finem imponere, & esse verum, & catholicum quidquid ipse auctoritate clavium sibi traditarum a Christo, determinat esse verum: & quod determinat, esse falsum & hæreticum, sit censendum*. Totum hoc fertur ab Oderico Raynaldo in Annalibus ad Annum 1351. pag. 312.

Ad rectam ergo primatus Pontificii professionem pertinere censuit Clemens VI. quod in ferendo de fide judicio falli & fallere nescius credatur Romanus Pontifex.

PRÆ-

PRÆLECTIO VIII.

Diluuntur adversæ Sententiæ momenta, ab errantium ut putant Pontificum exemplis petita.

Nihil est tam validis demonstratum argumentis, quod si adsit ingenium impugnari non possit, inquit D. Augustinus; nihil ergo mirari subit, quod Romanorum Pontificum in sancienda fide indeficientiam tam acriter impugnari ætate nostra videamus, quam tot argumentis, iisque prorsùs invictis, in anteactis relectionibus demonstravimus. Acerrimis quippe impugnatoribus nec deest ingenium nec industria.

Id ut præstent, momentis ex facto petitis maximè pugnant. Pontificesque errare in fide posse, ostendere satagunt, quod re ipsa in fide sepiùs errarint.

Ea porro errorum Pontificiorum exempla, alia quidem in ipsomet D. Petro RR. Pontificum primo; alia in secutis RR. Pontificibus quærunt, quæ omnia modò diluamus oportet, ne quid ultra desiderari a nobis possit.

Et quidem quæ Petrum ipsum facta contingunt, ut errasse illum in fide nobis ostendant, duo vulgò jactantur, quorum unum abundè data pridem occasione diluimus, alterum nullo negotio diluemus.

Opponunt itaque loco primò, Petrum ipsum, cui a Christo D. datum fingitur indeficientiæ privilegium iis verbis, *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua Lucæ* 22. Illicò in fide defecisse, dum Christum se nosse in passione negavit.

Duo ad id, in anteactis Relectionibus reposuimus. Primò Petrum fidem tunc non amisisse; sed ob non factam publicam fidei professionem peccasse; negavit enim non ex infidelitate, sed ex pusillanimitate, & timiditate.

2. Nondum tunc dum Christum negavit, fuisse re ipsa constitutum Ecclesiæ Caput: Hoc est, in possessione primatus sui, quem illi Christus adpromiserat, non tamen re ipsa contulerat: *Tibi dabo Claves Regni Cœlorum*, non *tibi do*. Tertiò addi modò potest, Infidelitatem illam Petri, si qua re ipsa fuit, privatæ duntaxat personæ fuisse, non publicæ, & ex tribunali pronunciantis.

Opponunt secundo loco, Petrum post Christum in Cœlos assumptum, ac dum postquam in primatus sui possessionem venisset

er-

errasse in fide: (qua de caussa fuerit a Paulo increpitus.) Gentesque judaizare coegisse, factum refert Paulus ipse *Epist. ad Galatas cap.* 2.

Responsio in promptu est, Petrum hac in occasione in fide non errasse, aliquid contra fidem statuendo aut decernendo, aut etiam operando; sed imprudenti agendi ratione deliquisse; ex qua scandalum pati poterant gentiles ad fidem recens conversi: seu ut expeditiùs loquitur Augustinus, *Epist. 9. & 19.* ad Hieronymum, peccasse Petrum *imprudenti conversatione*, *non falsi prædicatione*; quam ob causam fuit a Paulo increpitus, non ut violata fides redintegraretur, cujus nulla erat facta jactura. Ut quid enim Petrus Ecclesiæ fidem circa legalium observantiam, aut ignorasset, aut violasset, qui Decreti ea de re editi in Concilio Jerosolymitano auctor ac princeps fuerat?

Relicto Petro ad Petri successores sermonem convertunt adversarii; quos inter magno numero fuisse contendunt, qui fidem etiam lato ex tribunali judicio violarint. Primus illis occurrit Victor I. R. P. sæculo secundo cadente, quem Tertullianus memorat, insanas Montani Priscæ & Maximillæ prophetias approbasse; pacisque litteras Ecclesiis Asiæ & Phrigiæ destinasse, ut falsos illos prophetas in suam Communionem, tanquam erroris scelerisque puros, reciperent. Ita enim Tertullianus refert ipso statim initio libri contra Praxeam.

At nemo est qui nesciat unum tota retro antiquitate fuisse Tertullianum, qui probrum illud cuidam Romano Pontifici affricuerit: Cui utpote Montanistæ jam facto nulla est adhibenda fides: Maximè cum nullum distinctè Pontificem ex nomine appellet qui id egerit. Unde Victorem ab eo indigitatum aliqui putant, alii Eleutherium, alii Zephirinum.

Respondeo 2. Id si fecit Pontifex aliquis, quod retulit Tertullianus; fecisse certò liquet falsis de Montani doctrina relationibus circumventum: atque ita errore facti, sibi mala fide renunciati deliquisse, non errore juris, fanaticos prophetas approbasse. Maximè cum ipsemet Tertullianus fateatur, R. Pontificem, *proposuisse* duntaxat pacis litteras dare, non re ipsa dedisse; aut certè datas incircumspectè, ultimò retractasse, novis a Praxea documentis melius informatum.

Sed est alterum longè gravius, quod ex Victoris I. Pontificatu argumentum eliciunt adversarii, adversus Romanorum Pontificum indeficientiam; ex historia nempe dissidii, secundò cadente sæculo enati, inter Victorem R. Pontificem, & Polycratem, cæterosque Asiæ minoris Episcopos de die Paschatis celebrandi. Non quidem ut probent Victorem R. P. ea in occasione in errore contra fidem

veri-

verſatum eſſe, abſit: ſed ut oſtendant Eccleſiam Aſiæ minoris non exiſtimaſſe tunc temporis, Victorem R. P. eſſe infallibilem; cum ejus judicio ea cauſſa ſolemniter lato, totis viribus repugnaverit: ita ſiquidem argumentantur. In ea prægravi Controverſia, quæ ea ætate temporum vertebatur, eſſet ne Paſcha more Judaico, Luna ipſa Martii quartadecima, an die Dominico ſubſequenti celebrandum; Eccleſia minoris Aſiæ univerſa priorem ſecuta morem Judæorum Victoris R. Pontificis decretis obfirmato animo reſtitit; quamquam is Apoſtolica auctoritate, & ex ſacro tribunali ſequenti die Dominico Paſcha celebrandum edixiſſet, bruta etiam fulmina Aſiaticis comminatus, niſi a priſtino more diſcederent. Non ergo Romæ Pontificem in ferendo ſolemni judicio infallibilem habebant Aſiæ minoris Epiſcopi univerſi, viri aliàs & pietate ſummi, & doctrinæ fama ſpectatiſſimi; qui Decretis Pontificiis paruiſſent, ſi infallibili auctoritate edita crediidiſſent.

Argutè ſanè; ſed nihil ad inſtitutum, cum de re ad meram diſciplinam, non item ad fidem ſpectante, quæſtio tunc moveretur. Ideo enim Victoris judicio repugnabant Aſiatici, non quòd illum erraſſe judicando crederent; ſed quòd ſibi licitum exiſtimarent, aliam ab Eccleſia Romana diſciplinam ſervare; quam ſe ab Evangeliſta Joanne accepiſſe gloriabantur.

Idem fermè argumentum petunt adverſus RR. Pontificum indeficientiam, ex hiſtoria diſſidii ſæculo tertio oborti inter Stephanum I. R. Pontificem, & D. Cyprianum Epiſcopum, cæteroſque Epiſcopos Africanos de rebaptizandis hæreticis. Non quidem ut oſtendant, Stephanum I. in ferendo judicio, aliquod contra fidem ſanxiſſe; ſed ut evincant, D. Cyprianum univerſamque Eccleſiam Africanam in variis Conciliis congregatam, Stephanum I. in ferendo judicio fallibilem exiſtimaſſe; cum ejus judicio de hæreticis non rebaptizandis obſtiterint diu, ac repugnarint.

Cui perinde reponimus, D. Cyprianum cæteroſque Epiſcopos Africanos, exiſtimaſſe tunc primùm quæſtionem de rebaptizandis hæreticis ad meram diſciplinam ſpectare; nequaquam ad fidem; in qua liberum cuique eſſet in praxi eum ritum ſervare, quem a majoribus accepiſſet, atque adeo nil mirum ſi decreto Stephani R. P. obſtiterint: quòd nempe putarint Eccleſias toto orbe diffuſas non omnino teneri, ad Eccleſiæ Romanæ diſciplinam in omnibus amplectendam, etſi ad ejus fidem communiter profitendam tenerentur. Unde D. Cyprianus *in Epiſt.* 72. ad Stephanum data ſuo & Synodi Africanæ nomine ajebat: *Scimus quoſdam quod ſemel imbiberint nolle deponere, nec propoſitum ſuum facilè mutare, ſed ſalvo inter collegas pacis, & concordiæ vinculo, quædam propria, quæ apud ſe ſemel ſunt uſurpata, retinere. Qua in re nec nos vim cui-*

quam facimus, aut legem damus. Quando habeat in Ecclesiæ administratione voluntatis suæ arbitrium liberum unusquisque Præpositus, rationem actus sui Domino redditurus.

Instant nihilominus adversarii: D. Augustinus D. Cyprianum cæterosque Africanos excusat, propterea quòd sententia ab ipsis propugnata, non fuisset in Concilio plenario ventilata atque damnata, utcumque fuisset a Stephano R. Pontifice solemni Decreto proscripta: In solo ergo Concilio plenario putavit esse indeficientem damnandi erroris auctoritatem, cui soli repugnare nefas esset.

Repono, D. Augustinum excusare Cyprianum duntaxat ex parte & comparatione Donatistarum; qui etiam post Concilii Nicæni, & Arelatensis repetita judicia in eodem versabantur errore; non excusare tamen ex integro. Imò potius D. Cypriani repugnantiam in amplectendo Stephani I. judicio, nævum in Viro Sanctissimo fuisse docet *Epist.* 48. *ad Vincentium*, qui ardenti deinceps charitate, & martyrii falce amputatus est, atque correctus. Hanc correctionem a D. Cypriano cæterisque Africanis Episcopis factam testatur D. Hieronymus *lib.* 2. *Dialogorum contra Luciferianos*.

Urgent nihilominus adversarii: Stephanus I. lato Decreto in extremum errorem incidit, Africanorum errori e diametro repugnantem; eorum scilicet hæreticorum baptisma probando, ratumque pronunciando, qui legitimam baptismatis formam violabant. Quod quidem vitium Stephano, suppresso tamen nomine, D. Cyprianus exprobrat *Epist.* 73. *Quomodo quidam dicunt, foris extra Ecclesiam, imò & contra Ecclesiam, modò in nomine Jesu Christi, ubicumque & quomodocumque Gentilem baptizatum, remissionem peccatorum consequi posse; quando ipse Christus gentes baptizari jubeat in plena & adunata Trinitate*. Quin etiam fatetur id ipsum Benedictus XII. in Opusculo contra Fratricellos edito; ubi expresè ait, Stephanum Pontificem in extremum errorem edito Decreto incidisse; *Conciliumque Nicænum opinionem & S. Cypriani, & Stephani Papæ correxisse; determinando quod baptizati ab hæreticis non servantibus formam Ecclesiæ, venientes ad Ecclesiam baptizentur; ab aliis verò hæreticis baptizati non rebaptizentur*.

Respondeo; Ita quidem ex lato Stephani Decreto collegisse Cyprianum, eo æstu disputationis abreptum, utque illius judicio conflaret invidiam; sed minus verè. Cum enim generatim & indistinctè dixisset Stephanus lato decreto, *Nihil innovetur nisi quod traditum est, ut quicumque, & ex quacumque hæresi venerit, ut manus illi imponantur in pœnitentiam*. Cyprianus consequens esse existimavit, ut quorumcumque hæreticorum baptisma indistinctè probasset; atque etiam illorum, qui *in plena & adunata Trinitate*, ut Christus jusserat, non baptizant. Nec satis animadvertit, Stephanum. I. in

ea

ea cum Africanis mota lite, id semper pro certo posuisse, baptismum verbis Evangelicis conferri debuisse, ut validum esset. Quod ex ipso Firmiliano S. Cypriani Collega disertè colligitur, *Epist.* 74. ubi Stephani mentem hisce verbis exponit. *Non putat*, inquit, *quærendum esse quis sit ille qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus est gratiam consequi potuerit invocata Trinitate nominum Patris & Filii & Spiritus S.*

Benedictus XII. Id ex suo non dixit, sed ex D. Cypriano derivavit. Nec erat Romanus Pontifex dum illud contra Fratricellos opusculum edidit, sed privatus duntaxat Theologus, Joannes Fumerius nuncupatus.

Urgent præterea: dum D. Cyprianus Stephani I. Decretum perperam interpretatus, existimavit eum in contrarium prorsus errorem incidisse omniumque hæreticorum baptisma probasse; tunc sanè pro certo supposuit, posse Romanum Pontificem in errorem incidere lato solemni Decreto. Nisi enim id posse contingere supposuisset, id re ipsa contigisse non existimasset in Stephano I.

Sic sanè, inquio ego, Cyprianus ita supposuit, potuisse Stephanum I. lato Decreto in errorem prolabi; aut quia putavit, eum ex Tribunali, sententiam non tulisse (quo casu certè errare posse Pontificem non negamus:) aut quia quæstionem ab eo definitam, putavit esse meræ disciplinæ, non fidei; ut suam ipse mentem aperuit Epistola paulò ante laudata.

Dicent fortè: Qui fieri potest, ut Cyprianus vir talis ac tantus existimaverit, Stephanum I. Sententiam non tulisse ex Tribunali; cum ex ipsis Decreti verbis planum esset, ipsum Controversiam illam totam pro potestate dirimere voluisse; Eamne poterat pro potestate definire, nisi ex tribunali pronunciaret? Qui etiam fieri potuerit, ut errorem suæ Afrorumque sententiæ ex diametro repugnantem, in quem incidisse Stephanum dictitabat (non esse scilicet baptizandos, qui sine debita forma fuissent ab hæreticis baptizati,) ad meram disciplinam spectare putaverit; cum sit ille dogmatis error omnium patentissimus? Hæreo, fateor, nec melius habeo quod reponam; nisi Cyprianum quidpiam passum esse, in ea quam habuit cum Stephano I. lite gravissima, ut fassus est D. Augustinus. Quare ex inconsideratione, & in æstu disputationis, ad hæc satis tunc non attendit; ad quæ animum diligentiùs applicuit, dum errorem primùm imbibitum, (*quod de tali viro æstimandum est*) tandem aliquando correxit, ut loquitur Augustinus *Epist.* 8. *ad Vincentium Donatistam*. Maximè cum fidem faciat Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, *illos ipsos Episcopos, qui rebaptizandos hæreticos cum Cypriano statuerant, ad antiquam consuetudinem revolutos, novum emisisse Decretum.*

K 2 Mar-

Marcellinus R. Pontifex, in Pontificiæ deficientiæ probationem in ducitur; quem anno circiter Christi 302. in persecutione Diocletiana thura Idolis adolevisse ajunt in templo Isidis & Vestæ ut refert Baronius in Annalibus.

Factum tamen, relicto Baronio, communi nunc eruditorum consensu negatur; quod a Petiliano Donatista malo animo fictum esse monet D. Augustinus *lib. de unico Baptismo cap. 16.* Marcellini lapsum in persecutione Diocletiana commentitium probant: primò silentium veterum omnium scriptorum, qui Romanorum Pontificum gesta descripserunt. Secundò inanis Donatistarum labor; qui cum factum illud ad Marcellinum R. Pontificem deprimendum, Catholicis objecissent, numquam tamen probare potuerunt, qua ratione D. Augustinus loco laudato de Petiliano hujus fabulæ inventore ajebat: *Ipse sceleratum & sacrilegum fuisse dicit, ego innocentem fuisse respondeo: quid laboro probare defensionem meam, cum ille nec tenuiter probare conatus sit accusationem suam?* Tertiò repugnantia circumstantiarum, quibus factum illud adornant recentiores fabulatores: celebratæ scilicet Synodi numerosissimæ Sinuessanæ, ad Marcellini caussam ventilandam, judicandamque &c.: de quibus legi possunt, qui historiam hanc ætate nostra pertractarunt, Bollandi Continuatores, Tillemontius, Natalis Alexander, & Pagius.

Sed etsi factum admitteremus, nihil inde contra Romanorum Pontificum indeficientiam, qualem in præsentia defendimus, posset extundi. Pontifices enim volumus falli nescios, ubi de fide *ex Cathedra*, ut loquuntur, seu e Sacro Tribunali sententiam dicunt, pro conditione Pontificis Maximi. Ecquis autem ita desipiat, ut Marcellinum e sacro Tribunali, thura idolis adolevisse sibi fingat? Id si fecit, non fecit ut Pontifex, sed *ut homo circumdatus infirmitate*, ut loquitur Paulus.

Liberii R. Pontificis lapsum altiùs exaggerant Pontificiæ indeficientiæ impugnatores. Is etenim, (quantum ex D. Athanasio, D. Hilario, & D. Hieronymo colligi potest,) triplici ex capite peccavit contra fidem Divinitatis Christi, & in Arianismum lapsus est: Primò, quod Arianæ fidei formulæ Sirmiensi subscripserit: Secundò, quod S. Athanasii Catholicæ fidei defensoris acerrimi damnationi perinde subscripserit: Tertiò, quod cum Arianæ partis Episcopis communicaverit.

Perperam tamen. Liberius quippe nec Arianus hæreticus re ipsa fuit; nec Christi Divinitatem corde & animo negavit, quamquam Arianorum artibus deceptus, nonnulla tentarit imprudenter, quæ illum officio defuisse suo, plus satis probant. Arianæ fidei formulæ, quæ & Sirmiensis dicta est, tandem aliquando subscripsit, non

quæ Christi Divinitatem negaret apertè, sed quæ vocem *consubstantialis* simpliciter reticeret. Idque ideo fecit, quia fidei summam ea in voce non stare existimabat, quæ pravo etiam sensu a multis accipiebatur: Christique Divinitatem, ejusdemque cum æterno Patre æqualitatem teneri, doceri, credique posse arbitrabatur, ea missa tacitaque *consubstantialis* voce, rixarum jurgiorumque plenissima, quæ idcirco pro bono pacis omitti posset, in edenda fidei professione. S. Athanasii damnationi subscripsit etiam, quòd ejus causam a fide sejunctam crederet; eumque damnatum arbitraretur, ob delicta ad mores & externam Ecclesiæ disciplinam spectantia. Cum nonnullis tandem Arianæ partis Episcopis communicavit, utique deceptus ab iis, qui Arium ipsum damnare se simulabant.

Sed etsi daretur, Liberium in tota illa ludenda scena, Arianæ hæresi subscripsisse, atque in eam corde & animo consensisse: non inde consequens foret, Romanum Pontificem (quod nunc maximè quæritur) falli posse, in ferendo solemni de fide judicio. Quidquid enim egisse, quidquid subscripsisse Liberius dicitur, egit, subscripsitque in exilium actus ac pulsus, minis undique perterrefactus, pristinæque libertatis recuperandæ desiderio fractus ac victus. Qua verò forte in eo rerum concursu, summa libertas, matura deliberatio, Liberii gestis accessere, ut solemniter atque ex Cathedra Arianæ hæresi subscripsisse dici possit?

Momentum non leve petunt adversarii, adversus Romanorum Pontificum indeficientiam, ex judicio Romæ lato a Melchiade Pontifice Summo, una cum assidentibus Episcopis decem & octo, tribus scilicet ex Gallia, quindecim ex Italia contra Donatistas, in gratiam Cæciliani. Cum enim ab eo Melchiadis judicio appellassent Donatistæ, Constantinus Magnus, Arelatense Concilium indixit, ut in numerosiori Patrum Conventu (ducentorum scilicet Episcoporum, ut asserit Augustinus *lib. 1. contra Epist. Parmeniani*) expenderetur, rectè ne Melchiades judicasset, & Cæcilianum absolvisset. Adeo scilicet illis jam temporibus æstimatum erat, posse R. Pontificem, in ferendo solemni judicio, aberrare. Quin etiam eam Donatistarum appellationem, justam habuit D. Augustinus; & Judicium Melchiadis cæterorumque Episcoporum, à plenario Concilio reformari potuisse existimavit *Epist. 162. Ecce*, inquit, *ponamus eos Episcopos, qui Romæ judicarunt, non fuisse bonos judices; restabat adhuc plenarium Ecclesiæ universæ Concilium, ubi etiam cum ipsis judicibus caussa posset agitari, ut si malè judicasse convicti fuissent, eorum Sententiæ solverentur*. Igitur R. Pontificis judicium solemniter etiam cum assidentibus Episcopis latum, falli potuisse, ac etiam corrigi & reformari à plenario Concilio debuisse censuit Augustinus, censuit & Constantinus, Imò censuit

Are-

Arelatense ducentorum Episcoporum Concilium, in quo Cæciliani caussa retractata est. Uno flatu tota ea machina disturbatur; si videlicet observetur Caussam, quæ tunc morebatur non juris & dogmatis fuisse, sed facti, & quidem privati, ac merè personalis; in quo non modò Pontifex, sed & Concilia generalia errare possunt & ab aliis emendari. Quærebatur enim an Felix Aptungitanus Episcopus, Cæciliani ordinator, Sacros Libros infidelibus tradidisset? an etiam Cæcilianus eleemosynas subtraxisset, qua pia fidelium liberalitas Confessorum victui destinaverat?

Adderem etiam Donatistas per summam injuriam à Melchiadis judicio appellasse; & Constantinum Imperatorem repugnanti animo Arelatense Concilium, ad novum Caussæ examen, dedisse, Donatistarum importunitati cedendo. Ita D. Augustinus *Epist. 162. Dedit aliud Arelatense Concilium; non quia necesse erat, sed borum importunis clamoribus cedens, & omnimodo cupiens tantam insolentiam cohibere.*

Quæ verò jactantur Sanctissimi Doctoris verba, *restabat adhuc plenarium totius Ecclesiæ Concilium &c.* Perperam & in contrarium sensum accipiuntur, nec approbationis verba sunt; sed increpationis ironicæ, qua interjectam a Donatistis appellationem, tanquam postremum petulantiæ & audaciæ conatum, improbabat: quasi diceret, *nihil restabat adhuc audaciæ & impudentiæ vestræ, quàm ut plenarium Ecclesiæ Concilium celebrari peteretis, in quo Melchiadis judicium rescinderetur; quod stultè impièque fecistis. Id unum ut tentaretis reliquum fuit.* Uti planè viro facinoroso, in desperationem tandem acto solemus dicere: *Nil tibi restat, quam ut laqueo te suspendas:* quod utique non probando dicimus, sed desperationem exaggerando.

Ad Pontificiæ deficientiæ probationem Arianum incusant Felicem SS. R. P. Hoc probant, ex S. Hieronymi testimonio in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum in Acacio. *Acacius Cæsariensis in Palæstina Episcopus tantum sub Constantio Imperatore claruit, ut in Liberii locum Romæ Felicem Arianum Episcopum constituerit.* Undè & ille in Romanorum Pontificum numero recensetur.

Respondeo Arianum quidem fuisse Felicem, seu veriùs communicasse cum Arianis, antequam verus Romæ Pontifex esset: Pontificem tamen factum, usque adeo Arianis obstitisse, illisque fuisse infensum, ut ex eorum persecutione Martyrii coronam acceperit: Cujus idcirco memoria in antiquis Martyrologiis Bedæ, Usuardi, & Adonis extat ad diem 4. Calendas Augusti.

Accusatur & Zozimus fidei violatæ, quod Pelagium & Cœlestium putidos hæresiarchas, tanquam erroris puros absolverit, Erotemque & Lazarum illorum accusatores, tanquam *malignos criminato-*

natores traduxerit; ut patet ex ejus Epistola ad Augustinum ejusque Collegas Africanos Episcopos data. Quod & videre est apud Augustinum *lib.* 2. *ad Bonifacium Cap.* 3.

Constat nihilosecius, id fecisse Zozimum errore facti, non juris; Hæresiarcarum dolis & artibus circumventum; quòd illi errores suos porrecto libello supplici catè dissimulassent; correctionem & emendationem, si fortè peccassent, spopondissent; & Sedis Apostolicæ judicio sese submittere simulassent. Uti monet D. Augustinus *lib.* 2. *ad Bonifacium Cap.* 3. *Quum se Litteris Papæ Innocentii*, qui Pelagianam hæresim damnaverat, *consentire Cœlestius respondisset; & se omnia, quæ Sedis Apostolica damnaret, damnaturum esse promitteret*. Quare ubi Zozimus ex Litteris Africanorum Episcoporum intellexit, fuisse se a Pelagio & Cœlestio delusum, eosdem ille damnavit atque proscripsit. Ita D. Augustinus tum loco laudato, tum *lib.* 2. *de peccato originali Cap.* 7.

Addo priorem illam Pelagii & Cœlestii absolutionem a Zozimo R. Pontifice initio datam, solemne judicium non fuisse ex juris formulis datum, sed Commendatitiam duntaxat Epistolam, caussa illorum minimè discussa ac ventilata, ad Præsules Africæ datam. Quare si quid fortè peccasset in dogmate, solemni judicio peccasse Zozimus dici non posset.

Ex trium Capitulorum historia momentum petitur alterum, haud ita fortè contemnendum, ut Vigilius R. Pontifex in errore Nestoriano aliquando fuisse demonstretur. Tria siquidem Capitula, hoc est, Scripta Theodori Mopsuesteni, Scripta Theodoreti Cyri Episcopi contra S. Cyrillum, & Epistolam Ibæ Edesseni Episcopi ad Marim Persam, ut erroris pura & illibata defendit primum Vigilius R. Pontifex; eo maximè titulo, quod in Concilio Chalcedonensi lecta illa fuissent, nec tamen ab iis Patribus reprobata. Postmodum damnavit eadem illa scripta, sub conditione tamen, salva scilicet auctoritate Concilii Chalcedonensis. Tandem Justiniani Imperatoris suasu illectus absolutè damnavit, uti plena erroris atque perfidiæ, post quinti Concilii generalis celebrationem. Necesse igitur est, ut dum ea scripta probaret primùm, in errore versaretur: Cum eadem scripta & probari & damnari, sine aliquo errore, non possint.

Obvia responsio est, errorem facti dogmatici illum fuisse, non juris, seu dogmatis atque doctrinæ. Nestorianismum enim & Eutychianismum perinde execratus est semper Vigilius Romanus Pontifex; unamque in Christo personam, geminamque naturam agnovit semper; de sensu tamen trium Capitulorum aliquandiu dubitavit, in quam scilicet partem seu Catholicam, seu Hæreticam inclinarent: Eaque Capitula benigniùs quam par erat interpretatus,

utri-

utriusque erroris pura esse judicavit; adeoque ea damnare noluit; tum quòd ea indemnata reliquisset Concilium Chalcedonense; tum quòd eorum auctores jam fato cessissent, nec opportunum videretur, illorum manes sollicitare. Secutis tamen inde temporibus, trium Capitulorum sensu diligentiùs ac maturiùs expenso, feliciùsque intellecto, eadem illa, ut errori plus æquo faventia, damnavit. Quapropter qui in priori de illis judicio contigit error, facti quod ajunt dogmatici fuit, non juris seu dogmatis, atque doctrinæ. Ita Vigilium excusat Pelagius II. Romanus Pontifex, Epistola ad Episcopos Histriæ, & de mutata sententia laudat impensè. *Si igitur in trium capitulorum negotio, aliud, cum veritas quæreretur, aliud inventa veritate, dictum est; cur mutatio huic Sanctæ Sedi in crimine objicitur, quæ a cuncta Ecclesia in ejus auctore veneratur? Non enim mutatio sententiæ, sed inconstantia sensus in culpa est. Quando ergo ad cognitionem recti intentio incommutabilis permanet, quid obstat, si ignorantiam deserens, verba permutet?*

Acriùs multò & animosiùs factum Honorii R. P. urgere solent Pontificiæ indeficientiæ impugnatores. Honorius, inquiunt illi, datis ad Sergium Patriarcham Constantinopolitanum Epistolis, in Monothelitarum Hæresim incidit. Unam scilicet in Christo voluntatem professus est, unamque operationem: interimque œconomiæ caussa, ac bonæ pacis studio, abstinendum censuit ab unius aut duplicis voluntatis vocabulo. Undè & in actis Sexti Concilii Oecumenici *act.* 13. Anathema illi perinde dictum est, ac cæteris Monothelitis Sergio, Cyro, Pirrho, & Paulo: quod & in actis septimæ & octavæ Synodi Confirmatum est.

Quin etiam Leo II. Successor ejus in Epistola ad Constantinum Imperatorem eumdem incusat, *quod fidem immaculatam subvertere conatus sit*. Si tamen rem totam penitiùs perpendamus, comperiemus, Honorium quidem imprudenti Oeconomia usum, indictoque unius aut duplicis voluntatis silentio, hæresi Monothelitarum oblique favisse; eamdemque uti debuerat non illico repressisse: Monothelitam tamen re ipsa non fuisse; sed duas in Christo voluntates agnovisse, divinam scilicet & humanam. Quod ergo unam in Christo voluntatem obiter dixit in Epistolis ad Sergium datis, de Christo simpliciter ut homine dixit, quod una sit tantùm in eo voluntas humana, tam secundum affectum, quam secundum Naturam; quod contra contingit in nobis, quibus ob contractum naturæ vitium, duplex voluntas secundum affectum inesse dicitur, spiritus nimirum & carnis. Patet id ex ipsa ratione, qua Honorius unam esse in Christo voluntatem ostendit. *Unam* inquit, *in Christo Domino voluntatem fatemur, quia a Divinitate assumpta est natura, non culpa*. Et paulò post, *Lex alia in membris, aut volun-*

voluntas diversa non fuit vel contraria Salvatori: quia super legem natus est humanæ conditionis. Quæ ratio si quid probat, id probat unice, fuisse in Christo ut homine unicam voluntatem, consensione, affectu, atque concordia, absque ulla carnis ad Spiritum pugna. Patet id quoque ex testificatione Joannis Abbatis, qui in conscribendis Epistolis Honorio amanuensis fuerat. Sic enim ille & suam, & Honorii mentem exposuit: *Cum scripsisset Sergius, esse aliquos qui dicerent, in Christo duas esse contrarias voluntates; Rescripsimus, Christum non habuisse duas contrarias voluntates, Carnis inquam & Spiritus; sed unam tantùm, quæ naturaliter humanitatis ejus Character est. Id ita esse, evidenter ex hoc monstratur, quod membrorum & Carnis facta est mentio, quæ divinitati ejus non possunt attribui.*

Quod verò ad ipsa spectat Acta Conciliorum generalium, in quibus Honorio Romanæ Sedis Episcopo anathema dictum est, perinde ac cæteris Monothelitis, Sergio, Cyro, Pyrrho, & Paulo quadruplex responsio suppetit.

Prima est Baronii, Bellarmini, Marchesii, aliorumque, qui corrupta vitiataque dicunt Acta sextæ Synodi Oecumenicæ; Græcorumque fraude insertum per summum nefas Honorii nomen, loco Theodori ab iisdem expuncti. Quam tamen responsionem eruditi alii minus probant, minusque nos ipsi probamus. Etsi enim in Actorum exemplar, quod Constantinopoli ad futuram rei memoriam servatum est, interpolatrices manus immittere Græci fortasse potuerint; non in alia tamen, quæ in aliis Ecclesiis, puta Alexandrina, Antiochena, Jerosolymitana, maximè verò Romana, servata sunt; in quibus tamen omnibus insertum perinde legitur Honorii nomen. Quid quod idem insertum peræque conspicitur in Actis septimæ & octavæ Synodi, in Epistolis quoque Leonis II. & Adriani II. aliorumque monothelitarum nominibus immixtum?

Altera aliorum eruditorum responsio est; Sextæ Synodi Patres ex errore facti dogmatici, Honorium verè Monothelitam censuisse, atque ita anathema illi dixisse; quod illius Epistolæ ad Sergium datæ sensus minus sint assecuti. Qui error facti dogmatici fuit. Ea porro responsio, etsi Honorium a Monothelitarum errore liberum faciat, Pontifices tamen errare in fide posse concedit. Ex quo enim Sextæ, Septimæ, & Octavæ Synodi Patres, Honorium in hæresim lapsum pronunciarunt (etsi non intellectis illius Epistolis, judicium fecerint,) id pro certo suppofuerunt, labi illum in hæresim potuisse. Nunquam enim eum lapsum in hæresim dicerent, quem in hæresim labi non posse pro certo ponerent.

Tertia eaque frequentior Theologorum responsio est, Anathema Honorio fuisse dictum quòd imprudenti œconomia, turpi socordia,

ambiguis loquendi formulis, errori plus æquo faverit; non quod ipsum re ipsa tenuerit, ac docuerit. Quod amplioribus verbis declarat Leo II. *Epistola ad Hispaniæ Episcopos data*, eundem ipsum incusans, quod *flammam Hæretici dogmatis incipientem, non sicuti debuit, extinxit, sed negligendo consovit*. Et *Epist. ad Imperatorem Constantinum, Ecclesiam Apostolicæ Traditionis Doctrina illustrare neglexit, fidemque immaculatam maculari permisit*. Non ut falsò recitant adversarii, *fidem immaculatam subvertere conatus est:* Quæ spuria falsaque Græci textus versio est.

Postrema responsio est, Epistolas Honorii ad Sergium datas, ex quibus sinistra illa propugnati erroris suspicio nata est, & propter quas anathema dictum illi fuit, privato nomine scriptas esse, ut privatam de oborto Monothelitarum errore sententiam diceret: Non ut quidpiam ea de re Pontificia auctoritate definiret: Quod ad solemne Sedis Romanæ judicium efformandum est necessarium. Atque ita, si fortè iis in Epistolis errorem purum putumque docuisset Honorius; colligi inde non posset, Honorium ex Cathedrâ, ut modò quæritur, definientem ac decernentem errasse; sed ut privatum doctorem, privatam scribentem Epistolam.

In eandem pari fidentia scenam inducunt audaciores Aristarchi Stephanum II. Summum Pontificem, ut qui fidem de materia Baptismatis violaverit, dum a Monachis Britannici Monasterii interrogatus, quid de Sacerdote sentiendum esset, qui periclitantes pueros aliquos, Vino baptizaverat, propterea quòd aquæ copia illi non esset, ita respondit *Cap.* 2. Rescripti ad Monachos dati: *Si in vino quis, propterea quòd aquam non inveniebat, omnino periclitantes infantes baptizavit, nulla ei exinde adscribitur culpa: Infantes sic permaneant in Baptismo:* Quasi dixerit, horum infantium baptisma ratum esse, atque ita non iterandum.

At non observant imprudentes, non satis authentica rescripti hujus Pontificii inveniri documenta; unde mendosum esse plerique putant, nec legendum, *Infantes sic permaneant in Baptismo*, quasi absoluta locutio sit, quæ ratum minimèque iterandum baptismum decernat; sed conditionata in hunc modum, *nulla Sacerdoti adscribitur culpa, si infantes permaneant in baptismo, in vino suscepto:* Ita quippe probati Codices habent. Stephanus ergo Rom. Pont. de valore Baptismi in Vino collati interrogatus non erat; quem nemo sanæ mentis dubitare poterat irritum esse; sed de culpa duntaxat hominis baptizantis quærebatur; num videlicet aliqua censura plectendus esset. Hunc porro nulla culpa teneri, nullaque pœna plectendum esse respondet Pontifex; quia cum aliud non posset, in extremo periculo, (cum non esset aquæ copia,) id per simplicitatem fecit, quod postea potuit elapso periculo emendari: Nec ipse

ipse in caussa fuit, cur Infantes aqua Baptizati non sint, quæ sola Baptismatis materia est.

Alterum Nicolai I. R. Pontificis responsum objicitur, tamquam violatæ fidei argumentum, ad Consulta Bulgarorum *Cap.* 104. Ubi de Baptismo a quodam Judæo, seu forte Pagano collato sententiam rogatus, valeret ne, an non hoc illis responsum dedit: *A quodam Judæo, nescitis, an fortè pagano multos in Patria vestra baptizatos asseritis, & quid de his sit agendum consulitis. Profectò si in Nomine SS. Trinitatis, vel tantùm in Nomine Christi Baptizati sunt, constat eos non esse denuo Baptizandos.* Quo responso decernit, contra quod fides habet, Baptismum in solo nomine Christi collatum, esse validum, atque ita minimè iterandum.

Inconsultè tamen in eo Nicolai I. Responso cavillantur: In primis enim nec dum est Catholica fide certum, baptisma in solius Christi nomine collatum, nullum esse, atque ita iterandum. Quare etsi oppositum respondisset Nicolaus I. nihil contra fidem pronunciasse censendus esset.

Secundò. In Nicolai I. Responso duo accuratè distinguenda sunt: Unum de quo a Bulgaris quærebatur; quodque ex instituto decernit atque deffinit: Alterum de quo illi mota quæstio non erat, quodque obiter ac præter institutum attingit. Primum tanquam Romanæ sedis Oraculum excipiendum est: Alterum uti privati doctoris opinatio habendum venit, & ex Cathedra minimè profectum. Quod a Bulgaris quærebatur, id unum erat; Num Baptismus a Judæo vel Pagano collatus validus esset: huncque validum definivit Nicolaus, infidelitatemque conferentis nihil valori Baptismatis obfuisse pronunciavit. Quod autem obiter & in transcursu, ac præter institutum, non interrogatus attigit, disiunctiva illa est responsioni assuta; *Vel tantum in nomine Christi*. Non ergo eo dato responso erravit Pontifex uti Pontifex, sed uti privatus Theologus, S. Ambrosii, quem in sententiæ suæ confirmationem adducit, auctoritate delusus. Ita Melchior Canus *lib. 6. de locis Theologicis cap.* 8. Guillelmus Estius *in* 4. *Sent. dist.* 3. *f.* 5. Franciscus Silvius *in* 3. *part. quæst. 66. Art. 6.* Bellarminus *lib.* 4. *de Rom. Pontifice cap.* 12.

Luctuosam Formosi & Stephani VII. Tragædiam, sæculo 9. cadente, & 10. inneunte peractam, in memoriam revocant, Pontificiæ dignitatis osores; Ut ex repugnantibus invicem RR. Pontificum judiciis, ea in caussa latis, eorumdem indeficientiam oppugnent. Stephanus VII. (ajunt illi) acta Formosi Papæ prædecessoris sui in irritum misit, omnesque ab eo ordinatos reordinari jussit. Tum Joannes IX. & Theodorus II. acta ipsa Stephani VII. rescinderunt, Formosique acta probarunt: Tandem Sergius III. iterum a-

cta Formosi irritavit, & Stephani acta confirmavit. Aut ergo Theodorus & Joannes Formosi defensores in errore fuerunt, aut Stephanus & Sergius errasse iniquissimè convincuntur.

Respondeo: in tota illa tragœdia, in qua fatendum bona fide, duos illos Romanos Pontifices Stephanum & Sergium pessimum exulcerati animi exemplum dedisse; quæstionem duntaxat facti motam fuisse, & quidem personalis, non juris; summa quippe quæstionis erat, fuisset ne Formosus legitimus Pontifex, seu ad eam dignitatem legitimè electus, an per vim & Simoniam intrusus? Quare qui acta ejus resciderunt Pontifices, illegitimè electum arbitrabantur; qui restituerunt, electum legitimè judicarunt: Ubicumque tamen error fuerit, facti fuit error, & quidem personalis, non dogmatis.

Urgent nihilosecius adversarii: qui acta Formosi resciderunt Pontifices, omnes ab eo ordinatos reordinari jusserunt: At in eo errarunt etiam in dogmate; cum ordinatio ab intruso Episcopo facta, sit valida atque ita minimè iteranda. Igitur Pontifices illi non in facto duntaxat errarunt, sed & in dogmate. Eum tamen nodum solvunt pluribus modis Theologi. Bellarminus, Ordinationes illas Formosi iterari jussas, non ex Sententia Stephani VII. ex Tribunali lata, sed præcipiti iracundiæ motu. Joannes Morinus, non esse certum, aut saltem non esse dogma fidei, ordinationem imprimere characterem, atque ita non esse iterandam, dum ab Episcopo excommunicato, degradato, intruso confertur. Atque ita nihil contra fidem statuit Stephanus VII. dum ordinatos a Formoso jussit denuo ordinari. Addiderim etiam Ordinationes a Formoso factas, iteratas non fuisse simpliciter & absolutè, iis secundò peractis, quæ ad substantiam spectarent hujus Sacramenti; sed secundum quid, nonnullis scilicet adhibitis cæremoniis, per quas ordinati prius a Formoso, atque ita a jure suspensi, liberam suorum ordinum executionem reciperent. Ita communiter Theologi.

Alterum Pontificum contra se invicem de fide pugnantium exemplum proferunt Adversarii, ut errare illos posse demonstrent. S. Hormisdas, inquiunt illi, hanc Monachorum Scytarum propositionem, ut hæreticam damnavit: *Unus de Trinitate passus & crucifixus est carne:* quam postmodum Joannes II. approbavit *in Epist. ad Justinianum Imperatorem*, probaruntque deinceps quinta Synodus Oecumenica *Can.* 10. &. Concilium Lateranense sub Martino V. *Can.* 2.

Errorem nihilosecius excusat ac longè depellit varius sensus, qui uni eidemque propositioni subesse potest. Hormisdas enim propositionem illam a Monachis assertam existimavit in sensu *formali atque reduplicante*, ut Viri de schola loquuntur; atque ita tanquam Eutychianam damnavit. Christus enim passus mortuusque non

non est *formaliter & reduplicativè*, ut Deus est, & una de Trinitate persona. Joannes verò laudataque Concilia assertam a Monachis propositionem existimarunt in sensu, ut schola loquitur, *materiali & specificante* & per communicationem idiomatum; atque ita Catholicam judicarunt. Quia secunda Trinitatis persona naturam illam humanam assumpsit, quæ & passa & mortua est.

Cœlestinus III. ab iisdem æmulis incusatur, quod in decretali sua *Laudabilem* definierit matrimonium inter fideles contractum omnino solvi, si conjugum alter a fide defecerit: adeo ut qui perseverat in fide, possit alterum cum altero contrahere matrimonium. Sic porro definivisse Cœlestinum, probant testimonio Innocentii III. R. Pontificis *Cap. quanto, de divortiis*. Ille enim de hac ipsa quæstione interrogatus, respondit quidem matrimonium eo etiam in casu non solvi, Mulieremque a Viro in infidelitatem lapso derelictam, alteri viro propterea jungi non posse; subjungit vero, *licet quidam prædecessor noster aliter sensisse videatur*: Ad marginem verò notatur Decretalis *Laudabilem* Cælestini III. *de Conversione Conjugatorum*; Ubi non solùm aliter sensisse videtur Cœlestinus, sed palam apertèque pronunciat. Non extat modò decretalis illa Cœlestini in novis decretalium collectionibus, a quibus meritò expuncta fuit, tanquam erronea; extat tamen in peculiari decretalium rejectarum collectione, quam ad eruditorum informationem Antonius Augustinus adornavit.

Incusantur & alii Romani Pontifices, quod errorem alterum eidem affinem definierint: matrimonium scilicet ratum cum uno solvi per Matrimonium consummatum cum altero. Idque illos definivisse liquet apertè, ex Responso Alexandri III. *cap. licet, de Sponsa duorum*: Ubi cum justè meritòque decernat, ob superveniens matrimonium consummatum cum aliquo ratum præcedens cum alio solvi non posse, subjungit *quamvis a quibusdam prædecessoribus nostris aliter sit aliquando judicatum*.

Ad quorum tamen Pontificum excusationem notare sufficiat, quantum ad nostrum attinet institutum, binas illas quæstiones de matrimonii solutione, seu dum conjugum alter a fide Catholica discedit, seu dum alter matrimonium cum tertio consummat, ad fidem minimè pertinere. Atque ita si in iis decidendis solvendisque, falsi sunt aliqui RR. Pontifices, errasse in fide dici non possunt.

Addiderim tamen cum Melchiore Cano, hoc idem argumentum pertractante *lib.* 8. Responsa RR. Pontificum, ad privatorum consultationes data, pro decidendis privatis conscientiæ casibus, (qualia benè multa continentur in Jure Canonico) non illico censenda esse solemniter & ex Cathedra pronunciata: nisi præmissa Ecclе-

clesiæ Romanæ consultatione proferantur. Tunc enim solùm, & non aliter ex Cathedra, seu ex tribunali judicare Pontifices reputantur. Porro verisimile non est, Cœlestinum III. cæterosque Pontifices, ad binas illas de matrimonii solutione quæstiones respondisse, præmissa illa Ecclesiæ suæ consultatione. Atque ita si tunc errarunt, (uti profectò errasse illos certum est) solemniter seu ex Cathedra, atque ex Tribunali Pontificio non errarunt: quod unicè in præsentia disputamus.

Erroris nota affricatur & Alexandro III. quod nempe *cap. cum esset*, *de Testamentis* declaravit, alienum esse a generali Ecclesiæ consuetudine, & a Divina Lege & Sanctorum Patrum institutis, ut Testamenta, nisi quinque vel septem testium fuerint subscriptione munita, penitus rescindantur, præcepitque sub pœna excommunicationis, ne ullus rescindat Testamenta cum tribus duntaxat testibus condita. Qua in re falsum in fide Alexandrum contendunt; ut qui pronunciet legem aliquam esse Divinæ contrariam, quæ re vera contraria non est.

Audacter nimis & inconsultè. Alexander enim non id statuit universim pro quibuscumque Testamentis, sed pro iis duntaxat, quæ sunt ad pias causas, de quibus Ecclesia ex propriis legibus judicat: nec pro toto Orbe Christiano, sed pro statu Ecclesiastico, ipsi non spiritualiter, sed ut temporaliter subjecto; pro quo potest Pontifex peculiares leges condere, legibus civilibus communi usu servari solitis, repugnantes.

Producitur in errantium Pontificum Cathalogo Bonifacius VIII. Propterea quòd tanquam fidei caput ab omnibus fidelibus credendum proposuerit, *Omnia regna mundi Romanis Pontificibus subesse in temporalibus:* qui tamen intolerabilis est error in fide. Imò quod hoc idem in celebri decretali *Unam Sanctam*, inter alia capita definierit; quæ idcirco a Clemente V. R. P. in Concilio Viennensi, rescissa est.

Sed est illa per omnia capita calumnia putidissima. Primum quod obtruditur falsissimum est. Imo extat Oratio a Bonifacio VIII. habita in publico Consistorio anno 1301. quam Spondanus refert in Annalibus, qua nihil se hujusmodi pronunciasse profitetur: Hancque sibi calumniam impactam quæritur a Petro Flotta, qui Epistolam ipsius nomine suppofuerat, ubi hæc insulsitas habebatur. Extat & Epistola Cardinalium, Regni Nobilibus scripta, qua Bonifacium nihil hujusmodi vel scripsisse vel somniasse contestantur.

Alterum quod subjicitur perinde falsum est. In decretali enim, *Unam Sanctam* hoc unicè definitur, *subesse Romano Pontifici*, *omnino esse de necessitate salutis*, *omni humanæ creaturæ*. Quod certè de subjectione in spiritualibus est intelligendum; iisdemque fermè

mè verbis in Concilio Lateranensi sub Innocentio IV. *sessione* 11. definitum est, non de subjectione in temporalibus.

Tertium quoque æquè falsum est: Clementem V. Constitutionem *Unam Sanctam* rescidisse; Cum eam ille duntaxat exposuerit in Capite *Meruit*; eam scilicet intelligendam esse decernens, ut nullum ex ea præjudicium Regi Regnoque Galliarum sit illatum. Imò cum anno 1310. Bullam edidisset Clemens V. qua varias Bonifacii VIII. Constitutiones in sexto Decretalium minimè contentas antiquasset; Constitutionem tamen *Unam Sanctam* perinde ac antea stare voluit, iis temperamentis emollitam, quæ in Capite *Meruit* a se fuerant adhibita.

Equidem, ut fatear bona fide quod res est, nonnulla in decretali *Unam Sanctam* obiter inserta sunt, undè facile colligi possit, sensisse Bonifacium VIII. Principum Christianorum dominia, sin minus directè, at saltem indirectè Romanorum Pontificum auctoritati subesse, si a fide quam professi sunt ipsi deficiant. Verùm etsi eam sententiam ego minimè probem, fatendum tamen est, eam contra fidem minimè pugnare; imò & a variis summè Catholicis, omni retro ætate fuisse defensam, ac etiam in præsentia defendi. Ut vel sic pateat, nullam violatæ fidei labem Bonifacio VIII. inuri posse; quod ita fortè senserit, ac etiam ex Cathedra pronunciaverit.

Bonifacius IX. a nonnullis reprehenditur, quod Indulgentias Mediolanensibus concesserit, juri Divino ac naturali palam apertèque repugnantes. Scribit enim Bernardinus Corio in historia Mediolanensi *parte* 3. Bonifacium peculiari diplomate indulsisse, ut in Dominio Vice-Comitum, unusquisque a quocumque peccato esset absolutus, tametsi nec contritus nec confessus esset: *Che ciascheduno nel Dominio del Visconti, se anche non fosse contrito nè confesso, fosse assolto di qualunque peccato*; Modò certam pecuniæ Summam in pauperes erogaret, & ad certa Divorum templa resarcienda conferret. Annon ille spissus est error in fide, posse quempiam, *nec contritum nec confessum* a quibusvis peccatis absolvi? Quare & hanc Indulgentiam *admodum extraordinariam* fuisse notat Historicus. Non est tamen quod in ea Bonifacii Indulgentia repræhendatur, si qualis ipsa fuerit attendatur.

Si verum est quod Corio narrat, id dictum est de absolutione quantum ad pœnam Canonicam, ex publica Ecclesiæ lege peccatis debitam; non quantum ad culpam, & pœnam æternam ex Divina justitia subeundam. Per viam enim Indulgentiarum possunt pœnæ Canonicæ hominibus nec contritis, nec confessis aliquando dimitti; quemadmodum possent & ipsæ Censuræ Ecclesiasticæ, excommunicatio, suspensio, & interdictum, hominibus minimè pœniten-

nitentibus, imò etiam nolentibus relaxari; quamquam culpæ ipsæ pœnæque ex Divina justitia subeundæ, absque pœnitentia minimè relaxentur. Idcirco verò Indulgentiam a Bonifacio Mediolanensibus datam, *extraordinariam* dixit laudatus Historicus; quia non solent Romani Pontifices a solis Canonicis pœnis absolvere, ut fecit ea occasione Bonifacius; sed & a culpis & a pœnis ex Divina Justitia subeundis; idque partim virtute Indulgentiarum, partim virtute Sacramenti. Si porro scire aves, quænam illæ Canonicæ pœnæ sint, a quibus solos Mediolanenses ex Dominio Vicecomitum absolutos voluit Bonifacius, tametsi fortè neque contriti essent neque confessi; lege Canones pœnitentiales a S. Carolo Borromeo pro Decalogi ratione dispositos, & ex antiquis Patribus & Conciliis, nec non ex Pœnitentiali Bedæ, ex Pœnitentiali Rabani, & Pœnitentiali Romano nec non ex Burchardi Vvormatiensis, Anselmi Lucensis, Yvonis Carnotensis, & Gratiani collectionibus, maximam partem descriptos.

Bina accusatione ab æmulis oneratur Joannes XXII. Primùm quidem quod animarum plenè & integrè purgatarum felicitatem, Deique visionem, quam *facie ad faciem* scriptura vocat, post ultimam corporum omnium resurrectionem, differendam docuerit, ac etiam suprema auctoritate definierit. Quod utique de illo testatur Hadrianus VI. *in suis ad* 4. *sent. Commentariis Dist.* 7. Imò probatis Historiæ monumentis constare dicunt, Joannem errorem illum tam fervidè disseminasse ac promovisse, ut iis pinguia beneficia conferret, qui eum ex Sacro suggestu populis prædicarent: Generalem etiam Franciscanorum Ministrum nomine Gerardum *Parisios* delegasse, ut eumdem illum errorem ab Academia Parisiensi suscipi curaret: Virumque ex adverso Religiosum ex ordine Prædicatorum Thomam Valesium in carcerem conjici jussisse; quod eum errorem e Sacro suggestu apostolica libertate confutasset.

Calumniam dixi Joanni XXII. impactam, nec elapsi verbi pœnitet. Quamquam enim negari omnino non possit, Joannem XXII. in eam sententiam, quæ animarum plenè purgatarum felicitatem, post corporum resurrectionem differt, admodum inclinasse, propendisse, ac si lubet totis viribus promovisse; Illud tamen peræque certum est, nihil eum ex Cathedra, ut ajunt, atque suprema auctoritate definivisse. Liquet id primùm, ex solemni declaratione, quam morte proximus scripto dedit, quamque ex integro refert Odoricus Raynaldus in Annalibus ad annum 1334. Liquet secundò ex Joanne Villani illius ævi scriptore celeberrimo *lib.* 10. *Historiarum cap.* 10. Liquet tertiò ex publico documento Academiæ Parisiensis, Galliarum Regi Philippo Valesio dato, anno 1333. quod integrum retulit Joannes Coeffeteus Episcopus Massiliensis, in *Responso*

ponso

ponso ad mysterium iniquitatis Philippi Mornæi. Quæ tria Hadriani VI. contrarium obiter attestantis suffragio longè præponderant. Cum is post annos circiter ducentos floruerit, eaque de re obiter dixerit, *in suo ad 4. sententiarum librum Commentario*, nondum Ecclesiæ Pontifex factus, sed privatus Theologiæ Doctor, ac Professor in Academia Lovaniensi.

Quod de Generali Franciscanorum Ministro jactatur perinde falsum est. Reclamavit enim in oppositum Joannes XXII. datis ad Regem Galliarum Epistolis; quibus contestatus est, se alio alioque consilio, Ministrum illum in Gallias delegasse, ut scilicet de pace ageret, inter Reges Galliæ & Scotiæ sancienda.

Quod Thomam Valesium attinet, monet Odoricus Raynaldus, fuisse illum in carcerem conjectum, non quòd errorem, de dilata ad diem usque judicii animarum purgatarum felicitate, simpliciter confutasset, sed quòd debitæ modestiæ modum excessisset; Pontificemque, cujus erat publicè nota contraria sententia, pessimis modis habuisset; atque injuriis verbis affecisset.

Altera, qua oneratur Joannes XXII. accusatio struitur ex historia controversiæ, quæ cadente sæculo decimotertio a Franciscanis excitata est, de religiosa paupertate, quam ipsi ad amussim, atque ad exemplar Christi D. profiteri gloriabantur; Joanne XXII. contraria Nicolao III. Pont. Maximo statuente ac definiente. Definierat scilicet Nicolaus III. Fratres Franciscanos veram profiteri Evangelicam paupertatem; propterea quòd nullius omnino rei dominium haberent, ac nequidem panis, quem ederent, & Vini quod biberent; sed usumfructum duntaxat haberent; horum verò dominium staret penes Summum Pontificem. Addiderat Nicolaus, Christum D. perfectissimæ paupertatis una cum Apostolis exemplum dedisse, nihilque prorsus etiam in commune habuisse cum ipsis; ut videre est in *Cap. Exiit, de verborum significatione, in sexto*. Contrarium verò subindè definivit Joannes XXII. *in Extravagantibus*: Nempe in rebus usu consumptibilibus, (qualia profectò sunt Panis & Vinum) usumfructum a dominio separari non posse: atque ita privatos Franciscanos Dominos esse, & panis quem ederent, & vini quod biberent, illæso tamen quod emiserant strictissimæ paupertatis voto. Addidit Joannes, Christum D. aliquid in commune cum Apostolis habuisse: atque ita non obesse voto Evangelicæ paupertatis, si quid Viri Religiosi in commune possideant. Ex hac porro duorum Pontificum, tam contraria de paupertate Evangelica statuentium dissensione, alterutrum errasse, avidissimè colligunt Pontificiæ indeficientiæ impugnatores.

Cui tamen depellendæ calumniæ, satis sit observare, totam illam Controversiam, quæ Ecclesiam universam diu multùmque ma-

lè torsit, ad fidem nihil attinere; sed fuisse in materia utrinque probabili: atque ita a duobus illis fuisse judicatam bona gratia; & ad sedandos turbatos Fratrum animos, juxta probabilitatis terminos. Idcirco illorum Pontificum nullus errasse in fide convincitur, nec Nicolaus III. nec Joannes XXII.

Disputant enim verò Jurium periti, an in rebus usu consumptibilibus, maximè verò comestibilibus & potabilibus, ususfructus a dominio divelli possit? negant id aliqui hoc nixi momento: *Ille est rei Dominus, qui jure eam destruere potest, destruitque re ipsa: sed qui panem edit, vinumque bibit, ea necessariò destruit, edendo atque bibendo: illorum igitur Dominus est*; atque ita ususfructus a dominio non sejungitur in hujusmodi rebus. Oppositum tamen alii tenent, qui satis non esse putant, ut quis rei alicujus Dominus censeatur, si eam utcumque ad naturalem usum destruere possit; sed ultra necesse esse, ut eam possit omni prorsus modo destruere; eamque possit, si libuerit, donare, vendere, commutare, projicere, atterere, igne absumere. Porro, subjungunt illi, privati Franciscani religiosi Viri, usum habentes, quem ipsa illorum natura ad sui sustentationem postulat, panis quem edunt, vinique quod bibunt; ea tamen donare non possunt, vendere, commutare, projicere, igne absumere: Igitur usumfructum illorum habent, sine pleno dominio. Atque ita apud illos ususfructus a dominio sejungitur, quod penes solum restat Pontificem Romanum.

Disputant pariter Sacrarum Scripturarum Interpretes, Num Christus & Apostoli, secundum varios vitæ status, aliquid quandoque in commune habuerint? an arctam illam paupertatem, qua nihil etiam in commune possiderent, toto vitæ decursu coluerint? Extant enim in utramque partem Sacrorum Evangeliorum Oracula. *Matth.* 10. *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in Zonis vestris &c. Matth.* 8. *Filius hominis non habet ubi reclinet Caput suum Lucæ* 8. *Mulieres ministrabant ei de facultatibus suis*. Quæ sanè probare videntur, nihil eos in commune habuisse. E contrario *Joann.* 13. *Judas loculos habuisse* legitur, & quidem tanquam communis cœtus Apostolici procurator. *Joann.* 4. *Christus discipulos in civitatem misisse* legitur, *ut emerent cibos*. Et *Joann.* 13. *Christus aliquid egenis dari jussit*. Quæ contra videntur innuere, Christum Dominum aliquid in commune cum Apostolis habuisse. Ex quibus facilè colligas, in materia utrinque probabili pronunciasse Joannem XXII. & Nicolaum III. Atque ita quidquid seu verè seu falsò indicarint, nihil contra fidem errasse.

Sunt & alii qui Gregorium III. incusant, quasi qui Ecclesiæ fidem, quam de indissolubilitate Matrimonii Catholica profitetur

Ec-

Ecclesia, ex Tribunali violaverit; dum a Bonifacio Moguntino Episcopo, de variis Capitibus interrogatus, qualiter de iis teneat ac doceat Romana Ecclesia, hoc illi per Epistolas responsum dedit: *Quod proposuisti, si Mulier infirmitate correpta non valuerit debitum Viro reddere, quid ejus facere debeat jugalis? Respondeo, bonum esset si sic permaneret ut continentiæ vacaret: Sed quia hoc Magnorum est, ille qui se non potuerit continere, nubat magis.* Nempe definit, inquiunt, Gregorius III. Mulieris illius Virum, quæ pro infirmitate debitum conjugale reddere nequit, Uxorem alteram ducere posse; quod certè erroneum est. Undè Gratianus, in hoc Gregorii III. Responsum, ex Cathedra datum intendens, 3. *parte decreti Caussa* 32. *quæst.* 7. hanc illi notam seu glossam appinxit: *Illud Gregorii dictum Sacris Canonibus, & Evangelicæ doctrinæ adversatur.*

Non est tamen ita ut fingunt morosi censores. Responsum quippe Gregorii de ea muliere intelligendum est, quæ debitum viro reddere nequit, propter infirmitatem Matrimonium præcedentem, quæque perpetuam impotentiam adjunctam habet, sed ante Matrimonium non innotuerat. Quod utique Responsum sic intellectum, tantum abest ut Sacris Canonibus & divino Juri adversetur, ut potius congruat maximè toto fermè titulo *De frigidis & Maleficiatis.*

Quare Gratiani nota rejicienda est, uti Pontificiæ dignitati injuria & imprudens. Mirumque omnino est, non fuisse illam expunctam a Decreti Correctoribus, a Gregorio XIII. ad illius emendationem deputatis. Sed de Decreto ipso emendando cogitarunt illi, non de Notis ad Decretum castigandis. Undè & alias tam multas intactas reliquerunt, quæ eruditorum judicio, spongia longè magis egebant.

Instant nihilosecius, eundem Gregorium III. Capitibus 1. & 4. præceptum esse: *ut qui baptizati sunt a Paganis* aliisque Judaicorum rituum observatoribus, in Nomine Sanctissimæ Trinitatis baptizentur.

Obvia responsio est: Ita respondit Gregorius ad cautelam, quia de utrisque dubitabatur, an ab iis servata esset Evangelica forma, invocatio scilicet SS. Trinitatis. Non ita tamen faciendum injunctum est, si illos Evangelicam formam servasse constiterit.

Innocentium VIII. in errore versatum aliqui dicunt, dum anno 1439. Privilegium Abbatibus Cisterciensibus dedit, ut subditos sibi Monachos ordinare Diaconos possent. Quod privilegium se legisse testatur Vasquesius *disput.* 143. *in* 3. *partem S. Thomæ*, & in Collegio Complutensi servari.

Quibus respondeo primò. Lapsum illum Innocentii VIII. in fi-

de non esse, sed ad disciplinam potius pertinere. Undè privilegium exorbitans dicitur a Navarro *lib. 5. Consiliorum* non error in fide.

Respondeo secundò; Vasquesium sua perspicilla fefellisse. Quandoquidem hoc ipsum privilegium vidisse se quoque testatur Franciscus Victoria *in summa N.* 235.; Et de Subdiaconatu duntaxat conferendo, facultatem elargiri. Quin etiam Bensonius *lib. 2. de anno Jubilæi*, Innocentii VIII. privilegium in eo tantum positum dicit, ut possent Cistercienses Abbates Litteras Dimissoriales suis Monachis dare, ut a quocumque Episcopo ordinentur, nulla habita distinctione Diæceseon & Provinciarum. Et ita non solùm Romæ fuisse declaratum, ait, a Sacra Congregatione Concilii Tridentini interprete anno 1592. verùm etiam a Clemente VIII. in Bulla Cisterciensibus data. Unde nec Cistercienses, nostra Patrumque memoria eo fictitio privilegio sunt usi.

Gravior longè multo in Sixtum V. intenditur criminatio: Quòd nempe solemni diplomate Sacris Bibliis præfixo, non modò errarit in fide, sed & ipsam primariam fidei regulam vitiarit atque corruperit. Factum hujusmodi est. Vulgatam Scripturæ Sacræ utriusque Testamenti versionem, ad fidem veterum Codicum corrigi &. emendari curavit Sixtus V. eandemque sic emendatam, legendam Universis fidelibus proposuit, indicta Anathematis pœna omnibus ac singulis, qui eam ut authenticam non agnoscerent; aliamve in Scholis, scriptis, sacrisque Congressibus usurparent. Vix tamen circumferri cæpit Editio sic emendata, cum statim a Viris Eruditis linguarumque peritis observata in ea sunt menda longè plurima, quæ ad numerum supra millesimum collecta sunt à Thoma Tamesio, in Academia Oxoniensi Artium Magistro, in libro cui titulum dedit *Bellum Papale*. Quibus postmodum excitatus Clemens VIII. omnia quantum fieri potuit publicatæ Editionis exempla intercipi jussit; novam diligentioremque vulgatæ versionis emendationem, pristinis purgatam erroribus, procuravit; pristinum Sixti V. diploma suppressit, novaque Constitutione Apostolica Editionem illam novam repurgatam, emendatamque fidelibus legendam dedit, strictèque mandavit.

Conatu nihilominus irrito factum illud, ad oppugnandam Romanorum Pontificum asphaliam obtruditur. Sixtus enim in ea publicanda Bibliorum editione, minus tunc emendata, minus tunc correcta, nihil saltem contra fidem peccasse convincitur: Cum nullum omnino mendum in ea relictum, Fidem læderet, aut etiam mores attingeret; Sed omnia in minutulis grammaticæ sphalmatibus, in levibus a Græco & Hebraico textu dissonantiis, & logomachiis versarentur: quæ ne omnia quidem secutis inde temporibus,

bus, sub Clemente VIII. sunt emendata, imò non pauca fuere relicta; ut ex præmissa novo operi præfatione notum est. Sed nec quidquam falsi diplomate suo dixit Sixtus V. dum correctam emendatamque Bibliorum editionem publicare se dixit: quia non correctam emendatamque simpliciter dixit, *sed pro ut optimè fieri potuit. Ex certa nostra scientia*, ait ille in Præfatione; *atque Apostolicæ auctoritatis plenitudine, statuimus ac declaramus, eam vulgatam Sacræ Scripturæ, tam veteris quam novi Testamenti, latinam Editionem, quæ pro authentica a Concilio Tridentino recepta est, sine ulla dubitatione aut controversia, censendam esse hanc ipsam, quam nunc pro ut optimè fieri potuit emendatam, ex Vaticana Typographia impressam, in universa Republica Christiana, atque in omnibus Christiani Orbis Ecclesiis legendam evulgavimus.*

Alia multa supersunt hic errantium in fide Pontificum diluenda momenta, sed quoniam sat temporis non suppetit, idcirco in diem alteram mittimus majori otio refellenda.

PRÆ-

PRÆLECTIO IX.

Satisfit aliis exemplis, contra Pontificum infallibilitatem in fide, in contrarium fieri solitis.

ETsi in superiori Prælectione funditùs a nobis eversa sint, disjecta, dirutaque ea omnia errantium in fide Pontificum exempla, queis adversæ Sententiæ vindices Pontificiam indeficientiam oppugnare moliuntur. Nihilò tamen minus acerrimis impugnatoribus non deest ingenium atque industria, ut tot allatis & undequaque congestis exemplis alia aliorum nonnulla subjiciant, ut alios longè plures ostendant, qui si non re ipsa errarint, errare tamen posse potuisseque professi sunt, suorumque erratorum, si quæ fortè contigissent, veniam postularunt.

Id ut præstent, in his primum Leonem IV. obtendunt, qui *Canone, si incompetenter; Caussa* 2. *quæst.* 4. Ludovicum Augustum Galliarum Regem alloquens, inquit; *si incompetenter aliquid egimus, & in abditis justæ legis tramitem non conservavimus, vestro vestrorumque missorum cuncta volumus emendari judicio.*

Alter est Innocentius III. *Serm.* 2. *de consecratione Pontificis; In tantum mihi fides est necessaria, ut cum de cæteris peccatis Deum solum Judicem habeam, propter solum peccatum, quod in fide committitur, possem ab Ecclesia judicari.*

Et *Serm.* 3. *Propter fornicationis errorem, potest Ecclesia Romana dimittere seu repudiare Pontificem.*

Sequitur Gregorius XI. in Testamento quod morti proximus scripsit die 15. Maii anno 1374. & in publicas tabulas referri voluit; legiturque modò *Tomo* 6. *Spicilegii Lucæ Dacherii. Item volumus, dicimus, & protestamur, ex certa nostra conscientia, quod si in Consistorio, aut in Consiliis, vel Sermonibus, vel collationibus publicis, vel privatis ex lapsu linguæ, aut aliàs ex aliqua turbatione, vel etiam lætitia inordinata, aut præsentia Magnatum, ad eorum forsitan complacentiam, seu ex aliquali distemperantia, vel inadvertentia, aut superfluitate, aliqua dixerimus erronea contra Catholicam fidem, quam coram Deo publicè, ut tenemur, præ cæteris profitemur, colimus, & colere cupimus; seu forsitan adhærendo aliquorum opinionibus contrariis fidei Catholicæ; Scienter, quod non credimus, vel etiam ignoranter, aut dando favorem aliquibus, contra Catholicam Religionem obloquentibus; illa expressè, ac specialiter revocamus, detestamur, & habere volumus pro non dictis.*

Simi-

Similia protestatus est Clemens VI. in Diplomate dato 7. Idus Decembris 1351. *Nos qui inter peccatores peccator viximus, infirmitatem nostram pœnitentiæ passibus metientes, si qua dudum in minoribus constituti, & postquam ad fastigium Apostolicæ dignitatis Divina bonitas dignanter potius, quam dignè provexit, nos disputando, legendo, prædicando, aut aliàs contra veritatem Catholicam & fidem, vel bonos mores, ex lapsu linguæ præcipitanter fortè protulimus; revocamus & volumus pro revocatis habere; & ea omnia Sedis Apostolicæ auctoritati submittimus, & supponimus corrigenda.*

Similia quoque Urbanus V. morti proximus declaravit Confessario suo aliisque familiaribus anno 1370. de quibus lege Natalem Alexandrum *Tom. 7. Hist. Eccles. in Clemente VI. & Urbano V.* Idem fassus est. S. Gregorius M. *lib. 1. Dialog. Col. 21.*

Accedit quod Clemens IV. in Rescripto ad Abbatem Casæ Dei respondit, dum is nonnulla Monasterio suo privilegia concedi postularet. *Comperimus* inquit, *Prædecessores nostros Monasteriis dedisse privilegia divino juri, & humano contraria, quæ rationabiliter annullare possemus.*

Iis accinit Paulus IV. qui a Rege Galliarum rogatus, ut Matrimonium per verba de præsenti contractum, inter ducem de Monmorancii, & Comitissam Pienæam rescinderet, Congregationem Prælatorum & Theologorum instituit, ut ipsi diligentiùs examinarent, quid hac in re posset Romanus Pontifex, eosque ad se vocatos his verbis affatus est: *Ne quæso vos terreant decessorum meorum facta & exempla; quæ eatenus sequi volo, quatenus scripturæ auctoritas, & Theologorum rationes nos ad illud agendum inducent .... Non dubito quin & ego, & decessores mei errare aliquando potuerimus, non solùm in hoc, sed etiam in pluribus aliis rerum generibus.* Ita refert Joannes de la Haye, qui præsens aderat, ejusque narratio ut & in antecedentibus diximus, *in Michaelis Castelnavi Malvisserii Tomo 2. Commentariorum*, de integro fertur.

Respondeo: Laudatos Romanos Pontifices ultro citroque fassos esse potuisse, se suosque decessores errare, non utique dum de fide e Sacro Tribunali, seu ex Cathedra pronunciarent, uti supremi Ecclesiæ Judices; sed dum pro conditione privatorum Doctorum de rebus sacris fortè fortuna differerent; aut dum de rebus ad fidem minimè pertinentibus pronunciarent. Concessio quippe Privilegiorum, uti & rescissio Matrimoniorum (in quibus errare posse Pontifices, fassi sunt Clemens & Paulus) ad disciplinam Ecclesiasticam pertinet, non ad fidem.

Opponitur loco ultimo Hadriani VI. *Suffragium in Comment.* ad

ad lib. 4. *Sent.* scribentis *dist.* 7. ubi conceptissimis verbis habet ; *Si per Romanam Ecclesiam intelligatur caput illius, puta Pontifex, certum est quod possit errare etiam in his, quæ tangunt fidem, Hæresim per suam determinationem aut Decretalem asserendo. Plures enim fuere Pontifices Romani hæretici.*

Respondeo: Commentarios illos ab Hadriano fuisse editos ante Pontificatum adeptum, dum publicus Professor esset in Academia Lovaniensi: atque ita suffragium illud esse non Hadriani VI. sed Hadriani Florentii, privati Theologi, non Romani Pontificis. Imò verisimilimum est, Hadrianum Pontificem factum, eo in capite mutasse sententiam.

Neque obest, quod Hadrianus VI. etiam Pontifex factus, suos illos Commentarios novis Romæ typis edi voluerit, præfixo etiam in fronte stemmate Pontificio, quin vel verbulum ad eum locum immutaverit. Id enim fortasse fecit, non ut se pristinæ sententiæ tenacem ostenderet; sed ut suæ illius sententiæ, quam Lovanii quondam docuerit, certum extaret posteris monumentum. Ecquis etiam certò sciat, an suos ipse Commentarios recognoverit Pontifex factus, qui aliis longè pluribus, iisque melioribus curis erat occupatus? An etiam Romanam illam Editionem adornari jusserit, sub ipsum Pontificatus initium antequam pristinam sententiam, occasione dispensationis Galapioni concessæ ministrandi Sacramentum confirmationis, mutasset! Nihil itaque ex illa curata Romæ Commentariorum Editione, in qua nihil legitur immutatum, extundi potest, ut Hadrianum VI. sententiam pristinam minimè mutasse colligi possit: cum aliàs extet non leve mutatæ ab eo sententiæ monumentum.

Superest Momentum unicum, a ratione petitum. Si Papa in ferendo de fide solemni judicio errare non posset, superflua essent Concilia generalia ad hæreseon damnationem: Quandoquidem possent a solo Pontifice infallibiliter proscribi atque damnari.

Respondeo, non esse absolutè necessaria Concilia Oecumenica, ad certam & infallibilem Hæresum damnationem: Cum tam multæ sine celebratis Conciliis damnatæ sint Hæreses tribus prioribus Ecclesiæ Sæculis, ante Concilii Nicæni I. celebrationem, ac secutis etiam inde temporibus: esse tamen quandoque necessaria, tum ad coercendam Hæreticorum pertinaciam, qui unius R. Pontificis judicio stare nolunt, quem in ferendo judicio falli posse dicunt: tum ad ostendendam omnium Ecclesiarum in errore aliquo damnando consensionem: Ad quæ duo medium est ordinarium Concilii generalis convocatio. Patet id exemplo Concilii omnium primi in Ecclesia celebrati, Jerosolymitani scilicet, temporibus Apostolicis. Controversia Antiochiæ orta fuerat Judæos inter atque Gen-

Gentiles ad fidem conversos, essent ne Legalia necessariò servanda. Nemo Apostolorum illic erat, qui controversiam illam solus definire non posset, judicio prorsus infallibili, cum esent illorum singuli indeficientiæ in fide privilegio a Christo donati post effusionem Spiritus S.; Concilium tamen Jerosolymis actum est, ad quod convenere Apostoli omnes, qui illic aderant, & seniores, ut negotium illud in commune conferrent. Hujusque Concilii audito judicio turbatorum fidelium sedati sunt animi, & in eandem Sententiam reconciliati.

DISPUTATIO TERTIA
DE ROMANI PONTIFICIS
Super Concilia generalia præstantia auctoritatis, potestatis atque jurisdictionis.

PRÆLECTIO I.

Præstare Romanos Pontifices Conciliis generalibus auctoritate, potestate & jurisdictione, multis ostenditur.

POst agitatam per dies multos celeberrimam Controversiam, de Romani Pontificis, in judicandis fidei caussis, asphalia, seu ut schola loquitur, infallibilitate, & indeficientia; Altera proximè sequitur, quæ de ejusdem R. Pontificis, super Concilia generalia, præstantia auctoritatis ac potestatis, solet a Jurisperitis, & Theologis agitari.

Hanc ut agitare officii nostri credimus esse, ita illam ipsam in bono lumine ponere, plenissimèque exponere, convenit; quidve propriè in quæstionem veniat, explicare necesse est; ne, quod sæpe fit, perperam atque præposterè controversiæ status accipiatur. Intendat igitur animos, dicentique faveat, studiosa Juventus.

Concilium generale bifariam accipi potest. Primò quidem ut Episcopos complectitur universos in cætum vocatos, simulque Romanum Pontificem, qui iisdem præest, seu per sese, seu per Legatos suos. Atque hoc sensu, eaque amplitudine accepto Concilio, perfatuum esset inquirere, sit ne R. Pontifex Concilio generali superior? Idem quippe esset atque inquirere, sit ne R. Pontifex superior R. Pontifice? Cum & sic Concilium generale R. quoque Pontificem complectatur. Imò cum totum majus sit parte sua; sitque R. Pontifex, Concilii generalis hoc sensu accepti, & intellecti pars, tametsi principalis, & capitalis; necesse professò est, Concilium generale eo sensu acceptum & intellectum, majus aliquid esse; atque ita potestate & auctoritate præstantius Pontifice solo, ac seorsim accepto. Maximè verò cum repugnet Episcopos universos R. Pontifici adjunctos, R. Pontifici nihil addere, nihil adjun-

adjungere. Hoc itaque sensu accepto Concilio non, movetur in præsens, controversia. Secundò, Concilium generale accipi potest, ut solos complectitur universos Episcopos in cætum vocatos, Pontifice ipso, qui iis præest, non intellecto & computato. Uti profectò dum dicimus, hunc vel illum Rom. Pontificem huic vel illi Concilio Oecumenico præfuisse, E. G. Sylvestrum Nicæno I. id solum intelligimus, præfuisse illum Episcopis trecentis decem & octo in eum cætum vocatis, Pontifice non intellecto nec computato: cum planè pugnet sibimetipsi præesse Pontificem, dum aliis Episcopis præest.

Atque ille ipse germanus est sensus, quo præsens agitur Controversia de R. Pontificis supra Concilium Oecumenicum eminentia. Nempe illud quæritur, num ex quo convenerunt in Concilium Episcopi universi, simulque ad ferendum judicium sedent, præside Romano Pontifice, seu per sese, seu per legatos suos, major sit eorum omnium Episcoporum auctoritas, jurisdictio, judicandi potestas, quàm Romani Pontificis, qui præses illis & caput est? Adeo ut conspirantibus in Sententiam aliquam Episcopis universis, Romano verò Pontifice in contrariam abeunte, & oppositum servatis aliundè debitis formulis definiente, standum nobis esset Episcoporum Sententiæ potius, quàm Romani Pontificis; aut e contrario R. Pontificis judicium amplectendum esset potius quam Episcoporum? Quo sensu quæstionis explicato, ita pronuncio. Romanus Pontifex Concilio Oecumencio præstat, eidemque auctoritate, jurisdictione, judicandi definiendique potestate superior est.

Probant id aliqui ex eo quod Romanus Pontifex convocet jure primatus sui Concilia generalia, iisque præsit seu per sese, seu per Legatos suos.

Quam futilis, quam elumbis probatio illa sit, ex eo præsertim ostenditur, quod ut cætum aliquem convocare quis possit, satis abundè sit, si in singula illius membra, seorsim ac sejunctim accepta, supremam auctoritatem exerceat. Ex hoc enim solo singulis membris præcipere potest, ut in cætum conveniant: non est tamen omnino necesse ut supra cætum integrum, ubi semel coactus est, supremam habeat potestatem. Non absimiliter, ut cætui præesse quis possit, satis est, si primatum in cætu teneat honoris & dignitatis; etsi fortè dominatum, supra cætum ipsum, nullum habeat. Quod in omni bene constituta Republica quotidie comprobatur.

Adde, ex hoc quod R. Pontifex dispensare possit super Conciliorum Oecumenicorum statutis, probari non potest, velut a posteriori, eum Conciliis Oecumenicis esse superiorem. Cum enim dispenset super statutis Conciliorum, quæ non solùm Episcopos sed

N 2 & R.

& R. Pontificem complectuntur, consequens esset, R. Pontificem ita dispensantem, Concilio Oecumenico esse superiorem, ut Pontificem ipsum Episcoposque complectitur, quod est absurdissimum.

Dispensat etiam R. Pontifex super statutis prædecessorum suorum, quibus tamen superior non est.

Fœliciùs in statutæ conclusionis probationem ingrediar, si Romani Pontificis potestatem auctoritatemque, Concilio generali superiorem ostendero, ex jure quod habet, habuitque semper, Concilia Oecumenica confirmandi; adeo ut nulla semper habita sint, nisi illis Romani Pontificis accesserit confirmatio. Modò tamen ad submovendum æquivocum, qualis ea sit confirmatio, quæ Pontificii juris est, paucis ostendero. Omnis enim confirmatio superiorem in confirmante auctoritatem non arguit semper, arguit tamen aliquando. Quod ut intelligat studiosa Juventus, observet quæso, aliam esse confirmationem *meræ approbationis*, *consensionis*, & *adhæsionis*: dum scilicet quis Decretum, statutumque aliquod, aut sententiam scriptionemve aliquam confirmare dicitur, quod eam approbet, eidemque subscribat, atque consentiat; Et hæc certè confirmatio superiorem in confirmante auctoritatem non arguit: cum possit etiam æqualis, imò & subditus superioris sententiam, Decretum, statutumque probare, eidemque subscribere, & consentire. Quo titulo Martinus I. Rom. Pont. data ad Amandum Trajectensem Episcopum Epistola, eundem rogavit, ut a Gallicanis Episcopis *confirmari* curaret, *quæ ipsemet pro Orthodoxa fide in Concilio Romano decreverat*: cum tamen Galliarum Episcopos sibi superiores Martinus nequaquam agnosceret. Sed est & alia Confirmatio *Jurisdictionalis* & *judicialis*; qua nempe quis ita decretum aliquod statutumque confirmat, ut de illo judicium etiam authenticè faciat, possitque pro potestate rescindere, infringere, in irritum mittere. Quæ certè confirmatio, seu potius confirmandi jus, supremam in confirmante auctoritatem arguit, eminentiamque potestatis.

Porro, ut jam ad institutum accedam, Romani Pontifices ita confirmandorum Conciliorum generalium auctoritatem habuere semper, ut ea etiam, illorumque statuta atque Decreta pro arbitrio rescindere possent, atque infringere. Sic Liberius R. P. Concilii Ariminensis judicium infregit, & Leo Magnus Concilii II. Ephesini acta rescidit: amboque Pontifices ab Episcopis Conciliorum illorum, fidei professionem exegerunt, iis apertè contrariam, quæ ante decreverant sanxerantque; ipsasque illorum Synodos cassas, nullas, futiles pronunciarunt. Quin & ille ipse Leo Magnus summis precibus exoratus a Patribus Concilii Chalcedonensis, ut quem in gratiam Patriarchæ Constantinopolitani *Canonem* 28. ediderant,

ßerant, auctoritate sua confirmaret, eundem infregit infirmavitque, adeo ut ad multum tempus, etiam in Ecclesia Orientali effectu caruerit Canon ille.

O quam infimis precibus, quam plenis venerationis & observantiæ significationibus, Decretorum suorum confirmationem, a Julio R. P. postulavit Concilium Sardicense, a Cœlestino Ephesinum I. a Leone Chalcedonense, ab Hadriano Nicænum secundum! Ut de cæteris in Occidente celebratis Conciliis, ac tandem de postremo Tridenti habito sileam, quorum est major in Romanos Pontifices observantia, veneratio, reverentia.

Notandum tamen hic obiter, Concilium Nicænum I. actorum suorum confirmationem a Sylvestro R. P. non petiisse; esseque planè commentitiam Romanam Synodum, Sylvestri tempore celebratam, cujus in actis falsò refertur, Nicænæ Synodi Patres, a S. Sylvestro suorum Actorum confirmationem postulasse; uti etiam falsum est, quod in Breviario Romano legitur de S. Leone II. in lectionibus, *Probavit acta sextæ Synodi:* Id quippe vitiatum est: in antiquis enim Breviariis habebatur duntaxat: *hic suscepit Sanctam Synodum sextam*. Sed id obiter.

Allatis ante momentis in auctoritatis Pontificiæ probationem supra Concilia Oecumenica, accedit & istud observatione dignissimum. Nempe quo jure quave ratione, omni retro ætate a Romano Pontifice ad Concilium appellare vetitum fuit; ita vice versa a Concilio ad R. Pontificem appellare licuit semper, semperque est appellatum a viris etiam Sanctissimis; eorumque appellationes accepere Romani Pontifices. Sic S. Athanasius Episcopus Alexandrinus, & Paulus Episcopus Constantinopolitanus a Concilio depositi ad Julium R. Pontificem appellarunt, fuisque ab eo sedibus restituti sunt. Sic Flavianus Episcopus Constantinopolitanus & Theodoretus Episcopus Cyri a Concilio Ephesino II. ad S. Leonem R. Pontificem appellarunt, eorumque appellationes Leo recepit. Sic Macarius Antiochenus & alii a *6.* Synodo Oecumenica damnati appellarunt ad Leonem II. Sic S. Joann. Chrysostomus a Concilio ad Quercum depositus ad Innocentium I. appellavit, qui & ipsum suæ Sedi restituit. Cum ergo interponi appellatio non possit, nisi ad Judicem superiorem: consequens profectò est, Pontificem superiorem esse Concilio, cum a Concilio ad Pontificem omni retrò ætate appellare licuerit, semperque fuerit appellatum.

Variis hoc idem rationibus demonstratur, petitis ex variis Romanorum Pontificum titulis a Christo D. Petro Pontificum primo concessis.

Primò. Est ille summus Ecclesiæ Pastor, juxta Domini verbum, Petro primo Pontifici dictum, *Pasce oves meas, pasce agnos meos:*

meos: Pastor autem superior est omnibus agnis, & omnibus ovibus etiam congregatis.

Secundò. Est summus in Ecclesia Oeconomus & dispensator, juxta illud *Lucæ* 12. *Quis putas est fidelis dispensator, & prudens*, Is porro super universam familiam constituitur, estque in Ecclesia paterfamilias. Quis autem Patrem familias, toti familiæ superiorem esse neget?

Neque refert, quod nonnulli reponunt Romanum Pontificem tam in Ecclesia Universa, quam in Concilio Oecumenico partem esse. Quasi verò? Pars equidem ille est, sed dominatrix, cæterarumque omnium matrix, moderatrix, & retrix. Ad eum sanè modum, quo Rex Galliarum toti Regno suo despoticè præest, supremusque Dominus est; quamquam sit ille Gallici Regni pars, utique Dominatrix: caputque humanum toti corpori dominatur, & præest, tametsi rationem partis habeat in homine toto, partis inquam cæterarum motricis atque rectricis.

Minus multò refert quod illi subjiciunt, maximè verò Ludovicus Maimburgus: idcirco Reges supremos in regnis suis auctoritate præstare, quia in suis ditionibus Dominatum exercent; quod contra facere in Ecclesia nequeunt Romani Pontifices, quibus a Christo Domino in persona Apostolorum dictum est *Lucæ* 22. *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic, sed qui major est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator*. Non habent itaque Pontifices dominatum.

Non id inquam refert: duplex enim distinguendus est in Ecclesia dominatus; alter quidem *proprietatis & possessionis*, qui solius Christi proprius est; quippe qui solus Ecclesiam mercatus est sanguine suo; alter *jurisdictionis atque regiminis*, qui Romano Pontifici maximè congruit; cum summus Ecclesiæ rector, moderator & princeps a Christo D. datus sit. Unde Gersonius ipse quamquam R. Pontificibus minus propitius) *lib. de Statu Prælatorum Consideratione* 13. disertè asserit: Esse in Papa potestatem Monarchicam, & quodammodo regalem: *Status Papalis*, inquit, *institutus est a Christo supernaturaliter & imediatè; tamquam primatum habens Monarchicum, & regalem in Ecclesiastica hierarchia: secundum quem statum unicum & supremum, Ecclesia militans dicitur una sub Christo. Quem statum quisquis impugnare, vel diminuere, vel alicui Ecclesiastico statui peculiari coæquare præsumit, si hoc pertinaciter faciat, hæreticus est, schismaticus, impius atque sacrilegus. Cadit enim in hæresim toties expressè damnatam, a principio nascentis Ecclesiæ usque hodie, tam per institutionem Christi de principatu Petri super Apostolos, quam per traditionem totius Ecclesiæ in sacris eloquiis suis, & generalibus Conciliis*.

Et

Et Academia Pariſienſis in Inſtructione data Germanis anno 1575. Papalem poteſtatem declarat eſſe *jure Divino Monarchicam*. Chriſtus ergo loco nobis objecto diſcipulis ſuis vetat Dominatum tumidum, ſuperbum, arrogantem, quò Reges gentium in ſuos ſolent ſubditos dominari; ut ſcilicet fideles ſubditos, manſuetudine, lenitate, & charitate Pontifices moderentur, & regant: non Dominatum prohibet ſupremæ poteſtatis atque auctoritatis; cum duo illi Dominatus ſecum invicem minimè pugnent. Chriſtus enim qui de ſe ajebat, *Mitis ſum & humilis corde*, de ſe quoque dicebat; *vos vocatis me Magiſter & Domine: & benè dicitis, ſum etenim:* & alibi, *Ego Dominus & Magiſter lavi pedes veſtros*.

PRÆ-

PRÆLECTIO II.

Pontificum supra Concilia potestas, veterum auctoritate, confirmatur.

HActenus Romanorum Pontificum eminentiam super Concilia Oecumenica, petitis undequaque rationum momentis, probavimus, demonstravimus; Reliquum modò est, ut eandem veterum auctoritate confirmemus. Ex Patribus unum proferam Augustinum supremæ hujus potestatis & eminentiæ assertorem; Cætera veterum testimonia ex Conciliis ipsis & Romanis Pontificibus petam.

Certè Augustinus judicium R. Pontificis in caussa fidei, finale Ecclesiæ judicium existimavit, quo semel lato nullum aliud etiam Oecumenici Concilii judicium peti jure possit.

Totum id caussa Pelagianorum videre fuit. Statim atque Innocentii I. judicium Romæ latum, ad Pelagianæ Hæreseos damnationem in Africam perlatum est, Augustinus pro concione ad populum dixit: *Rescripta a Sancta Sede Apostolica venero, caussa finita est, utinam & error finiatur*. Et *lib.* 3. *contra Julianum cap.* 1. *Non amplius vobiscum agendum est, quantum ad jus examinis pertinet, nisi ut prolatam de hac re sententiam cum pace sequamini, quod si nolueritis, a turbulenta & seditiosa inquietudine cobibeamini*. Et *Epist.* 153. *Pelagius & Cœlestius a duobus Venerabilibus Antistitibus Apostolicæ Sedis Papa Innocentio & Papa Zozimo damnati, nisi correcti egerunt pœnitentiam, toto Christiano Orbe pellendi sunt*. Quid plura? *Lib.* 4. *ad Bonifacium cap. ultimo*, eosdem Pelagianos tanquam lupos turbulentos & inquietos insectatur; quod a Romanis illis duobus Pontificibus damnati, generale totius Orientis & Occidentis Concilium dari sibi postulaverint, ut eorum caussa ultimò judicaretur. *Hanc gloriam Pelagiani captare intelliguntur, ut propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur, orbem quippe Catholicum, quoniam Domino eis resistente pervertere nequeunt, saltem commovere conantur. Cum potius vigilantia & diligentia pastorali, post factum illis competens sufficiensque judicium*, (nempe ab Innocentio & Zozimo) *ubicumque isti lupi apparuerint, conterrendi sint, sive ut sanentur atque mutentur, sive ut pro aliorum salute vitentur. &c.*

Probatur insuper ea Romanorum Pontificum supra Concilia Oecumenica eminentia auctoritatis, & potestatis, duobus aliis momen-

mentis. Primò. Quod R. Pontifex pro quocumque gravi delicto, a Concilio Oecumenico, alioque tribunali judicari non possit, sed a solo Deo; excepto hæreseos manifesto delicto, per quod desineret esse Pontifex, & Pontificatui cessisse censeretur. Secundò. Quod a R. Pontificis judicio atque sententia, in materia dogmatica morum & fidei, appellatio interponi non possit, etiam ad Concilium Oecumenicum.

Probatur utrumque caput subjectis testimoniis.

Gelasius I. *Epist.* 17. *ad Episcopos Dardaniæ: Prima sedes unamquamque Synodum sua auctoritate confirmat & congrua moderatione custodit pro suo principatu... Non reticemus quod cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet Episcoporum sententiis ligata, B. Petri Apostoli sedes jus habeat resolvendi: Utpote cum de omni Ecclesia jus habeat judicandi; Neque cuiquam liceat de ejus judicare judicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerunt; ab illa autem nemo sit appellare permissus... Sed nec illud præterimus, quod Apostolica Sedes frequenter, ut dictum est, more majorum, etiam sine ulla Synodo præcedente, & absolvendi, quos Synodus iniquè damnaverat, & damnandi, nulla existente Synodo, quos oportuit, habuerit facultatem.* Cujus rei multa subjungit exempla. Quod etiam repetit *Epist.* 4. A Judicio R. Pontificis in materia dogmatis numquam a fidelibus est appellatum, etsi fortè in materia facti, aut disciplinæ. Hic lege *Arnald. pag.* 345. *& seq.*

Nicolaus I. *Epist.* 8. *ad Michaelem Imperatorem. Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus Sedis examen voluerunt deferri, ab ipsa nusquam prorsus appellari debere sanxerunt: ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare, ipsam verò ad nullius commeare judicium.*

Bonifacius VIII. *in extravaganti Unam Sanctam; titulo de majoritate & obedientia: Si deviat terrena potestas, judicabitur a potestate spirituali: si deviat spiritualis minor, a majori; si verò suprema, a Deo solo, non ab homine poterit judicari.*

Leo X. *in Constitutione; Pastor æternus*, quæ in Concilio V. Lateranensi lecta, recepta, probataque est *Sess.* 11. sic habet. *Solum Romanum Pontificem pro tempore existentem, tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, tam Conciliorum indicendorum, transferendorum ac dissolvendorum plenum jus, & potestatem habere, nedum ex Sacræ Scripturæ Testimonio, dictis Sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum etiam prædecessorum nostrorum, sacrorumque Canonum decretis; sed propria etiam eorumdem Conciliorum confessione manifestè constat. Quorum aliqua referre placuit, reliqua verò, utpote notiora, silentio præterire....*

Concilium Florentinum in Decreto unionis; *Definimus sanctam*

Apostolicam Sedem & R. Pontificem in universum Orbem tenere primatum: Et ipsi, & Beato Petro, pascendi, regendi, & gubernandi universam Ecclesiam, a Domino Jesu Christo plenam potestatem traditam esse; Quemadmodum etiam in actis Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur.

Concilium Lateranense sub Alexandro III. ut habetur in *cap. licet, extra, de electione*, rationem assignans cur summa cautela eligi debeat Romanus Pontifex, hanc maximè notat, *quia si delinquat ille, non poterit ad superiorem haberi recursus.*

Occasione Symmachi R. Pontificis, quem IV. Concilium Romanum *Palmare* vulgo dictum a Theodorico Rege Congregatum anno 500. de violatæ castitatis crimine accusatum, noluit in judicium vocare, nisi se ipsemet illius judicio subjecisset, volens ac etiam rogans; Ennodius Papiensis Episcopus in illius Apologia, in quinto Concilio Romano lecta & approbata, inquit: *quia aliorum hominum caussas Deus voluit per homines terminari; Romanæ autem Sedis Præsulem, suo sine quæstione reservavit arbitrio . . . . . Voluit, Beati Petri successores Cœlo tantùm debere innocentiam suam, & subtilissimi discussoris indagini inviolatam exhibere conscientiam. De caussa Symmachi Vaira pag. 620.*

Et S. Avitus Episcopus Viennensis *Epist. ad Senatores Urbis Romæ*, occasione laudati Romani Pontificis suo & Episcoporum Galliæ nomine data insinuavit; dum de Synodo *Palmari*, & judicio in ea lato in caussa Symmachi, expostulavit Ecclesia Gallicana. *Sicut subditos nos esse terrenis potestatibus jubet arbiter Cœli . . . . ita non facilè datur intelligi, qua vel ratione vel lege ab inferioribus superior judicetur . . . . Nam cum celebri præcepto Apostolus clamet, accusationem in præsbyterum accipi non debere; quid in Principem totius Ecclesiæ licere censendum est? Id Synodus Romana prospiciens, caussam, quam penè temerè susceperat inquirendam, Divino potius judicio reservavit.*

Concilium VIII. Oecumenicum, seu Constantinopolitanum quartum, sub Hadriano II. *Actione* 10. agnovit, non habere se auctoritatem ferendi sententiam in Romanum Pontificem. *Si Synodus universalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de Sancta Romanorum Ecclesia quævis ambiguitas, & controversia; oportet venerabiliter, & cum convenienti reverentia, de proposita quæstione sciscitari, & solutionem accipere, aut proficere, & profectum facere; non tamen audacter sententiam dicere, contra summos senioris Romæ Pontifices.* Quod tamen intelligi debet, excepta caussa hæreseos, in quam Romanus Pontifex incidisset; ob rationes alibi adductas.

Iisdem Canonicæ doctrinæ principiis etiam imbuti Italiæ & Gallia-

lia-

liarum Episcopi a Carolo Magno Romæ nono ineunte sæculo congregati, ut Leonis III. R. Pontificis, variis facinorosorum hominum criminationibus impetiti caussas cognoscerent; jubenti Carolo Magno parere renuerunt, nisi venia prius ab ipsomet Leone impetrata, qua se illorum examini judicioque permitteret volens ac lubens. *Clamaveruntque propterea omnes*, Anastasio teste in vita Leonis: *Nos Sedem Apostolicam, quæ est caput omnium Dei Ecclesiarum, judicare non audemus: Nam ab ipso nos omnes, & Vicario suo judicamur: ipsa autem a nemine judicatur, quemadmodum antiquus mos fuit: sed sicut ipsemet Summus Pontifex consuevit, jubeat & canonicè obediamus.*

Innocentius III. Sermone de consecratione R. P. *In tantum mihi fides necessaria est, ut cum de cæteris peccatis Deum solum Judicem babeam; propter solum peccatum, quod in fide committitur, possem ab Ecclesia judicari.* Can. *si Papa; dist.* 41. Undè additionem post folium alterum.

S. Yuo Carnotensis Episcopus, juriumque consultissimus, in eam Juris Ecclesiastici regulam intendens *Epist.* 233. in caussa Paschalis II. qui privilegium investiturarum contra Ecclesiæ jura, Henrico Imperatori concesserat, ita ad Angeriocensem Abbatem scribebat: *Et quia verenda patris debemus potius velare, quam nudare familiaribus, charitatem redolentibus litteris admonendus mibi videtur, ut se judicet, aut factum suum retractet. Quod si fecerit, referamus Deo gratias, & gaudeat nobiscum omnis Ecclesia, quæ graviter languet, dum caput ejus laborat, tanta debilitatum molestia: Si autem in hoc languore insanabiliter ægrotaverit, non est nostrum judicare de Summo Pontifice.*

Idem Yuo *Epist.* 183. *aliàs* 159. in eam juris Ecclesiastici regulam intendens, iis ipsis, qui se sententia aliqua Pontificia gravatos existimant, consilium dat prudentissimum; ut non ad aliud tribunal appellent, quo a suscepto gravamine liberentur; sed ad eundem Pontificem recurrant, melius utique informandum, levamen, si fieri poterit, recepturi. *Quoniam juditia Ecclesiæ Romanæ a nemine foris tractari posse, eadem Ecclesia Romana docente, didicimus; si qui aliquando se prægravatos, ipsius Ecclesiæ auctoritate, conqueruntur, hoc eis consilium damus; ut non descendant in Ægyptum propter auxilium; sed ab illa ad ipsam confugiant; & inde expectent levamen, unde se conqueruntur accepisse gravamen.*

Hoc idem consilium, eadem juris regula informatus, iniit hoc ipso sæculo duodecimo S. Bernardus *Epist.* 113. & *lib.* 2. *de Consider. cap.* 2. Pontifices alloquens: *Quis mibi faciat justitiam de vobis? Extat quidem tribunal Christi*, (nempe superius Pontificio) *sed absit ut ad illud appellem. Itaque recurro ad eum, cui datum*

 est

est judicare de universis: hoc est ad vos; vos appello ad vos: judicate me & vos.

Ex his igitur adductis momentis non longiùs accersitis; non Dialecticæ spinis, & tribulis obsitis, sed historicis, & omnibus obviis, quotquot meridiana in luce non omnino cæcutiunt, certissimè colligent, Romanos Pontifices super Generalia Concilia semper eminuisse auctoritate, potestate, atque jurisdictione. Reliquum est, ut tot Pontificiæ auctoritatis hostium fœderatorum tela, ea qua possumus, arte & opera retundemus.

PRÆLECTIO III.

Adversariorum momenta diluuntur.

Diu multumque, in asserenda Romani Pontificis supra Concilium generale eminentia potestatis & auctoritatis, desudavimus: postulat jam officii ratio, ut ad Theologorum aliter sentientium diluenda momenta studium convertamus.

Qui Romanum itaque Pontificem Concilii Oecumenici auctoritati subjiciunt, eo maximè momento nituntur, quod Concilii Oecumenici auctoritas divina sit, seu cum Dei ipsius auctoritate conjuncta: adeo ut una cum Concilio Deus ipse, Spiritus S. definire, judicare, decernere censeatur: omne quippe Concilium Oecumenicum, inquiunt illi, aliquod fidei caput solemni ritu definiens, perinde ac Concilium ab Apostolis Jerosolymis habitum, dicere meritò potest, quod illi dixere, *visum est Spiritui Sancto & nobis*, *Actor.* 15. Ex quo consequens esse volunt debere necessariò Summum Pontificem, idem cum Concilio definiente, & judicante sentire, ne & ipse a Spiritu S. diffideat. Atque ita ultimò tandem colligunt, veluti consectarium sponte fluens, Romanum Pontificem Concilio Oecumenico necessariò subesse.

Miror ego tam multos eo deludi momento, quod ne ipsam quidem, quæ nobis in manibus est, difficultatem attingit. Monuimus enim in antehabitis, Concilium Oecumenicum, de quo quærimus, subsit ne Romano Pontifici, an verò præstet, non illud esse, quod Episcopos simul in cætum vocatos complectitur, & qui illis præest R. Pontificem; sed quod solos dicit Episcopos, non intellecto Pontifice. Porro Concilium, cujus divina auctoritas dicitur esse, cum quo scilicet judicat definitque Spiritus S.; adeo ut qui in eo Episcopi de fide pronunciant, dicere meritò possint, *visum est Spiritui S. & nobis*; non illud profectò est, quod solos dicit Episcopos, non computato Pontifice; sed illud quod & Episcopos, & Pontificem ex æquo complectitur. Certè dum Patres Concilii Chalcedonensis E. G. Canonem vigesimum octavum, Legatis Pontificis repugnantibus, ediderunt; quem idcirco Leo I. subinde rescidit & in irritum misit, ut alia mittam exempla superiùs memorata, nec dixere, nec dicere potuere, *visum est Spiritui S. & nobis*. Ab instituto igitur nostro longè abit argumentum illud decantatissimum, quo solo sibi videntur Adversarii cœli convexa tetigisse.

Age

Age tamen concedamus fervidis Disputatoribus, quod ex suo illo principio consequens esse volunt. Demus, inquam, ex Divina Concilii Oecumenici auctoritate, afflatuque Spiritus S. Concilium dirigentis, consequens esse R. Pontificem idem semper cum Concilio sentire debere, ne & ipse a Spiritu S. dissentiat. Non tamen sequitur, eum Concilio illi subesse; sed huic sese conformare debere, propter illius judicii rectitudinem, æquitatem, illiusque cum Spiritu S. consensionem; non propter ipsius Concilii supra R. Pontificem auctoritatem ac potestatem. Uti planè Vir prudens & veritatis amator sentire debet cum viro eruditissimo, Sententiam suam invictè probante ac demonstrante; propter ipsam veritatem Sententiæ ita probatæ ac demonstratæ, non propter auctoritatem potestatemque aliquam, quam in illum Vir ille eruditus exerceat. Quare R. Pontifex Concilio generali, ex instinctu Spiritu S. aliquid definienti, consentiens atque subscribens subjicitur quidem Spiritui Sancto, Concilium ad rectè definiendum dirigenti, non itidem Concilio subest. Uti planè Concilium generale subsequens tenetur assentiri definitioni fidei Concilii præcedentis. Nec tamen alterum alteri subjicitur.

Altera nos ratiocinatione conveniunt Adversarii, ut tutiorem, in hujusce controversiæ tractatione, partem amplecti se, nobis ostendant.

Contigit, ajunt hi, sæpe numero celebrari in Ecclesia Catholica Concilia Generalia, ut damnatæ a Pontificibus hæreseos denuo damnarentur. Latam a Leone Magno Eutychetis damnationem, coactum est a Marciano Concilium Chalcedonense; *ut pleniore judicio omnis possit error aboleri*. Quemadmodum Leo ipse loquitur *in Epist. ad Theodoretum:* Ita post damnatum à Leone X. Lutherum, habitum est Concilium Tridentinum: Igitur superioris auctoritatis censendum est Concilium Oecumenicum, Romano Pontifice.

Respondeo tamen ego; Concilia illa generalia, quæ quandoque in Ecclesia sunt celebrata, ut damnatæ jam a Romanis Pontificibus hæreseos denuo damnarentur; ab ipsis Pontificibus Præsidentibus non fuisse sejuncta; sed suos secum habuisse Pontifices Præsides. Quare si quid inde, ad probandam Concilii generalis supra R. Pontificem eminentiam potestatis atque auctoritatis colligi posset; id certè colligeretur, Concilium Generale Romano Pontifici adjunctum auctoritate ac potestate superius esse Pontifici solo; qua de re in præsenti minimè disputamus.

Addiderim etiam D. Leonem nusquam existimasse, concilium aliquod Oecumenicum esse absolutè necessarium ad Eutichiani erroris damnationem. Imò *evidenter apparet*, ajebat ille *Epist. 16.* *ad*

ad Flavianum rem de qua agitur, nequaquam Synodali indigere damnatione: & Epist. ad Theodosium 17. Tam evidens caussa fidei est, ut rationabilibus caussis ab indicenda Synodo esset abstinendum. Vaira p. 774. Fuerunt itaque convocata Concilia, ut majori solemnitate Eutichianus error damnaretur; utque magis magisque errantium audacia coerceretur; dum cernerent, universos Episcopos, ipsorum subscribere damnationi, & in ea ferenda Sententia *membra suo Capiti concordare*, ut loquitur Leo ipse *Epist. 63. ad Theodoretum*.

Paris omnino fortis est, quod jactitare solent in suæ sententiæ probationem, Concilia generalia quandoque Romanorum Pontificum constitutiones rescidisse: Uti planè Concilium V. Oecumenicum seu Constantinopolitanum secundum, tria Capitula proscribendo, Vigilii, qui ea probaverat, constitutionem rescidisse convincitur; ex quo inferunt hi, Concilium Pontifice superius existere. Sed ajunt hoc illi tantùm; non probant, imò liquet esse falsissimum. Vigilius enim nunquam tria Capitula probavit, sed ab illorum censura abstinuit per aliquod tempus; tum quòd Concilio Chalcedonensi, a quo intacta relicta fuerant, injuriam inferre non videretur: tum quòd illorum Capitulorum genuinum & intimum sensum nondum esset assecutus, facti quodam errore laborans; tum quòd illorum Auctores vita functos accepisset, quorum idcirco manes inquietare minimè congrueret: nunquam tamen re ipsa, latoque judicio probaverat, quæ subinde re melius inspecta damnavit. Quare quintæ Synodi sententia, qua tria Capitula damnata sunt, ictum fuisse Vigilium, nonnisi per summam calumniam dici potest.

Alterum momentum petunt, ex Constantini Magni mandato, qui Donatistis a Melchiade Papa, aliisque assidentibus decem & octo Episcopis, damnatis, Concilium Arelatense concessit: *ut si priores Romæ Judices fuissent errasse convicti, eorum sententiæ solverentur*, ut loquitur D. Augustinus *Epist. 164*.

At huic reponere facilè fuerit, si ea in memoriam revocemus, quæ fusiùs exposuimus dum de Romanorum Pontificum indeficientia tractavimus, ubi demonstravimus: Primò: Concilium Arelatense non fuisse Oecumenicum, sed 200. duntaxat Episcoporum; atque ita nimis probare hoc argumentum.

Secundò: Episcopos decem & octo, qui Romæ cum Melchiade judicaverant, in Concilio quoque Arelatensi una cum legatis Pontificiis consedisse ac judicasse: atque ita non fuisse, vigore loquendo, provocationem ad superius tribunal, sed ejusdem caussæ per eosdem Judices recognitionem.

Repetunt alterum ex Siricio R. Pontifice, qui Bonosi Sardicensis Episcopi caussam judicare noluit, propterea quòd Concilium Ca-

Capuanum eam Anysio Thessalonicensi Episcopo aliisque Macedoniæ & Illyrici Episcopis judicandam remisisset. Imò Anysio, qui eum, ut caussam illam judicaret, enixè rogabat, respondit per Epistolas, ad eos pertinere judicium, quos ad judicandum Concilium Capuanum anno 300. delegaverat.

Itaque se ipsum Concilio Capuano inferiorem Siricius reputavit. Ecquis quæso tam insulsam consecutionem non execretur? Erat enim Concilium Capuanum provinciale duntaxat, quod nemo unquam somniaverit R. Pontifice esse superius. Noluit ergo judicare Siricius, non quod pro suprema potestate non posset; sed quia non congruebat, servato juris ordine: quasi verò tanquam a Concilio Capuano delegatus, judicaturus esset Siricius. Undè roganti Anysio respondit: *Primum est ut ii judicent, quibus judicandi facultas est data. Vos enim totius ut scripsimus Synodi vice decernitis; Nos quasi ex Synodi auctoritate judicare non convenit*, ac paulo antè: *advertimus, quod nobis ea judicandi forma competere non possit*.

Non dissimile Pontificiæ auctoritatis depræssoribus subministrat exemplum Historia S. Joannis Chrysostomi a Palladio descripta *in Dialogo*, & a Sozomeno *lib. 8. Histor. Cap. 26.* Cùm vir ille Sanctissimus a Theophilo Patriarcha Alexandrino, ejusque Symmistis in Pseudo-Synodo ad Quercum damnatus esset, suaque sede iniquè deturbatus, Innocentius I. R. P. Sententiam in eum latam, iniquam pronuncians, atque declarans, *in Epistola ad Clerum Constantinapolitanum data*, ait: *necessariam esse Synodalem cognitionem, ad caussam illam integrè finiendam .... Eam solam esse*, inquiens, *quæ hujusmodi procellarum impetus retardare posset*. Auctoritatem itaque Synodi sua longè superiorem ac majorem agnovit.

Temerè tamen & inconsultè. Ideo enim Synodum, ad caussam illam finiendam, necessariam existimavit Innocentius: quia cum Joannis Chrysostomi, e sua Sede deturbati occasione, Orientis & Occidentis Episcopi in varias partes atque factiones scissi essent; faciliùs in concordiam revocari poterant, mutua secum habita collatione, in generali Concilio commodiùs facienda, Præside Innocentio; quàm si solus de totius negotii summa illiusque appendicibus Innocentius judicaret: At id non minorem arguit in Pontifice quàm in Synodo judiciariam potestatem; sed faciliorem duntaxat sedandarum turbarum viam apertum iri probat in Synodo, quam solus ipse Pontifex aperire posset.

Quamquam tamen, Deo benè fortunante, res longè aliter cesserit; nullaque celebrata Synodo Oecumenica, sola Innocentii I. auctoritate atque industria, lis illa magna finita sit. Cum enim Innocentius communionem suam Episcopis Thraciæ, Egypti & Orientis

tis denegasset, ob injuriam Joanni Chrysostomo factam illi in se reversi, & pœnitentia ducti, Joannem colere ac venerari cœperunt, ejusque nomen sacris dypticis, a quibus illud expunxerant, inscripserunt.

Instant nihilominus plus æquo audaciores Sedis Apostolicæ depressores; & ut Romanos Pontifices Conciliis Oecumenicis subjectos atque suppositos vociferentur, afferunt Oecumenica quædam Concilia, quæ damnationis sententiam in eos tulere. Præ cæteris in ore habent sextam Synodum Oecumenicam, quæ Honorium Romanæ Sedis Episcopum uti hæreticum Monothelitam damnavit, & anathemate petiit. Habet igitur Concilium Oecumenicum potestatem Romano Pontifici superiorem.

At quàm parum ista nos urgeant, nemo non videt: imò quam bellè quæ de Romanis Pontificibus diximus, ista confirment, facilè deprehendet, qui, quod in antecessum diximus, paulisper considerabit. Ubi Romanum Pontificem ita Conciliis Oecumenicis eminere docuimus, ut ab iis, quamquam graviter deliquerit, judicari non possit, *excepto tamen casu hæresis manifestæ*, quam ille fortè professus esset, uti doctor privatus, & extra tribunal Pontificium. Honorius enim, qui una cum reliquis Monothelitis, a tribus Conciliis Oecumenicis post obitum judicatus est, diroque petitus anathemate, de violata fide fuerat accusatus, ac etiam ex illius Epistolarum lectione convictus. Nihil ergo nos movet jactata toties a Pontificiæ dignitatis osoribus lata in illum sententia anathematis. Imò quæ de summo Pontifice generatim diximus, mirè confirmant. Qua verò fieri forte possit, ut qui auctoritate & potestate Conciliis Oecumenicis præstat, ab iis tamen in caussa hæresis judicetur atque damnetur, latè satis exposuimus.

Mirum est, quam & multa a Pontificiæ dignitatis depressoribus facta hinc inde historica congerantur, ut probent, ipsos quoque Romanos Pontifices veritate victos ac superatos, Concilia Oecumenica novisse, auctoritate sibi & potestate superiora. Nos pauca ex multis seligemus, graviora tamen eaque in speciem difficiliora; ex quorum elucidatione atque explicatione planum fiet, quàm turpiter illi fallantur & fallant.

Primum igitur historicum momentum petunt, ex Innocentio III. Pontifice Maximo, qui a Philippo Augusto Galliarum Rege rogatus, ut suum cum Regina Insemburgim Regis Daniæ sororem Matrimonium contractum rescinderet, respondit, se nihil quidquam pro ipso sine Generalis Concilii deliberatione determinare; quin imò dignitatis jacturam incursurum esse, si id fortè tentaret: *Non audemus in hujusmodi casu de nostro sensu pro te aliquid definire. Si super hoc absque deliberatione Concilii determinare ali-*

quid tentaremus, præter divinam offensam, & mundanam infamiam, quam ex eo possemus incurrere, forsan ordinis & officii nostri periculum immineret. Ita compendio ferunt Galliarum Historiæ, extatque Innocentii Epistola *lib. 7. Registri n.* 104. Quo responso excitati Pontificiæ auctoritatis osores suam illam intercalarem cantionem recinunt animosiùs; Innocentium Pontificem utique doctissimum, suæque dignitatis retinentissimum, Philippo Galliarum Regi ingenuè fassum esse, plus posse Concilium, quàm ipse posset; imò & ab eo deponi se posse, si quid præter jus & æquum, ad Regis supplicis gratiam definiret.

Temerè tamen suam illam cantionem recinunt, & inconsultè. Innocentius enim nihil quidquam eo in negotio pro Rege agere se posse putavit; non utique defectu supremæ in Ecclesia potestatis, sed defectu æquitatis atque justitiæ postulatorum a Rege Augusto. Quod nempe rem postulasset Augustus, jure divino vetitam in Evangelio, *quod Deus conjunxit, homo non separet*. Quod verò de necessaria generalis Concilii deliberatione subjungit, sine qua nihil se in Regis gratiam decernere posse ait; non ex jure & æquo videtur dictum: cum nec contra jus Divinum Christique præceptum, definire quidquam posset generale Concilium; sed ad meram excusationem, honestumque suffugium excogitatum est: quia nullum tunc præsto Concilium aderat, cum quo ea de re deliberare posset. Quod demum de *Officii dignitatisque jactura* subjungit, si fortè ad Regis gratiam, sententiam diceret; idcirco est dictum, quia si Pontifex in apertam incidat hæresim uti eo in casu contingeret, Concilio subjicitur, imò definit esse Pontifex; potestque e sua Sede dejici ac deturbari.

Momentum alterum petunt ex Agapeti R. P. *Epistola 6. ad Cæsarium Arelatensem Episc.* in qua ait, sinere se ac pati non posse, ut Cæsarius Ecclesiæ suæ prædia ad aliena jura transferat, quia ne id quoque faceret Romanæ Urbis Episcopus, in Romano Concilio vetitum fuerat. Igitur Romano Concilio se subditum fassus est Agapetus, qui sese illius lege fatebatur adstrictum. Quis tam ineptam consecutionem non execretur, cum nonnisi Provinciale Concilium illud esset, cui ipsemet præfuerat Agapetus?

Undè, repono ego, Romanæ illius Synodi decreto paruisse Agapetum, non ob supremam Synodi huius supra ipsum auctoritatem; sed ob decreti ipsius æquitatem atque justitiam. Quo pacto solent & Romani Pontifices, & ipsa quoque generalia Concilia, Synodorum aliquarum Nationalium, aut etiam Provincialium decreta ac statuta tenere, spectata statutorum ac decretorum æquitate atque justitia; etsi illorum auctoritati minimè subsint, quia nihil possunt contra veritatem atque justitiam.

Post

Post hæc congerunt alia multa R. Pontificum dicta, Romanæ Sedis decurtatores, quibus ingenuè profitentur, teneri sese Sacrorum Conciliorum Canonibus; & ad illorum observantiam adstringi: Ut Gelasii I. *Epist.* 17. *ad Episcopos Dardaniæ:* Simplicii *Epist. ad Acacium:* Martini I. *ad Joannem Episcopum Philadelphiæ:* Gregorii M. *Epist.* 37. *libri I. Regis*. Eugenii III. *Epist.* 8. *ad Episcopos Germaniæ:* Felicis III. *Epist.* 7. *ad Vetranianum Episcopum;* Lucii III. *ad Raynaldum Noviomensem Episcopum;* Innocentii III. *ad Nicolaum Melitensem Lib.* 1. *& ad Archiepiscopum Cantuariensem lib.* 1. *Registri*. Aliorumque nonnullorum; ex quibus colligunt illi, subesse Romanos Pontifices Sacris Conciliis.

At hoc idem argumentum posset hoc pacto contra ipsos retorqueri. Profitentur quoque Romani Pontifices, teneri sese Majorum suorum decretis atque statutis; & ad illorum observantiam adstringi; nec tamen inde colligitur, R. Pontifices majorum suorum auctoritati subesse.

Profitentur quoque Concilia generalia posteriora teneri se veterum Conciliorum Canonibus: & ad illorum observantiam adstringi: Nec tamen inde colligitur, Concilia hæc veterum potestati subjacere.

Quibus adderem ego, Sacrorum Conciliorum Canones, quibus se teneri Romani Pontifices profitentur; & ad quorum observantiam teneri se dicunt, duplicis generis esse: alios quidem, quibus ea statuuntur ac decernuntur, quæ jure naturali atque divino sunt constituta; alios, quibus ea sanciuntur, quæ jure duntaxat Ecclesiastico decernuntur. Quod priores Canones attinet; ex hoc, quod ad illorum observantiam Pontifices teneantur, colligi ut summè posset, subesse illos Deo naturalis, & divini juris auctori, etsi non ita fortè sacris Conciliis subderentur.

Quod autem ad posteriores Canones attinet, iis quoque tenentur Pontifices, non titulo subjectionis, sed titulo æquitatis; hoc est, non quia Conciliorum auctoritati subiiciuntur, iisque sunt potestate atque auctoritate inferiores; sed quia æquum est, ea observari, quæ justè prudenterque, ad Christianæ Reipublicæ bonum, constituta sunt atque decreta. Eo planè modo, quo Reges ipsi supremique Sæculi Principes, nonnullis Regnorum suorum legibus tenentur, easque rescindere atque infringere, salva æquitate, non possunt; quin idcirco colligi inde possit, esse illos Regnis suis inferiores, iisdemque subesse.

Certè si ex ea R. Pontificum professione, qua se Conciliorum Canonibus teneri ajunt, & ad illorum observantiam adstringi profitentur, colligere licet, eos Conciliis illis subesse, iisque potestate atque auctoritate inferiores esse: Quid ni veriùs colligamus vice versa, esse Sacra Concilia R. Pontificibus subjecta multoque inferio-

feriora; Cum & hæc ipsa Concilia professa sint sæpe sæpius, ita se RR. Pontificum decretis statutisque adstricta esse, ut ab eorum auctoritate compulsa fuerint, atque coacta ad hæreses damnandas, & proscribendas, eo vel solo titulo, quod essent illæ a R. Pontificibus prædamnatæ. Sic Concilium Ephesinum lecta Cœlestini R. P. Epistola, qua Nestorianam hæresim prædamnaverat, coactum se esse dixit, ad eam perinde hæresim Anathemate configendam; neque obest Cælestinum *Epistola ad Episcopos Illyriæ* hoc pacto loqui: *Dominentur nobis leges, non legibus dominemur; pareamus Canonibus, & ea quæ sunt nobis præcepta servemus*. Nam id de primo genere Canonum dictum est, de iis scilicet, quibus ea statuta sunt atque decreta, quæ jure divino aut naturali præcepta sunt. Quinimò de subjectione & dominatione rationis intelligi voluit Cælestinus, non de dominatione potestatis *præceptivæ & coactivæ*, ut Scholæ loquuntur. Et certè cum vir prudens ratione ducatur atque regatur, ratio eo sensu dominari prudenti homini dicitur: atque ita leges justæ, hoc ipso quod justæ sunt rectæque rationi congruentes, Pontificibus dominari debere dicuntur, ut iis ipsi ducantur atque regantur, quia ita ratio postulat: Etsi fortè Concilia generalia, à quibus illæ sunt conditæ, supremam in Pontifices ipsos non obtineant potestatem.

RPÆ-

PRÆLECTIO IV.

Diluuntur momenta, quæ ad oppugnandam Pontificis ſupra Concilium eminentiam nedum ex Appellationibus, ſeu provocationibus ad Concilium Oecumenicum factis, deſumuntur; ſed etiam ex nonnullorum Conciliorum exemplis, quæ vel in ipſos R. Pontifices judicium exercuiſſe, vel illorum judicia recognoviſſe, ac retractaſſe demonſtrant.

QUa cura ſtudioque, ut Romanum Pontificem Concilio ſuperiorem probaremus, appellationes ſeu provocationes ab illo ad iſtud, omni jure vetitas demonſtravimus, ita e contrario Sedis Apoſtolicæ depreſſores, ut iſtud illo ſuperius oſtendant, has ipſas appellationes a Pontifice ad Concilium licitas eſſe evincere moliuntur. Id ut præſtent, appellationes a Pontifice ad Concilium in Galliis identidem interjectas ex ordine referunt. Anno quidem 1302. a Bullis Bonifacii VIII. ab univerſis Galliæ Ordinibus appellatum eſt ad futurum Concilium. Tum anno 1491. a Bulla Innocentii VIII. occaſione decimarum extra ordinem collectarum perinde eſt appellatum. Poſtmodum anno 1682. a Decretis Innocentii XI. in cauſſa Regaliæ. Poſtremò Anno 1517. a Leonis X. concordatis cum Franciſco I. & abrogatione Pragmaticæ Sanctionis. Appellatio porro cum non niſi ab inferiori judice ad Superiorem fieri poſſit, Pontificem Concilio inferiorem confidentiſſimè colligunt.

Boni profectò diſputatores, qui jus ex facto probare ambiunt! Lepidè verò: *appellatum eſt aliquando; igitur licet appellare*. At quotquot ſcientiam juris habent ſeu Civilis, ſeu Canonici, illud profectò tenent, ex factis privatis jura nec probari nec ſtatui, ubi lex aut ſtatutum in contrarium eſt. Appellationes autem a Romano Pontifice ſolemniter, & ex tribunali pronunciante, ad futurum Concilium, vetitæ ſunt jure novo a Martino V. in Conſiſtorio publico Conſtantiæ habito anno 1418. a Pio II. litteris Mantuæ in Conventu Principum publicatis anno 1469. tum demum a Julio II. & Bulla in Cœna Domini, a Gregorio XIII. inſtaurata. Nec modò illæ vetitæ ſunt appellationes, quia Concilium ad quod appellatur, ſuperius Tribunal non agnoſcitur univerſim; ſed etiam quia non niſi in fraudem fiunt, & ad judicium Eccleſiaſticum declinandum. Appellatur enim ad tribunal propè chimericum, quod nec eſt, nec fortè erit unquam ætate noſtra, ſerorumque Nepotum;

tum; quod observavit Pius II. in Bulla sua *Execrabilis*: *Ad id appellatur*, inquit, *quod nusquam est, neque scitur quod futurum sit. Pauperes a potentibus multipliciter opprimuntur; remanent impunita scelera; nutritur adversus primam Sedem rebellio; libertas delinquendi conceditur; & omnis Ecclesiastica disciplina, & hierarchicus ordo confunditur*. Adeo ut tametsi pro certo poneretur, Concilium Generale Romano Pontifice superius esse; nec dum congrueret a Pontifice ad Concilium provocare. Quod egregiè prudenterque exequitur Franciscus Victoria Theologus Hispaniarum celeberrimus, Relectione *de Auctoritate* Papæ *& Concilii*,

Quare nequidem si fortè ex Apostolicæ Sedis judicio sese gravatos aliqui putant, appellationem interponere illis expedit. Sed injuriam patienter ferre satiùs illis est, juxta Concilii Triburiensis Canonem 30. *In memoriam B. Petri Apostoli, honoremus sanctam Romanam & Apostolicam Sedem. Ut quæ nobis Sacerdotalis mater est, dignitatis esse debeat magistra Ecclesiasticæ rationis. Quare servanda est cum mansuetudine humilitas: Ut licet vix servandum ab illa sancta Sede imponatur jugum, feramus, & pia devotione toleremus*. Undè Illustrissimus D. Petrus de Marca Archiepiscopus Parisiensis (quem nemo hac in caussa suspectum judicem dixerit) *lib. 4. de Concordia Sacerdotii & Imperii cap. 17.* appellationes illas a R. Pontifice ad Concilium juris esse novi, atque recentis: *quia numquam in Ecclesia admissa fuit provocatio a Papa ad Concilium, licet aliquando remedio quodam extraordinario Sedis Apostolicæ judicium in majori Synodo fuerit instauratum*.

Iis licet observationibus soluta satis superque sit objecta nobis difficultas ex interjectis aliquando, in Gallia præsertim, appellationibus a Pontifice ad Concilium: ad uberiorem nihilominus solutionem, & Gallorum excusationem, alia nonnulla non omiserim observare.

Primò Appellationum laudatarum aliquas factas esse a Gallis, non simpliciter ad Concilium, sed ad Pontificem meliùs informandum in pleniori Concilio. Sic sanè Senatus Parisiensis, in caussa Concordatorum & abrogationis pragmaticæ Sanctionis, appellavit a Leone X. & Concilio Lateranensi V. ad Leonem meliùs consultum, & ad Concilium alterum plenius & generalius; cum Galli Concilium Lateranense V. non habeant pro Oecumenico.

Secundò Galliam universam Bonifacium VIII. pro certo legitimoque Pontifice non habuisse: quare nil mirum si ab ejus Bullis atque fulminibus ad Concilium appellaverint.

Tertiò In caussis disciplinæ duntaxat, non itidem dogmatis, fuis-

fuisse in Galliis appellatum ab Universis ordinibus. Porro non est ita certa Romani Pontificis, in caussis ad disciplinam spectantibus, asphalia seu infallibilitas, ac in quæstionibus ad fidem & dogmata pertinentibus judicandis.

Quartò: Dum a Pontifice appellatur ad Concilium, ad Concilium utique appellatur, a Pontifice ipso convocandum, cui & ipse præesse debeat, vel per sese, vel per Legatos suos: atque ita fit quodammodo appellatio a Pontifice ad Pontificem ipsum. Quare, non tam interponitur appellatio, quam nova caussæ cognitio postulatur, ab eodem judice, aliis duntaxat adjunctis judicibus, facienda. Aut certè fit appellatio a persona Pontificis, quæ fortè suspecta judicatur, ad personam alteram, non a Pontificia auctoritate, ad superiorem auctoritatem Concilii.

Septimò: Cum appellatio a Pontifice ad Concilium fiat, non illud quidem acephalum, sed Pontifice quoque suo, tanquam legitimo capite atque præside auctum atque directum; Colligi duntaxat potest, ex hujusmodi appellationibus Concilium, ut ipsum quoque Pontificem habet adjunctum, Pontifice solo & solitario esse superius auctoritate & potestate; qua de re non est nobis in præsentia disputatio.

Non absimile momentum petunt Summorum Pontificum depressores ex Concilio Pisano anno 1409. celebrato. Ajunt, Concilium hoc ad Schisma tunc temporis Ecclesiam infestans sopiendum Gregorium XII. & Benedictum XIII. deposuisse, & Alexandrum V. creasse, ex quo colligunt, in Romanos Pontifices auctoritatem exercuisse, atque ita illis fuisse auctoritate superius.

Addunt Concilii Constantiensis Decretum, in quarta Sessione primò editum, ac tum in quinta solemniter confirmatum, quo Romanos Pontifices Conciliis Oecumenicis subjectos atque suppositos, ad ravim usque vociferantur. Decretum sic habet. *Hæc ipsa Synodus in Spiritu S. legitimè congregata, generale Concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem legitimè repræsentans, potestatem a Christo imediatè habet; cui quilibet, cujuscumque status, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur, in his quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti Schismatis, & reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite & in membris*. Quod subinde in Concilio Basileensi *Act.* 2. instauratum est, & in Responso Synodali, legatis Eugenii IV. dato, multo dissertiùs confirmatum. Si autem (colligunt Adversarii) Pontifex Concilio Oecumenico tenetur obedire, eidem profectò subest atque subjicitur; cum non sit obedientia nisi subditi ad superiorem.

Huic expediendæ difficultati triplex se nobis aperit via; quin in eas quæstiones criticas ingrediamur, quas de Actis MSS. Concilii Con-

Constantiensis excitavit non ita pridem vir eruditus Emmanuel Schelstrate, Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus.

Prima est si dicamus, Concilium Constantiense, dum priores illas Sessiones celebravit, nondum fuisse verè ac propriè Oecumenicum: quia tunc ad illud sola Joannis XIII. obedientia convenerat, quæ Ecclesiæ Catholicæ partem complectebatur multo minorem : aberant verò obedientiæ aliæ duæ Gregorii XII. & Benedicti XIII. Nec ipsi qui aderant ex Joannis obedientia præsules, secum invicem consentiebant. Ita Joannes de Turrecremata, qui præsens aderat, *In Summa de Ecclesia lib. 2. cap. 99.*

Frustra verò reposueris, Martinum V. decreta *Sess.* 4. & 5. Concilii Constantiensis tandem aliquando approbasse. Falsum enim id est atque falsissimum. Imò rogatus Martinus de Concilii Constantiensis decretis confirmandis, respondit ore proprio, ac postea per Concilii advocatum denunciari jussit. *Se omnia & singula Concilii in Materia fidei conciliaria decreta teneri & inviolabiliter observari velle, & non aliter nec alio modo.* Qua restricta clausula, *in materia fidei*, decreta dubio procul intelligi voluit, ad damnationem Joannis Vvitcleffi, Joannis Hus, Jacobi Parui, & Bohemorum, iis in sessionibus statim edita.

Altera solvendæ propositæ difficultati suppetit via. Si nempe dicamus decreta *Sess.* 4. & 5. Concilii Constantiensis, pro conditione temporis lata esse, atque ita de dubiis Pontificibus (quales tunc erant Joannes XXIII. Gregorius XII. & Benedictus XIII.) esse intelligenda: qui certè auctoritati Concilii Oecumenici subjiciuntur, ut vel hoc pacto schisma dissolvi possit.

Cui responso non officit , quòd hæc eadem Synodus Constantiensis deinde subjunxit in laudatis decretis : Pontificem omnem , *qui decretis suis* , aut alterius cujuscumque Concilii legitimè congregati renuerit obedire, esse puniendum, nisi se emendaverit. Nec enim ea verba Concilii Constantiensis, decretum ad omne tempus, extra Schismatis occasionem , extendunt ; quasi & quovis tempore, & quivis Pontifices Conciliis subderentur. Quandoquidem hoc quoque decretum restringit Concilium Constantiense , additis hisce verbis : *cujuscumque Concilii generalis legitimè congregati* , *super præmissis* , *seu ad ea spectantibus factis vel faciendis*. Quæ verba planè significant qualecumque Concilium , eadem de caussa celebrandum, eadem in Summum Pontificem auctoritate pollere . Porro hæc ipsa Synodus Constantiensis apertè declarat , fuisse se congregatam ad extinctionem Schismatis , a dubiis Pontificibus excitati .

Imo si hujusce Synodi gesta diligentiùs expendimus , comperiemus, existimasse sapientissimos Patres, Pontificem certum , & indubita-

bitatum ; ut extra casum Schismatis esse solet , non esse Concilii auctoritati subjectum . Siquidem in Congregatione habita die 11. Septembris Anno 1417. communi omnium nationum calculo decisum est , *quod Papa ritè & canonicè electus a Concilio ligari non posset* , seu legibus ullis adstringi, per vim & coactionem.

PRÆLECTIO V.

Ducta a ratione momenta reliqua adversus Pontificum potestatem, auctoritatem, & jurisdictionem supra Concilia, resolvuntur.

AB Exemplis ad rationes accedunt Pontificiæ auctoritatis decurtatores, ut R. Pontifices Conciliorum Oecumenicorum potestati, prout possunt subjectos ostendant. Singulas igitur perpendamus. Concilium Oecumenicum, inquiunt hi, universam repræhesentat Ecclesiam, estque ipsamet Ecclesiain suis præcipuis partibus congregata. Ecclesia autem universa est corpus aliquod mysticum, cujus unusquisque fidelis membrum est: Est etiam mater spiritualis, cujus unusquisque fidelis filius est, ratione suscepti Baptismatis: Filius autem inferior est matre sua, & membrum omne tametsi præcipuum minus est, & inferius toto suo. Itaque Romanus Pontifex aut non est Ecclesiæ membrum, & filius, (quod nemo dixerit) aut Ecclesiæ universali minor est atque inferior, atque Concilio Oecumenico, quod ipsamet Ecclesia Universalis est.

Quibus reponere satis sit Ecclesiam universalem, bifariam accipi posse: Primò ut est mysticum aliquod Corpus, interno Dei Spiritu directum, fotum, & alitum, sub uno Spirituali, & invisibili Capite Christo, juxta illud Apostoli: *Vos autem estis Corpus Christi & membra de membro*. Qua quidem ratione considerata Ecclesia, Summus Pontifex ea minor est, ut filius matre, & membrum integro Corpore. Secundò considerari potest quatenus externè, & visibiliter regitur pascitur, eruditur Dei Verbo, & Sacramentorum administratione, sub visibili etiam capite. Sicque comparatur Ecclesia Sacris in Litteris, gregi, familiæ, exercitui, juxta ea toties inculcata, *fiet unum ovile, & unus Pastor .... Quis est fidelis servus, quem constituit Dominus super familiam suam? Sponsa terribilis ut Castrorum acies ordinata ....* Eoque pacto est illi R. Pontifex, & pater, & pastor, & Caput, & Dux. Adeoque illi præest, minimèque subijcitur: Uti nec caput reliquo Corpori, nec pater familiæ, nec Pastor gregi, nec Dux exercitui subjiciuntur. Declarat id Pius II. R. P. in Bulla retractationis, data Romæ anno 1463. ubi de Summo Pontifice ita loquitur: *Etsi Ecclesiæ filius sit propter regenerationem, propter dignitatem tamen pater habetur & sicut filiationis caussa debet ipse Ecclesiam venerari tanquam matrem; ita & prælationis caus-*

sa præ-

sa præfertur ei: ut Pastor gregi, Princeps populo, Rector familiæ.

Alteram minus moror, quam pari fidentia jactant ex Canone *Legimus, dist.* 93. desumptam rationem, ubi habetur. *Si auctoritas quæritur, Orbis major est urbe. Ubicumque fuerit Episcopus, sive Eugubii, sive &c. ejusdem est meriti, ejusdem est & Sacerdotii.* Ex quo inferunt postea, auctoritatem universalis Ecclesiæ toto orbe diffusæ præstare auctoritate Ecclesiæ Romanæ, intra Urbis muros contentæ: atque ita etiam præstare auctoritatem Concilii Oecumenici auctoritate R. Pontificis. Nam dictum illud ex D. Augustino petitum perperam præsenti controversiæ accomodatur. Cum de disciplina jejunii Sabbatici, toto orbe præter Urbem Romam, servari soliti dictum sit.

Quin & illud addiderim, Orbem majorem esse Urbe in ferendo judicio, si non modò auctoritas & potestas, divinique Spiritus assistentia spectetur, sed insuper Conciliorum vis, nec non etiam definientium & judicantium numerus. Totus enim Ecclesiasticus Orbis, qui in Concilio Oecumenico continetur, sola sede Apostolica seu Romana Ecclesia latiùs diffunditur.

Eadem planè via solutum habes momentum alterum a ratione petitum, quo perinde incautis illudunt adversæ sententiæ vindices, dum ajunt: *Ratione naturali notum est, totum sua parte majus esse: Concilium Oecumenicum totum quoddam morale, ac mysticum est, cujus Pontifex pars est, tametsi præcipua: igitur Concilium Oecumenicum Romano Pontifice majus est adeoque est, illi potestate atque auctoritate superius. Juxta vulgare proloquium, orbis major est urbe.* Ludus hic est nugacissimus. Quamquam enim Concilium, de quo agimus, totum morale ac mysticum re ipsa sit, cujus est pars præcipua Romanus Pontifex; de eo tamen toto disputamus, ut est à parte illa præcipua sejunctum atque distinctum; uti dum dicimus ex. gr. Concilium Chalcedonense, totum illud politicum Sacrum, & Ecclesiasticum fuisse a Leone I. coactum; totum quidem dicimus, cujus pars præcipua fuit Leo ipse Romanus Pontifex; illam tamen præcipuam partem non intelligimus fuisse a Leone coactam; cum ille se ipsum in Concilium non coegerit.

Postrema nos ratiocinatione conveniunt Adversarii, ut tutiorem sæcurioremque, in hujusce controversiæ Tractatione, partem amplecti se nobis ostendant. Sit, inquiunt illi, si superis placet, Romanus Pontifex falli & fallere nescius, fidei tamen dogma non est, esse illum infallibilem, sed probabilior ut ut maximè Theologorum aliquorum & Jurisperitorum opinio: e contra verò fidei dogma est, Concilium infallibile esse: Igitur Concilii auctoritas Pontificis auctoritati anteponenda est, tanquam certior atque securior, imò uti prorsus indubitata.

Argutè quidem atque subtiliter disputatum ? Sed nihil ad rem. Agimus nos in præsenti de Concilio, præciso, non computato Pontifice. Porro fidei dogma non est, Concilium præciso Pontifice, esse infallibile; saltem dum certus in Ecclesia Pontifex est: quia tunc Concilium universam non repræsentat Ecclesiam, cui Christus indeficientiam adpromisit.

Quid ni quoque dicamus: Indeficientiam in fide nihil facere ad superioritatem seu eminentiam auctoritatis & potestatis in Ecclesiæ regimine; quasi verò non possit etiam, qui in fide indefectibilis est, ei subesse qui fortè defectibilis esset. Patet id exemplo D. Joannis Evangelistæ, qui tametsi infallibilis esset in fide, ex speciali privilegio universis Apostolis concesso per illapsum Spiritus S. Lino tamen & Cleto, D. Petri in Ecclesiæ principatu Successoribus, quorum tempore supervixit dilectus Apostolus, subjiciebatur. Imò usque adeo tunc supernaturaliter infallibilis erat dilectus Apostolus, ut libros etiam Canonicos scriberet; (Apocalypsim nimirum & Evangelium) quos nec Linus, ipse nec Cletus, quibus ille in universalis Ecclesiæ regimine suberat, scribere potuissent. Esto ergo fidei dogma sit, Concilium infallibile esse, nihil tamen obest, quominus R. Pontifici subesse possit, auctoritate ac potestate.

Neque obest si dixerint importuni censores, nonnullas Academias Decretis suis pronunciasse, R. Pontifices Conciliis Generalibus esse subjectos. Videlicet Coloniensem: *in Tractatu de Potestate Papæ & Concilii, ad Theodoricum Coloniensem Archiepiscopum*. Viennensem, *in Tractatu ad Consultationem Electorum Imperii:* Herfordiensem *in Tractatu super Unione & Neutralitate Principum Electorum*. Cracoviensem, *in Tractatu de Auctoritate Sacrorum Conciliorum, Ecclesiam universalem repræsentantium, ad Vladislaum Poloniæ, & Hungariæ Regem*. Cum enim occasione grassantis tunc Schismatis, ea responsa a laudatis Academiis data sint; planum est ea nonnisi de tempore Schismatis esse intelligenda, maximè cum Concilii Constantiensis & Basileensis decreta laudent, quorum auctoritate nituntur.

Opponi fortasse posset auctoritas Cardinalis a Lotharingia in Epistola data ad *Joannem Britonem*, suum in Curia Romana procuratorem, dum in Concilio Tridentino de Romani Pontificis titulis ageretur; Num scilicet *in universam Ecclesiam auctoritatem habere dicendus esset*, quemadmodum in Concilio Florentino, seu potius in Decreto pro unione Armenorum, dictum fuerat; Ego scribebat Lotharingus; *negare non possum, quin Gallus sim, & Parisiensis Academiæ alumnus, in qua Pontificem subesse Concilio tenetur; & qui docent ibi contrarium, tanquam hæretici notantur. Apud Gallos Constantiense Concilium in omnibus suis partibus*

gene-

generale habetur: Basileense in auctoritate admittitur: Florentinum perinde legitimum & generale non reputatur: Atque idcirco Galli de Vita potius, quàm de Sententia decederent.

Næ tu quæso nimia simplicitate bonus, qui exaggeratis illis Lotharingi verbis illudi tibi tam facilè pateris? Certè quamquam negari non possit Academiam Parisiensem, aut certè Doctorum illius partem plurimam, ab avita doctrina, de Romanorum Pontificum, supra Concilia etiam Oecumenica, præstantia atque auctoritate, deflexisse, jam tum a Concilii Constantiensis & Basileensis temporibus, & in oppositam propendisse magis: falsum tamen est, Theologos illos Parisienses, sententiam, quam tunc primum amplexi sunt, uti fidei caput habuisse, a quo quicumque deflecterent, *tanquam Hæretici notarentur*. Falsum perinde est, Concilium Florentinum pro legitimo & generali in Galliis non haberi. Undè & hanc ipsam Cardinalis Lotharingi hallucinationem nervosè confutat Natalis Alexander *Differt.* 10. *in Hist. Eccles. Sæculi* 15. & 16. *Art.* 1. *num.* 6. quamquam sit iste hac in parte R. Pontificibus parum propitius; quare aut ea quæ jactatur Cardinalis a Lotharingia ad Joannem Britonem Epistola supposititia est ac planè fictitia; aut de nimio excessu, in exaggeranda Parisiensis Academiæ Sententia, convincitur vir aliàs omni laude dignissimus.

Consentiunt universi, fateturque Innocentius III. *Serm.* 2. *de Consecratione Pontificis*, Pontificem R. posse ab Ecclesia, seu a Concilio generali deponi, *si peccaret in fidem*. Igitur Concilium superiorem in illum habet auctoritatem.

Respondeo primò ex dictis in superiori disputatione, Pontificem in fidem peccare duntaxat posse, uti privatum doctorem, non ut Pontificem. Ex quo profectò sequitur, Concilium, a quo eo in casu deponi potest, in illum auctoritatem exercere, eoque superius esse, ut privatus est Doctor, non ut est Pontifex. Ad eum sanè modum, quo Pontifex sacram exomologesim faciens, & absolutionem Sacramentalem a privato Sacerdote suscipiens, ei profectò subjicitur ut est homo, quia peccavit ut homo; quamquam sit illi multis titulis superior, ut est Pontifex.

Respondeo secundò: Pontificem incidentem in hæresim, desinere ex hoc ipso Pontificem esse: cum hoc ipso desinat esse membrum Ecclesiæ, atque ita sua ipsius hæresi, à Pontificatu deponitur: eidemque hæresim profitendo renunciasse censetur. Quapropter in rigore loquendo, non eum tunc deponit Ecclesia, seu Concilium Oecumenicum; sed illum sua ipsius hæresi depositum esse declarat.

Respondeo tertiò. Eo in casu Pontifex, ratione delicti infidelitatis subjicit sese Concilio, cui aliunde non subjicitur absolutè: quod sexcentis exemplis fit manifestum. Nihil itaque vetat, Ponti-

tifi-

tificem per sese quidem & absolutè Conciliis Oecumenicis superiorem; ratione tamen hæresis, (quæ in Ecclesiæ Capite, omniumque fidelium Pastore, Doctore atque Magistro, delictum est omnium maximum) Concilio Oecumenico subiici ad judicium subeundum. Ut & tunc locum habeat Innocentii III. R. P. laudatum sæpius effatum: *In tantum fides mihi necessaria est, ut cum de cæteris peccatis Deum solum judicem habeam, propter solum peccatum, quod in fide committitur, possem ab Ecclesia judicari.*

PRÆ-

PRÆLECTIO VI.

Num Romani Pontifices, & Concilia Oecumenica infallibilitatis privilegio gaudeant, ubi de factis doctrinalibus judicium ferant; de quibus nihil Sacris in Litteris, nihil in divinis Traditionibus revelatum sit, disputatur.

QUamquam multa nimis, de R. Pontificum Sacrorumque Conciliorum indeficientia disputavimus, ubi de fidei morumque quæstionibus judicium faciunt: Nondum tamen amplum illud Theologicæ disputationis argumentum exhausimus: Sed alterum periculosioris aleæ superest inquirendum: num perinde indeficientiæ seu infallibilitatis privilegio gaudeant, ubi de factis doctrinalibus judicium ferunt; de quibus nihil Sacris in Litteris, nihil in divinis Traditionibus revelatum est?

Ut porro recta mente percipiat studiosa Juventus, quo volvatur cardine difficultas, in hacce salebrosa controversia, quam modò pro officii parte sumimus agitandam; illud ante omnia observet, oportet: facta de quibus quandoque judicium facit Ecclesia, etsi de iis nihil in verbo Dei traditum habeamus, duplicis generis esse. Alia nempe historica seu personalia dicuntur, alia dogmatica seu doctrinalia nuncupantur, ac etiam textualia; priora dicuntur ea, quibus res aliquæ gestæ, nudè ac simpliciter referuntur: ut quod Constantinus M. fuerit Nicomediæ baptizatus, non Romæ; in quibus certè factis judicandis ac definiendis, nemo prudens Romanum Pontificem, totamque Ecclesiam dixerit inerrabilem, ac falli nesciam. Alia dicuntur ea, quibus dogma aliquod, de quo jam certissimè constat, in scripto aliquo seu textu contineri declaratur. Ut dum in Epistolis Honorii R. Pontificis ad Sergium Constantinopolitanum Episcopum, Monothelitarum error dicitur contineri. Undè facta hujusmodi doctrinalia dicuntur, non dogmata ipsa: quia tunc, non jam de dogmate ipso quæritur, erroneum ne sit, an orthodoxum; sed de sola dogmatis attributione, huic vel illi scriptioni, seu contextui facta, hoc est, an in eo, vel isto contineatur scripto, vel libro, dogma illud, quod aliàs liquet esse seu hæreticum, seu fortè orthodoxum. Sed & illa facta dogmatica, quibus scilicet dogma aliquod scripto cuipiam attribuitur, duplicis adhuc generis distinguntur: alia sunt per sese patentia, & ab omnibus agnita; ut quod error de figurali duntaxat corporis Christi præsentia in Sacramento Eucharistiæ, in Calvini

vini Institutionibus contineatur, quod certè a nemine negatum est unquam; alia subobscura sunt, variisque difficultatibus obsita, atque hinc inde inter Theologos disputata; ut quod in Epistolis Honorii, Monothelitarum error contineatur: qua de re controvertitur apud Eruditos.

De his ergo postremi generis factis, ut vocant, doctrinalibus, textualibus, subobscuris atque recentibus, quæstio nobis est hodie, eritque deinceps, num in iis dirimendis judicandisque supernaturalis indeficientiæ privilegio polleat Ecclesia; habeatque ad hæc ipsa dijudicanda adpromissam sibi Spiritus S. assistentiam indefectibilem, qualem habet in judicandis quæstionibus fidei? Qua in re, negantem partem amplector, nullumque hujusmodi privilegium agnosco: imò & Romanos Pontifices & Concilia Oecumenica, errori ac deceptioni obnoxia puto, ubi de factis doctrinalibus subobscuris agitur, e sacro etiam tribunali judicandis, ac definiendis.

Sic sanè summa mecum consensione definiunt Cardinales hacce postrema ætate doctissimi, iisdemque Pontificiæ auctoritatis assertores acerrimi; Baronius *in Annalibus ad annum 681.* Bellarminus *lib. 4. de Rom. Pont. Cap. 2.* Pallavicinus *lib. 7. Hist. Concil. Trid. C. 14.* Turrecremata *lib. 2. de Ecclesia C. 95.*, Jacobatius, Laurea, Norisius: aliique omnium nationum & ordinum Theologi juriumque periti, qui etiam (quòd notandum magis) nulla meliori via, RR. Pontificum, Conciliorumque, in fidei dogmatibus judicandis, indeficientiam propugnarunt; quam concessa illorum in factis dogmaticis dirimendis, aberratione, ac deceptione. Quod ut hodie planum faciam, & extra omnem disputationis aleam ponam, triplici nitar genere momentorum. Primò quidem ratione Theologica: tum testimonio Patrum atque Pontificum: postremò productis Romanorum Pontificum & Conciliorum exemplis, iisque non paucis, quæ in factis doctrinalibus definiendis, a vero longiùs aberrarunt.

Ratio prima decretoria hæc esto. In iis errare possunt Romani Pontifices, & Sacra Concilia in quibus dijudicandis, regulis infallibilibus non nituntur: hujusmodi porro regulis non nituntur RR. Pontifices Sacraque Concilia, ubi de dijudicandis factis doctrinalibus agitur. Sunt enim regulæ illæ binæ duntaxat, Scriptura scilicet, & Traditio: quæ licet ad fidei dogmata definienda plurimum valeant, ad facta tamen dogmatica maximè verò recentia & subobscura dijudicanda, nihil planè suffragantur: Cum ne minimum quidem eorum factorum vestigium extet Sacris in Litteris, divinaque Traditione.

Confugiunt qui contra sentiunt, ad divinam, ut ipsi loquuntur, assistentiam, quæ RR. Pontificibus Sacrisque Conciliis semper adsit,

ſit, ubi etiam Sacrarum Scripturarum & Traditionum præſidia deſunt; ut ea quoque facta doctrinalia, indeficienti judicio definire poſſint. *Ecce ego vobiſcum ſum &c.*

Verum ſuffugium illud præcludere non eſt admodum operoſum. Primò quia eam Chriſti D. promiſſionem, de infallibili aſſiſtentia Spiritus Sancti ſic ſemper intellexere Eccleſiæ Patres, ut solùm extendatur, ad ea quæ ſunt fidei definienda, & ad rectam ſanamque Sacrarum Scripturarum divinarumque Traditionum intelligentiam pendeant.

Secundò. Ea infallibilis Spiritus S. aſſiſtentia præſumi duntaxat debet in iis ferendis judiciis, quæ ſunt ad publicum religionis & fidei bonum neceſſaria.

Tertiò. Si tam liberaliter fingitur, infallibilis illa Spiritus Sancti aſſiſtentia, in quibuſcumque Eccleſiæ judiciis, licebit pariter Romanos Pontifices, & Sacra Concilia, infallibilia jactare, in definiendis factis ſimplicibus, ac etiam merè perſonalibus.

Quartò. Licebit pariter affirmare, poſſe RR. Pontifices Sacraque Concilia, nonnulla fidei dogmata definire, quorum nullum extabit Sacris in Litteris diviniſque Traditionibus fundamentum. Quod enim ex ſpeciali Spiritus S. aſſiſtentia definitum jactabitur, non poterit non eſſe infallibiliter definitum. Quibus ergo nitetur Eccleſia regulis ad hujuſmodi facta dijudicanda? Regulis criticæ ſeu doctrinæ & prudentiæ humanæ.

Ratio poſitæ Concluſionis altera hæc eſto, nil minus efficax, ac decretoria. Nonnulla contingere poſſunt facta dogmatica, in quibus nil niſi alienis oculis vident Romani Pontifices: Ut ſi de ſcripto aliquo agatur, peregrina lingua exarato puta Hæbraica, Arabica, Sclavonica, Indica, Sinica, Tartarica; quarum certè notitiam nullam habent R. Pontifices, totuſque Emin. Cardinalium Senatus. De eo certè ſcripto judicium ferre non poterunt, niſi ex Viri alicujus, qui linguas illas probè calleat, interpretatione, cujus beneficio ſcripti hujus ſignificatum intelligant. Is verò interpres adhibitus, ſeu ignorantia, ſeu dolo ac fraude fallere Pontificem poterit. Hujus ergo de eo ſcripto judicium errori erit obnoxium.

Neque verò reponi poteſt, nullius in Eccleſia neceſſitatis eſſe judicium hujuſmodi de eo facto dogmatico, quod ex peregrinæ linguæ notitia pendeat: atque ita nil mirum ſi in eo dijudicando poſſit R. Pontifex aberrare: Non ita tamen in factis cæteris, quorum definitio ſummæ eſt in Eccleſia neceſſitatis.

Quaſi verò? Imò longè majoris neceſſitatis in Eccleſia videtur eſſe aliquando definitio facti dogmatici, ex peregrinæ linguæ notitia pendens, quam vel ipſius Janſeniani facti definitio, de quo tot, ac tantæ ætate noſtra excitatæ ſunt turbæ.

Sed jam ad SS. Patrum Romanorumque Pontificum suffragia veniamus; qui lata de factis doctrinalibus judicia, errori fuisse obnoxia falsi sunt, atque ita posse illa retractari & emendari censuerunt; imò retractarunt ipsimet ac emendarunt aliquando.

De facto doctrinali judicium fecere sæculo quarto Concilium generale Sardicense, & Julius I. Rom. Pont. in caussa Marcelli Ancyrani Episcopi. Cum enim Eusebius Cæsariensis Episcopus Marcellum hæreseos Sabellianæ accusasset, ejusque librum *De subjectione adversus Asterium*, ad Concilii Sardicensis judicium, tanquam eo errore infectum, traduxisset; Eusebii accusationem dolosam pronunciavit Sardicense Concilium; & Marcelli fidem, libro citato contentam, *bonam*, *&* *rectam esse* declaravit in Epistola Synodica. Idem quoque Julius I. R. P. pronunciavit, dum ad ipsum caussa illa delata est; Marcellumque eo in libro erroris Sabelliani purum dixit ac declaravit. Nihilosecius S. Basilius *Epist.* 52. *ad Anastasium*, S. Joannes Chrysost. *Hom.* 2. *in Epist. ad Hæbreos*, Theodoretus *lib.* 1. *Hæreticarum fabularum Cap.* 10. Marius Mercator *ad* 12. *Anathematismum Nestorii*, Marius Victorinus *lib.* 1. *adversus Arium* nullam judicis, a Concilio Sardicensi, & Julio I. lati rationem habuere, Marcellumque Ancyranum, tanquam hæreticum Sabellianum traduxerunt, totisque viribus oppugnarunt. Quod idem fecere postrema ætate Card. Baronius *ad annum* 374. Petavius *lib.* 1. *de Pœnit. Cap.* 7. faciuntque frequenter Viri eruditissimi, Marcellumque Ancyranum Hæreticis Sabellianis accensent. Adeo scilicet Concilium Sardicense Julium I. R. P. in facto illo dogmatico dijudicando, (in quo de sensu libri a Marcello conscripti retegendo agebatur) errasse censuerunt Ecclesiæ Patres, censentque quotidie Viri ætate nostra longè doctissimi.

Ad hæc: Ecclesiæ Patres, Romanique Pontifices, judicia de factis dogmaticis, in Conciliis etiam Oecumenicis lata, retractari subinde, refigi, recognosci, atque ad trutinam recusari posse declararunt. Maximè verò Leo Magnus *Epist. ad Maximum Antiochenum*, Gregorius pariter Magnus *lib.* 1. *Dialog. Cap.* 4. Pelagius I. *Epist.* 12. *ad Childericum Regem*. Leo 4. R. P. *Cap.* 11. *incompetenter Caus.* 2. *quæst.* 7. Alexander III. *Cap.* 11. *si quando*, *de Rescriptis*; Innocentius III. *Cap. a nobis*, *de Sententia excommun.* Ut quid porro retractari judicia illa possunt, ac secundò ad trutinam revocari, nisi quia errori subesse potuerunt? Idcirco enim quæstiones de fide in Conciliis Oecumenicis semel decisæ retractari, ac judicari secundò non possunt, quod in iis judicandis errare Sacra Concilia non possint. Quod disertè confirmat Augustinus *lib.* 2. *de Bapt. Cap.* 3. *Plenaria Concilia sæpe priora posterioribus emendantur; cum aliquo experimento rerum aperitur, quod Clausum*

erat,

erat, & cognoscitur, quod latebat: Quod in judicio de factis dogmaticis maximè contingit. Accedit in propositæ quæstionis confirmationem locupletissimum Adriani VI. testimonium, qui Romanorum Pontificum in factis dogmaticis judicandis fallibilitatem agnoscens, in Instructione data Cheregato, suo ad Germaniæ Principes Nuncio; in qua Lutherum audiri secundò posse, declaravit his verbis: ***Fatemur ei defensionem negari non debere, in his quæ facti sunt, id est, utrum talia dixerit, nec ne; Utrum prædicaverit hæc vel illa, scripserit nec ne;*** Quæ tamen facta dogmatica, fuerant antea a Leone X. definita, in celebri illa articulorum Martini Lutheri damnatione. Alterum probationis genus, ab exemplis petitum, lectione altera prosequemur: & quàm sæpe Pontifices, quàm sæpe sacra Concilia, in factis Dogmaticis judicandis erraverint, ostendemus.

PRÆLECTIO VII.

Hæc eadem sententia multis exemplis confirmatur.

Ratione hactenus & auctoritate pugnavimus, ut Romanos Pontifices & Sacra Concilia, in dijudicandis factis doctrinalibus errare posse probaremus. Exemplis agendum est modò, quibus perspectum fiet, non solùm posse R. Pontifices sacrosque Episcoporum conventus in factis dijudicandis, errare, verùm etiam erraſſe re ipſa. Quod erit probationis genus, omnium efficaciſſimum, & ſubjecta omnium oculis demonſtratio.

Immenſus fuerim, ſi velim univerſa, quæ ſacris feruntur hiſtoriis errorum iſtorum exempla, in medium afferre; pauca tamen ex multis ſeligam, atque illa maximè, quæ a nemine poſſint in dubium revocari.

Primum, illudque celeberrimum accidit admiſſi erroris exemplum in cauſſa trium Capitulorum; in qua ſecum invicem pugnabant Concilia duo Oecumenica, Chalcedonenſe ſcilicet & Conſtantinopolitanum tertium; imò & ſecum ipſo pugnabat Vigilius R. Pontifex in contraria ſtudia diſtractus; ubi de trium Capitulorum ſenſu dijudicando quæſtio vertebatur. Hæc enim ut erroris pura & illibata defendit primùm Vigilius; eo maximè titulo, quod in Concilio Chalcedonenſi lecta illa fuiſſent, nec tamen ab iis Patribus reprobata. Poſtmodum eadem illa ſcripta damnavit, ſub conditione ſaltem, ſalva ſcilicet auctoritate Concilii Chalcedonenſis. Poſtmodum tandem Juſtiniani Imperatoris ſuaſu illectus damnavit, uti plena erroris atque perfidiæ poſt quinti Concilii generalis celebrationem.

Alterum erroris exemplum in facto doctrinali dijudicando ſeſe offert in cauſſa Honorii R. Pontificis, qui datis ad Sergium Patriarcham Conſtantinopolitanum Epiſtolis imprudenti Oeconomia, indictoque unius aut duplicis voluntatis ſilentio, hæreſi Monothelitarum oblique faviſſe convincitur, eandemque uti debuerat non illicò repræſſiſſe. Qua de cauſſa in Actis Concilii ſexti Oecumenici *actione* 13. Anathema illi perindè dictum eſt, ac cæteris Monothelitis, Sergio, Cyro, Pyrrho, & Paulo: quod & in Actis ſeptimæ & octavæ Synodi confirmatum eſt. Quin etiam Leo II. Succeſſor ejus in Epiſtola ad Conſtantinum Imperatorem, eumdem incuſat, quod *fidem immaculatam ſubvertere conatus ſit*.

Tertium exemplum videre fuit in cauſſa S. Procli Patriarchæ Con-

Constantinopolitani, Maxentii Archimandritæ, & Scithiæ Monachorum. Cum enim propositionem hanc in suis fidei professionibus protulissent. *Unus de Trinitate passus & Crucifixus est carne:* propositionem hanc Hormisdas R. Pontifex damnavit ut hæreticam; Joannes verò hujus nominis secundus, Romanus & ipse Pontifex Catholicam esse definivit: Non alia certè de caussa, quam quod auctorum illorum sensum non perinde Pontifices intellexerint. Atque adeo alteruter in facto dogmatico judicando, seu in certo auctorum illorum sensu retegendo, aberravit. Quatenus scilicet Hormisdas propositionem illam, assertam ab iis auctoribus existimavit, in sensu *formali*, *atque reduplicante*, ut viri de Schola loquuntur, atque ita damnavit: Christus enim passus mortuusque non est formaliter & reduplicativè, ut Deus, sed, ut una de Trinitate persona: Joannes verò assertam ab iis propositionem existimavit, in sensu materiali, & specificante, ut Schola loquitur, & per communicationem idiomatum; atque ita Catholicam declaravit: quia secunda Trinitatis persona, naturam illam humanam assumpsit, quæ & passa & mortua est.

Quartum hujus generis erroris exemplum dedit Zozimus Pontifex, dum Cœlestii fidei professionem de Divina gratia, erroris puram, & orthodoxam pronunciavit, illiusque delatores & accusatores Erotem Arelatensem, & Lazarum Aquensem Episcopos, tanquam *malignos Ecclesiæ perturbatores* pessimis modis habuit: Non alia profectò de caussa, quam quod dolosas loquendi formulas, a Cœlestio, in ea fidei professione usurpatas, minus benè intellexerit; & *gratiæ* nomine, quam ille videbatur agnoscere, veram internamque gratiam significarit existimari; quam illi nonnisi *gratiam* externam, legem nimirum & Sanctorum exempla intelligebant. Quare nil planè dubitandum, quin ea in occasione, errorem in facto dogmatico dijudicando seu in Cœlestii sensu internoscendo, Zozimus admiserit. A quo tamen errore subinde resipuit, Africanorum Episcoporum litteris commonefactus.

Non absimile quidpiam Zephirino R. P. contigerat cadente II. Ecclesiæ sæculo, dum Montani *affictam Orthodoxæ fidei professionem* sibi exhibitam adeo probavit, ut ob id formatas litteras ei concesserit, pacemque per Phrigiam, & Asiam Sectariis ejus indulserit. Quas tamen litteras, tanquam subreptitiè concessas postmodum revocavit, postquam Praxeas fraudem ipsi factam detexit. *Cabassut. pag. 19.*

Quintum erroris specimen præbuit Benedictus II. R. P. in caussa S. Juliani Pomerii Archiepiscopi Toletani. Cum enim duas propositiones ex ejus scriptis excerptas damnasset primùm, velut erroneas, & Apostolicis Constitutionibus repugnantes; easdem tamen subin-

dè

dè probavit, ut Orthodoxas: postquam eas S. Julianus libello apologetico defendisset. Factum refert Rodericus Tol. Arch. *lib.* 3. *de rebus Hisp. c.* 14. & SS. Patrum, Augustini, Cyrilli, Ambrosii, Fulgentii Doctrinæ consonas demonstrasset: quod idem Toletanæ Synodi decimæ quintæ Patres suo quoque suffragio confirmaverant; qua in re alterutrum fatendum est: Aut Benedictum R. P. in errorem juris lapsum fuisse, si Juliani propositiones, probè intellectas, velut erroneas primò damnavit, quas postmodum orthodoxas agnovit; (quod fateri non ausim) aut certè errorem facti Dogmatici admisisse, si S. Juliani sensum perperam intellexit, ejusque mentem secùs, quàm veritas habeat interpretatus est, ut in eum Censuram distringeret. Ac re ipsa Patres Concilii Toletani XV. Benedictum incuriosa libri lectione fuisse deceptum declararunt.

Postremum, ut cætera mittam, erroris hujusmodi exemplum posteris dedit Innocentius VIII. Is quippe Joannem Picum Comitem Mirandulanum gravi censura perstrinxit damnavitque; quod multos publicis Thesibus propugnasset errores: Quos cum postea Joannes Picus, edita apologia ritè purgasset, Alexander VI. dato brevi Apostolico die 18. Julii 1403. Catholicas pronunciavit, & Joannem Picum innocentem absolvit; *Nullaque hæresis specie, vel suspicione, nulla sinistra erroris nota dignum declaravit*. Quo casu Pontificem alterutrum, errore juris laborasse necesse est, si Joannis Pici sensum probè intellexit; aut facti dogmatici errorem admisisse, si Joannis Pici sensum perperam intellexit.

Memoria exciderat spissus error Concilii Francofordiensis, quod etsi generale non fuerit, celeberrimum tamen fuit, ex universis Episcopis Italiæ, Galliæ, Germaniæ, præsentibus Adriani Papæ Legatis celebratum. Concilium porro illud, per spissum errorem facti dogmatici, Concilii II. Nicæni definitionem de colendis Sacris Imaginibus damnavit Canone II. propterea quòd perperam existimavit, Nicænæ Synodi Patres, eundem Sacris Imaginibus cultum deferendum sanxisse, qui Sanctissimæ Trinitati defertur: qui spissus in facto dogmatico error fuit, ex falsa Canonum Nicænorum intelligentia ortus. Quamquam enim cultum simplicis honoris ac reverentiæ, Imaginibus exhibendum sanxissent Nicænæ Sinodi Patres; non eo tamen dementiæ venerant, ut supremæ adorationis cultum Sanctissimæ Trinitati debitum Divorum imaginibus exhibendus, decernerent.

Accedit etiam in hujusce veritatis confirmationem, factum Abbatis Joachimi, damnati in Concilio Lateranensi.

Factum sic se habet. In quarto Concilio Lateranensi Anno 1215., sub Innocentio III. Rom. P. cui scilicet interfuere Præsules 412. *Can.* 2. damnatus est Joachimi Abbatis Tractatus *de Trinita-*

nitate adversus Magistrum Sententiarum editus, eaque peculiariter propositio *nulla res est, quæ sit Pater, Filius, & Spiritus S. nec substantia, nec essentia, nec natura*. Ea tamen damnatione nihil obstante Gregorius de Laude Doctor Theologus, Abbas in Ordine S. Benedicti, Joachimi Vindicias suscepit, libro *Mirabilium Abbatis Joachimi veritas defensa* Neapoli edito anno *1660*. quo vitam illius scripsit, speciatim verò pag. 281. Ubi ita præfatur, *Non intendimus defendere errorem attributum Joachimo a Concilio Lateranensi: benè tamen intendimus Joachimi innocentiam defendere, & eum à tali labe, & ignominia vindicare*. Quodque notandum magis, cum ea Gregorii Apologia ad R. Inquisitionis Tribunal delata esset, id unum in ea jussum est emendari; Nempe ut loco verborum illorum, *Intendimus Joachimi innocentiam defendere*, poneretur, *conabimur tamen si fieri potest Joachimum defendere*. Ita decretum die *6*. Martii *1664*. ut legitur in folio correctionum libri hujus damnati donec corrigatur.

Ex iis Romanorum Pontificum, & Conciliorum exemplis, quibus alia longè plura addi possent; compertum omnibus arbitror, quod mihi hodierna prælectione probandum assumpseram: Romanos Pontifices, ac ipsa quoque Concilia Oecumenica, indeficientiæ privilegio minimè frui, in factis dogmaticis judicandis. Ex quo profectò, illud alterum sequitur: facta dogmatica, ab Ecclesia fortè judicata, sancita ac definita, ad fidem Catholicam pertinere nequaquam posse, si nihil illis præter Ecclesiæ definitionem accedat, alioque nullo, nisi Ecclesiæ judicio, atque definitione nitantur. Ratio in promptu est. Fides enim infallibili nititur fundamento. Et Ecclesia non potest novum fidei articulum condere.

PRÆ-

PRÆLECTIO VIII.

Contrariis Argumentis occurritur.

NOn admodum hodierna Prælectione desudabimus, in diluendis eorum Theologorum argumentis, qui R. Pontifices, Conciliaque Oecumenica, indeficientiæ privilegio gaudere contendunt, in factis dogmaticis judicandis ac definiendis. Adeò enim futilia illa sunt, ut mirari profectò subeat, viros aliàs non indoctos, qui hacce postrema ætate nostra Cœlum terramque moverunt, ut eam opinionem in Scholas inveherent, tam leviter disputasse. Sit ita nec ne, videamus.

En quo primum nos telo petant. Si Romanorum Pontificum, Conciliorumque judicium, de factis dogmaticis, indeficiens omninò non esset, sed in retegendo genuino Scriptorum sensu, falli possent; liberum cuique foret, lata adversus quoscumque hæreticos Ecclesiæ judicia floci facere, contemnere, repudiare; cum dubium cuique posset esse, num in retegendo damnati Scriptoris sensu, Pontifex aut Concilium aberrasset. Atque ita posset unusquisque pro arbitrio vindicias sibi sumere, & Arii, & Nestorii, & Eutichetis, adhuc etiam Lutheri atque Calvini; eo nimirum obtentu, quod eorum hæreticorum sensum, quem proscriberent, minus fæliciter attigissent Sacræ illæ Synodi, Romanique Pontifices, a quibus damnati illi sunt.

Quis hujus argutiæ futilitatem non videat? In quacumque enim erroris damnatione duo distinguenda veniunt: Error scilicet damnatus, & attributio erroris, huic vel illi personæ facta; sensus erroneus, & erronei sensus adjudicatio huic vel illi scriptori facta: ut in Arii damnatione; aliud est negata divini Verbi consubstantialitas; aliud, quod eam consubstantialitatem negaverit Arius Præsbyter Alexandrinus. In errore ipso dijudicando atque damnando, cum privilegio infallibilitatis gaudeant Concilia Oecumenica, Romanique Pontifices, nemo judicium illorum ea in parte rejicere potest: Verùm in attributione erroris, huic vel illi auctori facta, cum perinde privilegio indeficientiæ non gaudeant sacræ Synodi, Romanique Pontifices, distinctione hìc opus est, ut intelligamus, an Ecclesiæ judicio parere necessariò debeamus ea in parte, an eidem liceat refragari. Si enim ea erroris attributio, quæ infallibili Ecclesiæ judicio non constat, facti tamen notorietate aliunde constet; (quod nempe sit evidentissimum, & ea nemine un-

unquam negatum, errorem illum ab eo vel illo fuiſſe defenſum ac pugnatum.) Eccleſiæ judicio repugnare tunc nefas eſt: Non quòd ſupernaturalis & infuſæ indeficientiæ privilegio gaudeat judicium illud, ſed quod naturali, ut ita dicam, indeficientia polleat, ob facti ſcilicet evidentiam adhibitamque in faciendo examine diligentiam; & quiſquis huic Eccleſiæ judicio repugnaret, non hæreticus quidem, ſed ſtultus eſſet, & ſanandus helleboro. Ut ſi quis Divini Verbi conſubſtantialitatem ſanctè ac religiosè profeſſus, contrarium tamen errorem Ario, a Concilio Nicæno falsò tributum contenderet: aut ſi quis Euchariſticam Chriſti præſentiam ſanctè & religiosè profeſſus, contrarium errorem Calvino perperam a Concilio Tridentino affictum exiſtimaret. Si autem ex adverſo ea erroris attributio, quæ infallibili Eccleſiæ judicio non conſtat, facti evidentia aliunde non conſtet, imò ſubdubia ſit, & a Viris eruditis vocetur in controverſiam; qui illum auctorem eo in errore verſatum non eſſe probabiliter putent; Eccleſiæ judicio non ſtare licuit ſemper ſemperque licebit, ſervatis tamen religioſæ modeſtiæ legibus. Hinc viri omnium ordinum eruditi poſthabito Eccleſiæ judicio de facto doctrinali Origenis, Theodori Mupſueſteni, Theodoreti, Ibæ Edeſſeni, Honorii R. Pontificis, Maxentii Archimandritæ, Joachimi Abbatis, Gotteſchalchi aliorumque, Apologias in illorum gratiam adornarunt; quibus illorum ſcripta, affictorum illis errorum pura & illibata demonſtrarunt.

Alio nos ariete pulſant Eccleſiaſticæ in judicandis factis doctrinalibus indeficientiæ vindices. Eccleſia, inquiunt illi, infallibilis eſt, in dignoſcendis, judicandiſque divinis Traditionibus; hoc eſt, dum judicat, quid de dogmate aliquo divinitùs traditum ſit: At de divinis traditionibus (quænam ſcilicet illæ ſint) judicare non poteſt, niſi de facto dogmatico judicet; nempe quid Patres eo de dogmate, per omnia ſæcula ſenſerint, quid ſcripſerint, judicando; quod factum dogmaticum eſt: Eſt igitur infallibilis Eccleſia, in factis dogmaticis judicandis.

Hunc tamen arietem dejicimus variis modis. Primò ſi dicamus, facta dogmatica duplicis generis eſſe. Alia privata ſunt ac recentia, quorum certa notitia, nihil ad religionis ac fidei tutelam refert: alia ſunt publica, perantiqua, quorum certa notitia, ad fidei religioniſque tutelam eſt neceſſaria.

Secundò. Factum dogmaticum, de quo debet Eccleſia judicare ut certam Traditionem agnoſcat (quid ſcilicet Eccleſiæ Patres per omnia Sæcula eo de dogmate ſcripſerint atque docuerint) non eſſe obſcurum, perplexum & involutum. Quia ad Traditionem dignoſcendam, Patrum teſtimonia expendit ac librat clara, nitida & aperta. Nos autem de factis hìc agimus do-

doctrinalibus , obscuris , involutis variisque sensibus obnoxiis .

Tertiò . Illud idem contra ipsos argumentum posset hoc pacto retorqueri: Si Ecclesia ad dignoscendam certò traditionem deberet supernaturali indeficientia judicare de sensu textuum D. Patrum , deberet quoque judicare , an illi textus puri & integri ad nos usque pervenerint , quod tamen simplex factum est , in quo judicando Ecclesiam fallibilem concedunt Adversarii .

Quartò . Negamus, Ecclesiam de Divinis traditionibus, quænam scilicet illæ sint, judicare non posse; nisi instituto de SS. Patrum scriptis examine; quid scilicet illi eo de dogmate per omnia sæcula scripserint judicando . Quamquam enim ad Divinas traditiones retegendas ac dignoscendas , magno possit esse adjumento veterum Patrum examen, eorumque doctrinæ investigatio; cum sint illi priscæ traditionis testes locupletissimi ; non est tamen id Ecclesiæ Catholicæ absolutè ac simpliciter necessarium. Imò non est id quandoque possibile, ut ex scriptis Patrum nonnullas de certis dogmatibus traditiones Divinas agnoscat, cum nonnulla sæcula præterierint, quibus nulli floruere Patres , qui vel obiter de certis dogmatibus scripserint, quæ sola tamen Divina Traditione tenemus.

Undè ergo , inquies , novit Ecclesia fuisse dogma aliquod Divinitùs traditum, si id ex Patrum scriptis non accipit?

Respondeo : Id Ecclesiam ex peculiari primùm Dei revelatione scire posse , afflante scilicet Spiritu S. qui in ea juxta Christi Domini pollicitationem , manet in æternum , ad fidei tutelam ac defensionem .

Secundò ; ex communi fidelium conspiratione atque sententia ita se tenuisse semper, & a majoribus accepisse profitentur.

Tertio nos momento urgent , indeficientiæ Ecclesiasticæ vindices, ex duobus præsertim exemplis delibato. Ecclesia, ajunt illi , falli atque errare non potest , in solemni Divorum Apotheosi decernenda , seu ut ipsi loquuntur , in Canonizatione Sanctorum . Porro in ea apotheosi decernenda , de facto quopiam Ecclesia iudicat, absque Scripturæ Sacræ , Traditionisque præsidio; nempe de virtutibus a privato illo Viro excultis , patratisque miraculis ; quorum nullam nisi ex hominum testimonio notitiam habet Ecclesia : Igitur in factis Doctrinalibus iudicandis , indeficientiæ privilegio gaudet Ecclesia; quamquam Scripturæ sacræ Divinæque traditionis præsidio, in eo ferendo iudicio, non nitatur.

Non absimiliter , subiungunt illi, Ecclesia infallibiliter iudicat, sit ne hoc vel illud Concilium Oecumenicum : E. G. Nicænum , aut Tridentinum: Sed hoc factum est, in quo iudicando nil Scriptura Sacra, nihil Divina Traditio suffragantur ; potest ergo Ecclesia factum Doctrinale infallibiliter iudicare , etsi in eo ferendo judi-

judicio, nihil illi Scriptura Sacra, & Divina Traditio suffragentur.

In promptu responsio est: Eo enim argumento nihil probatur, quia plus probat, quam vel ipsi velint Adversarii, facta enim illa personalia sunt, & historica, in quibus iudicandis Ecclesiam falli posse, ipsi ultro citroque fatentur adversarii.

Idcirco ad primum exemplum, de Sanctorum Canonizatione, dico, Ecclesiam ea in re decernenda, infallibilem quidem esse, non tamen infallibilitate quadam supernaturali, atque infusa, ex Divina revelatione petita, quæ fidem a nobis exigat stricti nominis, sed morali duntaxat infallibilitate, partim ex facti notorietate, propter allatas in processu sanctitatis probationes; partim ex peculiari Spiritus S. afflatu; qui Ecclesiæ in caussa tanti momenti adesse præsumitur: quæ quidem moralis infallibilitas piam duntaxat ac religiosam a nobis credulitatem exposcat. Quare qui servum Dei aliquem, inter sanctos ab Ecclesia relatum, puta D. Dominicum, aut Antonium Sanctum esse negaret, irreligiosus quidem esset, & impius, non ideo tamen formaliter hæreticus. Quæ certa indubitataque Sententia est, D. Thomæ: *Quodlibet 9. Art. ult.* S. Antonini 3. *par. Summæ Tit.* 12. *Cap.* 8. Gersonii, Caietani, Bannesii, Melchioris Cani, Driedonis, Turriani, aliorumque benè plurium quos commemorare longum esset. In factis autem Dogmaticis judicandis, de quibus in præsentia disputamus, neutra infallibilitate potiuntur RR. Pontifices, & Sacra Concilia; nec supernaturali infusa, nec morali: Cum nec Divina illis affulgeat revelatio, nec peculiaris præsumatur illis adesse afflatus Spiritus S. nec publica facti notorietas extet: imò potius obscuritas, latebræ, variæque hinc inde virorum eruditorum de factis hujusmodi Sententiæ circumferantur.

Idem de Conciliis Oecumenicis, ac de Canonizatione Sanctorum judicium esto.

Idem quoque de Romanorum Pontificum electione.

Altero tamen nodo difficultatem implicant, ut futilis argumenti vires instaurent. Si Ecclesia, ajunt illi, non judicaret infallibiliter de sensu hujus vel illius scriptionis seu Textus, non posset fidei formulas has vel illas, uti certa fide, tenendas fidelibus proponere: Cum eas ergo proponat, dicendum est infallibiliter judicare.

At qui ista tam fidenter, tam liberaliter jactitant, ab instituto recedunt. Nos enim hìc agimus primò de sensu judicando alicujus scripti seu contextus aliàs subobscuri, per sese æquivoci, variisque sensibus obnoxii: Tales autem non sunt fidei formulæ, quæ ab Ecclesia fidelibus proponuntur. Secundò de sensu judicando Scri-

ptorum ſeu contextuum privatorum Auctorum; non de ſenſu contextuum, quos ipſamet Eccleſia exaravit. Cum autem Eccleſia formularum fidei, quas ipſamet proponit, contextum exaravit, earum ſenſum infallibiliter novit: imò poteſt ipſa qualemcumque ſenſum voluerit uſurpatis a ſe verbis adiicere.

Quæ cum ita ſint, quis non videt vel mediocriter ſapiens, Romanos Pontifices Conciliaque Oecumenica, in factis dogmaticis iudicandis ac definiendis indeficientiæ privilegio gaudere.

PRÆ-

DE
SACRAMENTIS.
PRÆLUDIUM.

Probatur Studium rei Sacramentariæ cæteris aliis studiis esse anteferendum.

HAbita de Romanorum Pontificum auctoritate, iurisdictione, atque indeficientia Theologica Tractatione, postulat officii ratio, & servata docendi methodus, ut in præsentia nonnullas de Legis Evangelicæ Sacramentis disputationes instituamus.

Una me de re Sacramentaria dicere instituentem cura sollicitat, ac valdè anxium habet; quod me fabulam surdis canere certò sciam: qui postremam hanc disciplinæ Theologicæ partem in Scholis neglectam videam, atque despectam, seu Juvenum socordia; qui vix posito Theologiæ tyrocinio, sacris Litteris valedicunt; seu cubiculariorum quorundam Magistrorum incuria; qui ut tempori & operæ parcant, cruda Discipulorum ingenia, nondum consummato Theologico studio, ac ne delibata quidem Sacramentaria parte, ad lauream propellunt, ac manumittunt.

Utcumque tamen res sit, mihi & muneri meo non deero: utque postremam istam disciplinæ Theologicæ partem apud tam iniquos æstimatores, si fieri potest, in honorem reducam, meam illi in hac publica Scholarum instauratione advocationem accommodabo; planumque faciam, rei Sacramentariæ studium ita esse viro Theologo necessarium, ut cæteris non æquari duntaxat, verùm etiam anteferri omnino debeat. Sic sanè litteris hisce nostris suus constabit honos: & quæ nobis in disciplinam tradita est florentissima pubes, semotis præjudiciis reductoque velo, toto ad eas expediendas studio animoque contendet.

Et quidem, ut inde orandi initium faciam, vel ex ipso Theologiæ instituto comperta veritas est, quam probandam aggredior, si modò paulò penitius perpendatur. Eccur enim Theologiam inventam a Patribus, ac summo semper honore habitam existimamus?

mus? Forsan ut de sacris divinisque rebus intra Ecclesiam disputantes mutuis nos captatiunculis illigemus? Ut inter domesticos fidei jurgia seramus? Ut in factiones sectasque discissi intestino bello quotidie committamur? Absit. Sunt hæc recentis Theologiæ vulnera, non officia. Nec minus deridendus, qui ad id institutam Theologiam effutiret, quàm qui bellandi artem in concitandis fovendisque bellis civilibus, ac non potius in tutanda Republica positam esse contenderet. Quid ergo? Ut Religionem Catholicam tueamur, Theologi sumus. In id principe studio incumbendum. Cætera si quæ sunt, aut defunctoriè, atque ex occasione pertractanda veniunt, aut in id unum, tanquam ad instituti Theologici finem, referenda. Testis mihi sit, isque locupletissimus Augustinus Theologorum post homines natos maximus, qui Theologiæ naturam, & officia brevi complexus *lib.* 14. *de Trinit. cap.* 1. *Scientiam esse*, inquit, *qua fides saluberrima gignitur*, *nutritur*, *defenditur*, *roboratur*. Cui præclaræ sententiæ calculum adjicit Doctor Angelicus 1. *part. quæst.* 1. *art.* 2.

Jam si sic est, quis neget, de variarum Theologiæ partium addiscendarum necessitate, ex majori minorive tutandæ Fidei cura esse judicandum; ut in eam pertinaciori studio incumbamus, quæ potiorem in tutanda Fide Catholica operam ponit? Porro, tametsi in qualibet sacræ Disciplinæ parte, Catholicæ Fidei defensio Theologo viro incumbat; id tamen peculiari quadam ratione experiri in ea juvat, quæ de Sacramentis Ecclesiæ disputat. Primùm, quod in aliis fermè omnibus Theologorum Commentationibus, ii maximè Hæretici confutentur, qui retroactis sæculis eruperunt, ignotique longa nocte silentur illacrymabiles; in ea verò, quæ in re Sacramentaria explicanda versatur, bellum in eos moveatur, qui hac nostra ætate tumultuantur, Ecclesiam etiamnum infestant, nobisque, ut ita dixerim, aurem vellunt. Secundò, quod aliis plerisque Theologicis Tractationibus unum alterumve Fidei caput propugnandum occurrat; cætera liberæ opinationi permittantur: in ea autem, quæ de Sacramentis est, ducenta plus minus Fidei capita propugnanda veniant, perpauca Theologorum opinationibus relinquantur. Age enim, & singula vocemus in censum. De Trinitate si disputem, ubi semel adversus Arianos, Eunomianos, Photianos, præteritorum temporum pestes, æterni Verbi, ac sacri Flaminis Divinitatem ostendero, hujusque ab altero Processionem, a sacro in Hæreticos bello desitum est; in reliquis, cum Scholasticis ad ravim usque digladiabor. De Incarnatione si dicam, cum primùm de unica Christi Persona contra Nestorium, deque ejus gemina Voluntate atque Natura adversus Monothelitas, & Eutychianos fuerit disputatum, prælia in Hæreticos con-

quie-

quiescent ; in cæteris , cum Viris de Schola rixabor , ac de lana sæpe caprina quæstiones miscebo vix dignas lucubrationibus anicularum . De Gratia & Prædestinatione si differam , probata adversus Pelagianos ac Massilienses Divinæ Gratiæ necessitate , ejusdemque liberali largitione demonstrata , Catholica Fides hoc de argumento in tuto est , nec ultra manus cum Hæreticis conserendæ . Atque ita fermè de reliquis Theologiæ commentationibus . Verùm ubi ad rem Sacramentariam ventum est , continuum fermè in nostrorum temporum Hæterodoxos bellum intenditur ; brevique in nonnullos Catholicos Tractatores facta velitatione , totum in Lutheranos & Calvinistas Triariorum robur emittitur ; qui universam Sacramentorum Doctrinam infinitis propemodum erroribus labefactant ; veterum Sacramentariorum commenta recudunt ; & quidquid unquam a priscis illis Veritatis hostibus in controversiam hoc de argumento vocatum est, in Ecclesiam Romanam animosiùs instaurant . Ut enim Confirmationem , Pœnitentiam , Extremam Unctionem, Ordinem, Matrimonium missa faciam, quæ ne frequentant quidem ipsi , aut certè Sacramentorum loco non habent, de quibus quæstiones Polemicæ plus minus centum a Theologis agitantur; in Baptismum duntaxat , & Eucharistiam , de quibus sibi videntur religiosè sentire, animos intendite . Quam multa (Deus bone ?) Fidei capita, de Nomine , de Natura , de Partibus , de Institutione , de Usu, de Charactere , de Necessitate , de Fructibus , de Ministris inficiantur Hæterodoxi ? Quot ab iis vastæ molis in lucem emissa volumina , ut Eucharistiæ veritatem impeterent , Calicis usum laicis adjudicarent, Altaris Sacrificium ludibrio verterent, sacros de more ritus exploderent , geminæ substantiæ mutationem oppugnarent? Nisi ergo ab ipso Theologiæ instituto , quod in Fidei defensione positum est, toto aberremus ostio ; imò nisi planè saxei simus, nihilque nos Ecclesiæ tuendæ necessitas tangat, potissimam studii partem in re Sacramentaria ponemus ; ut pro officii ratione Religionis & Fidei caussam eo præsertim in capite ab hostibus impetitam, sartam tectamque servemus.

Accedit alterum ex pertractandi a nobis argumenti natura & conditione petitum , quod novos stimulos addat, eaque nobis studia præ cæteris necessaria, luculentiùs evincat. Ecclesiæ scilicet sacramenta, non earum rerum Theologicarum numero esse, quæ nuda cognitione atque æstimatione a Theologis attinguntur , qualia sunt cætera penè omnia; sed in exercitatione quoque atque actione consistere. Quo fit, ut si qua falsa de iis opinio animo sedeat ex mentis errore, actionis quoque & administrationis Sacramentalis vitium necessariò consequatur; atque ita in cassum abeant, aut

etiam,

etiam, quod pejus eſt, in damnationem cedant, quæ ad fidelium ſalutem a Chriſto ſunt inſtituta. Fac exempli cauſſa, falſa circa Incarnationem, aut Trinitatem opinione aliquem infici; grande quidem id ſcelus, ſi hæreſim præſeferat: at interim quidquid ille deliret animo, Deus nihiloſecius in ſe trinus erit & unus; Chriſtus homo Deus; nec quidquam internæ Myſteriorum illorum integritati officiet mentis error. Fac quempiam de Gratia & Prædeſtinatione pravè ſentire: modò ne pertinaciam, quæ voluntatis vitium eſt, addat errori, Prædeſtinationis & Gratiæ fructus perinde percipiet; nec Divinæ in ſe liberalitati ponet obicem humanæ mentis aberratio. Cujus rei exemplum dedere quinto ſæculo Maſſilienſes; quorum de Gratia & Prædeſtinatione ſpiſſos errores damnat Eccleſia, & Sanctitatem eximiam erectis etiam Altaribus veneratur. At ſi in re Sacramentaria ſubit error, vix unquam damnoſus non erit; & aut Sacramentum irritum faciet, aut ſuſcipientem Sacramenti fructibus deſraudabit. De Materia enim Sacramentorum, de Forma, de Miniſtro, ſi aliter, quàm res ſe habeat, opinaris; aliter quoque, quàm oporteat, adminiſtrabis: in his enim ut quiſque ſentit, ita & agit: atque adeo rem ſacram aut nullam facies, aut vitioſam: De ſuſcipientium diſpoſitionibus ſi tibi ſiniſtra opinio animo inſidet, periculum eſt, ne indignis minuſue paratis Sacroſanctum objicias; iiſque mortem inferas, quorum tibi ſalus concredita eſt. Annon igitur in calcaneo cerebrum geſtant, qui rei Sacramentariæ ſtudium cæteris poſthabendum exiſtimant; qui inutilem, aut certè ſupervacaneam operam putant; qui, ſi pauculas, ac etiam ſucceſſivas horas impenderint, ultra quàm res ipſa poſtulet, deſudaſſe videri volunt?

Imò verò & vitæ inſtituti, quod ingreſſi ſunt, & ſacri, quod obeunt, Miniſterii prorſus indignos non dubitaverim affirmare, qui cum aliena, aut certè cæteris quibuſque communia ſtudioſè ſectentur; quæ proprii muneris ſunt & officii poſtremo omnium loco habenda putant. Sanè quotquot hìc Divinas Litteras colimus, Sacris Altaribus mancipamur, quorum Miniſterii pars maxima in Sacramentorum diſpenſatione verſatur. Cæterarum quarumcumque rerum Theologicarum Doctores atque Magiſtri aut vocitamur, aut ſumus; at Sacramentariæ rei Miniſtri quoque atque diſpenſatores a Chriſto Domino ſumus inſtituti: illarum meri ſpeculatores atque commentatores cenſemur; iſtius pars magna ſumus: in iis authorem Deum otioſè, ut ita dixerim, contemplamur; in iſta authori Deo operam etiam noſtram adjungimus. Ut hinc omnes intelligant, rem Sacramentariam peculiari quadam ratione nos tangere; nec poſſe Theologos viros, in ea perdiſcenda ac pertractanda, deſides eſſe, niſi & ſe & ſua neſcire videri velint.

Quod

Quod quanti dedecoris & infamiæ ſit, nihil hic attinet demonſtrare.

Hinc illa D. Corromei *in ſacris Inſtitutionibus* monita Clericis data, ut ſedulam in addiſcenda Sacramentaria Theologiæ parte operam ponant; ne illos ignorare contingat, quæ tractare, quæ miniſtrare fidelibus debeant. Si enim, quod ajebat neſcio quis, *quam quiſque norit artem, in ea exercere ſe debet;* quanto certiùs, in qua quiſque ſe exercet arte, hanc debet noſſe? Majoris quippe periculi eſt, non noſſe quod exerceas, quàm non exercere, quod noveris. Qua etiam ratione permoti Galliarum noſtrarum Epiſcopi Eccleſiaſticæ Diſciplinæ tenaciſſimi, Conciliorumque Nationalium ſtatutis obſecuti, cum neminem ſacris ordinibus initiare ſoleant, qui Theologica ſtudia non delibarit, Sacerdotio neminem inaugurant, qui eam peculiariter partem, quæ de Sacramentis eſt, non didicerit. Qui aliam ſtudiorum rationem tenuerit, tanquam prophanus Sacro arcetur miniſterio: in quem illa Dei comminatio jure ac meritò cadat, *Oſee* 4. *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi:* Scientiam, inquam, repuliſti implendo Sacerdotali Miniſterio præ cæteris neceſſariam.

Sed quid tandem, ſi quam complectitur eruditionis amplitudinem, poſtrema iſta Theologiæ Diſciplinæ pars paulò diſtinctiùs obſervemus? Eum ſanè nec dimidiatum quidem Theologum eſſe compertum erit, qui cæteris omnibus animo compræhenſis, vel hanc unam inſalutatam prætererit. Quem enim rogo vos veri nominis Theologum appellamus? An illum, qui fæda Scholarum caligine demerſus, præter unum aut alterum Scriptorem omnium ignarus, nulla vetuſtatis ac priſci moris cognitione perpolitus, nulla Scripturarum ac Patrum notitia tinctus, de ſacris diviniſque rebus ex unius Philoſophiæ placitis argutatur? Abſit: Non Theologum, ſed ventoſam cucurbitam appellabo, inacceſſa Myſteria humana ratione temerè metientem. Illum unum eo nomine dignum exiſtimo, qui divinarum Scripturarum, Conciliorum, ac Patrum lectioni intentus ſua omnia è Sacris illis fontibus haurit: qui Hiſtoriæ ac Diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſtudio dies ac noctes impendens, Scholaſticis Controverſiis lucem ac ſpiritum addit: qui denique ſuperiorum temporum Traditionem animo luſtrans, recentium Magiſtrorum placita ad probatiſſimos Veterum calculos vocat: hunc ego Theologum dico. Quamquam autem Theologiam, qua latè patet, univerſam ad eam formam reducere neceſſe ſit, ſi volumus eſſe Theologi ut debemus; uberiorem nihiloſeciùs antiquæ memoriæ cognitionem, in re Sacramentaria pertractanda deſiderari, nemo prudens ibit inficias. Cum enim, ut antea præmonebam, non

in nuda ſpeculatione, ſed in agendo quoque poſita ſint Sacramenta, & in actu conſiſtant, eoque non privato, ſed publico; nec unius alteriuſve ſæculi ſint, ſed plane omnium quotquot a Chriſto ad ſuperos vocato numeramus; univerſam Eccleſiæ Diſciplinam exploratam habere neceſſe eſt, qui dignam his ſtudiis navat operam. Quid Concilia, quid Patres per ſingulas ætates factitarint; quid uſus quoquo ſæculo tulerit; quid pro re nata Pontifices pronunciarint, diligentiùs inquirendum. Si ſecus egerit Theologus, tanquam Scholæ Rabula, aridus magiſtellus, proletarius Diſputator exſibilabitur.

Age tamen, & quid ſuperciliofos contemptores, ad hanc Theologiæ partem cæteris poſthabendam impulerit, videamus. Scholaſticam ſubtilitatem in rei Sacramentariæ Tractatione nullam eſſe dictitant: ingenii acumen minus in ea, quàm in aliis elucere: opacas duntaxat mentes, torpentia atque humeris demerſa ingenia iis ſtudiis delectari, quæ in Sacrarum Scripturarum, Conciliorum, ac Patrum lectione verſantur: nec tam ingenio, quàm dorſo valere, quotquot iis impenſiùs indulgent. Is fermè verbis ſtudia iſta derident inficeti repræhenſores, qui ingenio intra cancellos duntaxat macræ ſpeculationis adſtricto, dolium unum volutare norunt; unoque in piſtrino ſemper incluſi, in eo tanquam in regno ſibi plaudunt, atque triumphant. Hanc nobis cantilenam ad ravim uſque recinunt lepidi deriſores. Quos ego multò lepidiùs perſtringerem, vobiſque ridendos propinarem, niſi naturæ meæ genius repugnaret, in eorum etiam laudes effuſus, a quibus nolim ipſe laudari. Dicant tamen, quibus ita ludere libet, an ad id unum Theologia data ſit, ut exacuatur ingenium ac nunquam ad id aſſurgamus, quod ad fidei Catholicæ defenſionem neceſſarium exiſtimatur? Certè quotquot in hac tanta, qua præmimur, Hæreticorum obſidione Scholaſticæ Theologiæ vepretis ac tribulis perpetuò hærent, quod ingenium exacuere videantur; nec unquam ad theticas & polemicas Controverſias mentem appellunt, haud aliter deridendos exiſtimo, quàm qui ab hoſtibus undique laceſſiti totam in exacuendo gladio vitam ducerent; nunquam tamen in ſui defenſionem exererent. Excolatur, per me licet, ingenium Metaphyſicis Diſciplinis, exerceatur Scholaſticis Controverſiis, non repugno; ſed juſto tempore: ut quam demum ſubtilitatem adepti ſumus, altioribus ſtudiis devoveamus. Aliàs periculum ſubeſt, ne quemadmodum qui gladium plus æquo exacuit, acumen atterit, ac demum abſumit; ita & illi mentem plus ſatis exacuendo, de ſtatu dejiciant, ac porro dementent.

Quamquam & illud inſulſitatis atque calumniæ plenum eſt, quod tanta fiducia dictitant: Theologicam ſubtilitatem in rei Sacramen-

tariæ Tractatione minus elucere. Equidem si futilibus & inconditis argutiis, si tricis, inanibusque cavillationibus subtilitas continetur, fateor & ea caremus, qui hisce studiis delectamur, & eam cæteris, quibuscumque libuerit, relinquimus potius, quàm nobis arrogamus. Do manus, bajuli sumus, & quidem rudes & impoliti, non acuti Theologi; nobisque studium omne ingeniumque in dorso est, non in cerebro. At si ingenii perspicacia, ac judicio, criterio ad amussim exacto, generoso ac vivido spiritu stat vigetque subtilitas, facile erit, ex movendarum quæstionum gravitate dignoscere, quid in eo genere postulet Sacramentaria Disputatio. Quam si pro dignitate tractare velint, qui cæteros dorso, quàm ingenio valentiores appellant, vereor ne & ipsi onere pressi fatiscerent, quamquam & dorsi, & humerorum, totiusque corporis, adhuc etiam totius ingenii vires intenderent. Sed motos præstat componere fluctus.

Mihi satis fuerit brevi proludio demonstrasse, postremam hanc Disciplinæ Theologicæ partem, non modò non esse cæteris posthabendam, ut autumant nugivendi; sed principe loco reponendam, seu spectata tuendæ adversus tumultuantes Hæteroxodos Catholicæ Fidei necessitate; seu attenta implendi, quod obimus, Sacri Ministerii religione; seu demum considerata Ecclesiasticæ, quam complectitur, eruditionis atque doctrinæ ubertate, amplitudine, majestate. Ut intelligat studiosa Juventus, cujus institutioni curas nostras ac studia devovemus, non inglorium & infrugiferum esse laborem, quem in iis litteris addiscendis impendet. Imò nulli certiorem patere viam, ut & opportunus Religionis & Fidei defensor, & dignus Sacramentorum administer, & absolutissimus Theologus evadere aliquando possit.

In sequenti igitur Disertatione primam in Lutheranos, & Calvinistas impressionem faciemus. Et quia eorum in Sacramenta livor & odium eo usque processit, ut ipsum etiam nomen ab Ecclesiæ usu pellere velint; idcirco de Sacramenti Nomine in Ecclesia usurpando retinendoque, Deo volente, disputabimus.

PRÆLECTIO I.

Quid intelligendum sit nomine Sacramenti, proponitur, explicatur.

UT via debita rectaque ratione procedat suscepta de Sacramentis Ecclesiæ Theologica disputatio; de ipso met Sacramenti Nomine, in Ecclesia usurpari solito ad ea divinæ gratiæ signa practica denotanda, nobis est hoc ipso in limine disputandum. Prima etenim quæstio illa est, sin minus dignitate & gravitate, at certè doctrinæ ordine methodoque; Cum rem quamcumque ex nomine saltem nosse primùm omnium oporteat, antequam aliæ ullæ de ea quæstiones agitentur, ac moveantur.

De eo itaque Sacramenti nomine dicere instituentem, movet me plurimum D. Augustini digna sententia *lib.* 10. *de Civit. Dei cap.* 13. *Liberis verbis loquuntur Philosophi, nobis autem ad certam regulam loqui necesse est, ne verborum licentia, etiam de rebus quæ his significantur, impiam gignat opinionem*. Hinc etenim intelligere facile est, supervacaneas plerumque censeri, quæ de rerum naturalium appellatione moventur a Philosophis quæstiones, nunquam tamen inutiles aut nugaces haberi posse, quæ de rerum divinarum nominibus a Sacris Tractatoribus agitantur.

Et certè eum in veteri perinde ac recenti memoria peregrinum esse, necesse est, qui nesciat Ecclesiam Catholicam pro certis interdum nominibus usurpandis, ac retinendis, tanquam pro aris & focis, acriter decertasse, quod iis Catholicæ fidei tesseram positam esse existimaret. Sic pro retinendo *Consubstantialis* vocabulo, adversus Arrianos depugnavit Sacrosancta Nycena Synodus: sic pro usurpanda *Deiparæ* voce, adversus Næstorianos Ephesina Synodus decertavit: Sic *Trinitatis* vocabulum consecratum in Ecclesia voluit Concilium Constantinopolitanum, hujus nominis tertium: Sic *trinam Deitatem* appellandam, repugnantibus licet nonnullis Galliarum Episcopis, Ecclesiæ Catholicæ definivit assensus tertio decimo vertente sæculo: sic demum *Transubstantiationis* vocem, in Eucharistica donorum immutatione explicanda, usurpandam Tridentini Patres statuere.

Iis igitur exemplis animati, more institutoque Majorum pro retinendo usurpandoque in Ecclesia *Sacramenti* nomine ad ea divinæ gratiæ signa practica denotanda, in præsentia disputabimus; indeque initium faciemus, undè novi hodie Sacramentarii, Lutherani

rani nimirum & Calviniſtæ, erroris initium ducunt. Is etenim fuit illorum in Sacramenta livor & odium, ut ne ipſam quidem nomenclaturam pati velint, ingenſque Eccleſiæ Romanæ facinus dictitent, quod illud *Sacramenti* nomen uſurpet, ſuoque veluti uſu conſecret. Et quia idem Græcis auribus *Myſterium* ſonat, quod latinis *Sacramentum*, Eccleſiæ perinde Græcæ eandem litem intentant; quod *Myſterii* græcam vocem, ad ſacra illa ſymbola deſignanda, nobiſcum uſurpet. Hinc Lutherus *lib. de abroganda Miſſa*, & *libro de Captiv. Babilon.* Synagogæ ſuæ Combibones seriò monet, ne gemina illa nomina a Fidelibus uſurpari ſinant. Calvinus non abſimiliter *lib.* 4. *Inſtit. cap.* 14. Voces illas uti ſpurias, ac recens a Viris de Schola inductas eliminari ab Eccleſia cupit. Quibus deinceps ſuffragati ſunt, Melanctonius *lib. de locis communibus*, Zuinglius *lib. de vera & falſa Religione*, & Carloſtadius *lib. de Imaginibus*. Si verò percuntemur ab eis, quo meliori aptiorive nomine utendum ſit, hæret illis aqua, ac veluti piſces obmuteſcunt: imò *Sacramenti* nomen dum improbant, uſurpant ipſi, ſuaſque hoc de argumento lucubrationes, de *Sacramentis* inſcribunt; riſu nil minus excipiendi, quam qui Atheus cum eſſet, atque ob id ipſum igne damnatus, ut cœpit ardere, dolentis naturæ impetu, quem obſtinatè negabat Deum, eumdem vocabat auxilio.

Duplici porro, ut ſuum illum errorem adſtruant, nomenque *Sacramenti* rejiciendum oſtendant, momento nituntur.

Primò: quod nuſpiam *Sacramenti* nomen in latinis ſacrarum Scripturarum Verſionibus, eumdem intellectum habeat, quem modò apud Pontificios obtinuit: Nuſpiam *Myſterii* vocabulum, quod paris apud Græcos eſt poteſtatis, in primigenio Scripturarum Textu, eodem ſenſu uſurpatum occurrat, quo nunc a Pontificiis uſurpatur; pro ſigno nimirum externo atque ſenſibili, quo ſacra & occulta res deſignatur: ſed utrumque vocabulum Sacramentum & Myſterium eo Pontificiorum ſenſu acceptum, prorſus ἄγγραφον eſſe contendunt.

Secundò: quod altum de utraque appellatione in eum ſenſum accepta, ſilentium extet apud priſcos utriuſque Eccleſiæ Patres. An igitur ſic ſe res habeat, expendamus: hoc etenim duplici cardine tota præſens volvitur controverſia.

Ac primò quidem, ne laboremus in æquivoco; *Sacramenti* nomen (quod idem de *Myſterii* voce dixerim) variis ſignificatis obnoxium eſſe, nec uno ſemper ſenſu a Scriptoribus uſurpari, inficiari omnino nolim. Sic Juramentum per rei ſacræ conteſtationem emiſſum, Deo ſcilicet in teſtem promiſſionis aut veritatis alicujus vocato, *Sacramentum* frequentius appellatur, Ita Cicero *lib.* 2. *de Officiis*, Livius *Decade* 6. & Vegetius *lib.* 2. *de re militari*. Nec vero

verò id apud prophanos tantùm Scriptores usu receptum est, verùm etiam in jure Canonico, *caussa* 22. *quæst*. 4. *Cap. qui Sacramento & Caussa* 2. *quæst*. 5. *cap. Nos*. Rursum pignus in loco sacro depositum olim a litigantibus, ut illud perderet improbus litigator, qui caussa caderet, *Sacramentum* a Veteribus vocabatur, teste Varrone *lib*. 4. *de lingua Latina*. Divinarum quoque Scripturarum usu pro sacro arcano, abdito & occulto, sexcentis propemodum locis usurpatur hoc nomen: *Tobiæ* 12. *Sacramentum Regis abscondere bonum est*. *Ad Ephes*. 1. *Ut notum faceret Sacramentum voluntatis suæ*. 1. *ad Timot*. 3. *Magnum pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne*. Totum id Luteranis & Calvinianis ambabus manibus damus, ac pleno modio, variis scilicet illis significatis, *Sacramenti* vocabulum esse obnoxium. Verùm id etiam nominis, uti & *Mysterii* vocem, sacris in Litteris identidem usurpari, quo sensu a Catholicis, cum Græcis tum Latinis in præsentia sumitur pro signo nimirum externo, atque sensibili, quo sacra res designatur; id vero contendimus adversus hujus ætatis hæterodoxos, probamusque luculenter.

Præsto nobis est Apostoli locus *ad Ephes*. 5. ubi Adæ & Evæ carnalem conjunctionem recolens, qua Christi & Ecclesiæ futura conjunctio præsignabatur, illud ipsum rei tam sacræ signum externum, Sacramenti nomine denotat Divinus Apostolus. *Propter hoc*, inquit, *relinquet homo Patrem & Matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*. *Sacramentum hoc magnum est, in Christo autem dico, & in Ecclesia*. Quæ verba non hìc ego in medium adduco, ut evincam, Matrimonium in nova lege contractum, Sacramentum esse ac dici: quamquam enim res ita sit, nequaquam tamen ex hoc Apostoli loco colligi potest, ubi non de novæ legis Matrimonio sermonem instituit, sed de ipsa primorum parentum conjunctione. Verùm id profero, ut evincam, quod præsentis instituti est; nempe non modò rem sacram, & occultam, *Sacramenti* nomine sacris in Litteris insigniri, sed ipsum quoque rei sacræ atque occultæ signum exterius, qualis prima illa conjunctio fuit, eadem nomenclatura designari.

Accedit alterum petitum ex *cap*. 1. *Apocalypsis*. Viderat raptus in extasim dilectus Apostolus, stellas septem, & candelabra totidem: Tum postea a Deo scribere jussus, quid externa illa signa designarent, ita Deum loquentem inducit: *Sacramentum septem stellarum, quas vidisti in dextera mea, & septem candelabra aurea. Septem stellæ Angeli sunt septem Ecclesiarum, & candelabra septem; septem Ecclesiæ sunt*. Ita planè septem stellas septem Angelos designantes, *Sacramentum* appellat. Non ita sola res sacra & occulta, Sacramenti nomine nuncupatur,

tur,

tur, uti Lutherus & Calvinus obtendunt, sed ipsum quoque signum externum, quo sacra res designatur.

Non absimiliter *cap. 17. ejusdem Apocalypsis*, laudat dilecti Apostoli animo, species objecta fuerat Mulieris sedentis supra bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, habentem capita septem, & cornua decem. Tum subinde conspicuus illi Angelus visum interpretatus est in hæc verba: *ego dicam tibi Sacramentum mulieris & bestiæ, quæ portat eam, quæ habet capita septem, & cornua decem . . . .* Porro & illic Sacram enti nomine notari cernitis Mulierem ipsam, signum scilicet illud, quo occulta Mysteria designabantur.

Pari sensu, *Danielis* 2. statua Nabucodonosoris, quæ latentis rei signum erat, nimirum successionis quatuor Regnorum Christique imperii postmodum orituri, *Mysterium* vocitatur. Eodem vocatur nomine persecutio, temporibus Apostolicis jam tunc in Ecclesiam concitata, 2. *ad Thessalon. cap.* 2. *Mysterium iniquitatis jam operatur*: quod nempe excitandæ aliquando ab Antichristo persecutionis signum esset, uti exponunt Chrysostomus Theodoretus, Ambrosius. Ingens itaque perfidiæ atque inscitiæ specimen produnt Lutherani & Calvinistæ, qui ut *Sacramentis & Mysterii* nomen, ab utraque Ecclesia in hac specie usurpari solitum sugillent, summa fidentia contendunt, sacras litteras utrumque paris potestatis vocabulum, *Mysterium & Sacramentum*, usurpasse duntaxat, ut res sacras atque occultas exprimerent, nusquam verò ut ipsa rerum occultarum externa sensibusque obnoxia, signa denotarent.

Quamquam quid ego Lutheranos & Calvinistas exemplis urgeo externorum ac sensibilium signorum, quibus & *Mysterii & Sacramenti* nomen adhæsit sacris in Litteris? hæc ipsa de quibus motalis est sacra symbola Divinæ gratiæ signa; has ipsas de quibus agimus, salutares Divinæ gratiæ pixides & apothecas, *Mysteria* vocat Apostolus 2. *Corint.* 4. *sic nos*, inquit ille, *existimet homo*, *ut Ministros Christi*, *& dispensatores Mysteriorum Dei*. Quæ enim, amabò vos, Mysteria illa sunt, quorum dispensatio Apostolis concredita est, nisi quæ eo communiter censentur nomine apud Græcos, a nobis autem Latinis Sacramenta, paris potestatis vocabulo, nuncupantur; Baptismus scilicet, Chrysmatio, Eucharistia, aliaque id genus multa sacra symbola, gratiam in suscipientium animis producentia?

Sed age, res ita esset, ut libet, ut lubet Lutheranis & Calvinistis: quid ni quoque iis vocabulis liceret uti, quamquam nuspiam sacris in Litteris occurrerent? Is certè proprius hæreticorum caracter est, semperque fuit, ad solam Scripturam confugere; nil

nisi

nisi quod in ea disertis verbis expressum est, excipere velle, Ecclesiæ verò Traditiones audaciùs conculcare.

Neque verò satis advertunt nostræ hujus ætatis Sacramentarii, suo se gladio petere, dum ea nos argutia insectantur: *Nuspiam sacris in litteris Sacramenti vox, eum in sensum usurpata est, a nobis itaque usurpari non debet*: Quasi vero? An non ipsi *Trinitatis* nomen una nobiscum usurpant? An non *Consubstantialis* vocem, a Concilio Nicæno consecratam, uti fidei Catholicæ, de Verbi Divinitate tesseram profitentur? An non *Deiparæ* vocabulum, a Concilio Ephesino adversus Nestorianos, usurpatum venerantur? Ubinam verò sacrarum litterarum voces illas usurpatas indigitabunt? Nihil ergo vetaret, *Sacramenti* nomen a Catholicis usurpari, tametsi nuspiam in Divinis Scripturis occurreret.

Jam verò, quod veteres Patres attinet apud quos altum de utroque vocabulo, in eumdem sensum accepto, silentium esse dictitant Protestantes; legat quisquis supinam illorum in evolvendis Patribus, negligentiam experiri velit; legat, inquam, ex latinis D. Augustinum *Epist.* 118. *lib.* 2. *de Doctrina Christiana cap.* 3. & alibi sæpiùs, Hieronymum in *cap.* 1. *Malachiæ*, *&* 44. *Ezechielis*, Hilarium in *Psalm.* 121. Cyprianum *lib.* 1. *Epist.* 6. Lactantium *lib.* 3. *de vera Sapientia cap.* 30. *& lib.* 4. *cap.* 17. Tertullianum demum, ut ab aliis recensendis abstineam, *lib.* 2. *contra Marcionem cap.* 28. *& lib. de præscriptionibus cap.* 40. ubi Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Sacramenta identidem appellant. Legat verò ex Græcis, S. Justinum Martyrem *in cohortatione ad Græcos*, S. Irenæum *lib.* 1. *adversus hæreses cap.* 5. S. Joannem Chrysostomum *passim in homiliis ad populum Antiochenum*, Baptismum & Eucharistiam, salutis nostræ Mysteria nuncupantes. Tota ergo formula cadunt Protestantes, dum Patrum silentium ignoranter ostentant.

Non desunt Ecclesiastici Tractatores, qui in ejusdem veritatis confirmationem a nobis hactenus propugnatæ, Lutheri palinodiam ostentent; quasi is tot argumentorum evidentia permotus, præconceptum errorem, sub vitæ finem ejuravit. Equidem palinodiam ille sub vitæ finem decantavit, & Sacramenti nomen tandem admisit, *lib. contra Cœlestes Prophetas cap.* 2. Undè & effectum est, ut Germaniæ Protestantes in celebri Confessione Augustana, illud idem sæpiùs usurparint. At non veritatis tuendæ studio, sed invidiæ & æmulationi tribuenda Martini Lutheri mutatio est. Cum enim Zuinglium & Carlostadium, cum quibus graves gerebat inimicitias, a voce Sacramenti abhorrere animadvertisset; eandem ille cœpit admittere, pristinumquee rrorem deposuit, ne commu-

munem cum implacabilibus hostibus sententiam habere videretur: Imò verò de Luthero errorem pristinum deponente meritò dixerim, quod de Juda proditore tam ingeniosè, quam verè notavit D. Ambrosius, *infeliciùs pœnituisse, quam peccaverat; pejoremque pœnitentiam fuisse, quàm culpam*. Ineptiori siquidem argumento nixus, Sacramenti nomen admisit Lutherus Senex, quàm negaverat Juvenis. Cur negasset Juvenis, jam satis audistis, quia nimirum, ut ipsi quidem videbatur, nusquam Sacramenti nomen, sacris in Litteris eo sensu usurpatum est, quo solet a Pontificiis usurpari pro signo nimirum externo rei sacræ: Cum demum admiserit Senex, audite Viri Theologi, ut novi Reformatoris ingenium demiremini: quia nusquam, inquiebat ille, sacris in Litteris prohibetur, ne vocabulum illud usurpemus. Acutum sanè argutumque argumentum? Sacramenti vocabulum in hacce specie usurpare licet, ob id unum, quod in sacris Litteris minimè prohibeatur? Atqui si ea omnia vocabula usurpare licet, quæ Deus sacris in Litteris non legitur prohibuisse, liceat igitur Arrianis, filium Dei, Patri *ἑτερούσιον*, vocitare: liceat Macedonianis Spiritum S. *creaturam Patris & Filii* nuncupare, liceat Michaeli Serveto Verbum Æternum, *idealem rationem Christum hominem repræsentantem* definire: liceat Valentino Gentili, Deum Patrem *essentiatorem*, Deum Filium *essentiatum*, barbarè non minus, quàm impiè nominare: Concedatur denique ut alios prætermittam, novis Samosatenis, ut Imagines Trinitatis, *Cerberos Tricipites*, & *tricorpores Geriones* appellent: Siquidem nihil horum sacris in Litteris, Deus legitur prohibuisse. Nugaci igitur argumento nixus est Lutherus, nec erat profectò cur palinodiam caneret, si nulla ei alia ratio suppetebat.

Atque hinc cernitis, opinor, quo ducat insulsum illud Lutheranorum & Calvinistarum principium, quo omnia ad solam sacrarum Scripturarum normam exigenda putant, tamquam alia nulla succurreret fidei regula. Sic enim quacumque de re Scriptura silet, quod lubet, libetue affirmare, aut negare perinde possunt. Si enim affirmare velint, hoc illis in promptu est argumentum: Scriptura quominus id affirmemus, minimè prohibet, meritò igitur affirmamus: ita quippe argumentatus est Lutherus senex, dum Sacramenti nomen tandem admisit. Si verò negare lubeat, hoc alterum suppetet ex adverso: Nusquam id asserit Scriptura Sacra, igitur id jure negamus: quæ Junioris Lutheri argutia fuit, dum Sacramenti nomen exploderet! atque ita pari licentia, quidquid lubet affirmant, aut negant Lutherani specioso illo suo Divinarum Scripturarum obtentu; nec modò uno eodemque ore, ut in proverbio est, sed & uno eodemque spiritu,

tu , calidum & frigidum efflant . Sed de Sacramentorum appellatione retinenda plus fatis dicta funt.

In ea , quæ fequitur Difertatione , rem ipfam propiùs atque intimiùs attingemus ; deque ipfa Sacramentorum natura , feu de partibus , quibus Sacramentorum effentia conftat , difputabimus.

PRÆ-

PRÆLECTIO II.

Quot & quales sint Partes essentiales Sacramentorum.

De partibus, quibus Ecclesiæ Sacramenta constant, disputationem habituri; veterum Ecclesiæ tractatorum, ac recentium Scholæ Magistrorum loquendi formulas, in speciem diversas, tyronum oculis prima fronte subjicimus; ne fortè quæ ex priscis Ecclesiæ Patribus, inter disputandum, laudaturi sumus, minus ab iis intelligantur.

Partes itaque Sacramentorum, quibus illorum essentia constat, duas vulgò ponunt recentiores Scholæ dictatores, quos ex peripateticorum formulis materiam, & formam vocitare solent. Materiæ nomine res ipsas seu instrumenta actusve sensibiles intelligunt, in Sacramentorum collatione adhiberi solitos, ut aquam in collatione Baptismatis, manuum impositionem in Sacrorum Ministrorum ordinatione seu inauguratione: formæ verò nomine verba solemnia intelligunt, in Sacramentorum administratione, seu consecratione proferri solita, qualia in Baptismate ista sunt, *ego te baptizo in nomine Patris, & Filii & Spiritus S.* Verùm procul ab usu veterum Patrum materiæ & formæ nomina, aliæ apud illos loquendi formulæ. Sacramenta elemento & verbo constare veteres dictitabant; hinc illud Augustini *tract.* 80. *in Joann. Accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum*. Quamquam tamen elementi nomine non simplicia corpora, queis mixta compinguntur, intelligerent, sed quæcumque instrumenta, actusque sensibiles, in Sacramentorum administratione adhiberi solitos. Nonnunquam etiam Sacramenta *signis & rebus* constare, veteres inquiebant. Per signum, totum id intelligentes, quod postea per materiam simul & formam a scholasticis significatum est, quidquid videlicet sensibus objicitur; per rem autem effectum Sacramenti, Gratiam nimirum & Characterem. Quam loquendi rationem usurpat S. Basilius M. *Epist.* 2. *Canon. ad Amphil.* Quandoque *Sacramentum & rem Sacramenti* vocitabant; nempe sensibile signum, remque sensibili signo in suscipientium animis productam. Ita veteres, ita Patres, quos bona pace dicam, imitari satiùs erat, quam novas loquendi formulas, in Scholas inducere. Post annos amplius mille a Philosophia Peripatetica, quæ rerum naturas, sub materiæ & formæ nomine examinare solet, Theologi de Schola materiæ & formæ nomina mutuati sunt, eaque in Sacramentorum doctrina tradenda,

V 2 fre-

frequentiùs usurparunt. Cæterum in solemnem Ecclesiæ usum, & publica sacrorum statuta, & documenta, non ante annum a Christo D. Concilio 1400. in Constantiensi inducta fuisse vocabula illa, certum est. Primus quem sciam Romanorum Pontificum, ea nomina sacros in usus adhibuit, inter latinos Eugenius IV. XV. vertente sæculo, in Decreto ad Armenos, quod Concilio Florentino perperam aliqui tribuunt; Cùm soluta jam Synodo, Armenorum legatis a Summo Pontifice traditum sit; ubi *omnia Sacramenta tribus perfici* dicuntur, *videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & persona Ministri*. Inter Græcos verò, sub idem fermè tempus, Jeremias Patriarca Constantinopolitanus, *in Responso ad Vittembergenses cap.* 7. ut Gabriel Philadelphiæ Metropolita *in libello de Sacramentis*, his ipsis vocabulis usi inveniuntur.

Non morabor hìc Lutheri, Calvini, Melanctonii, Brentii, Zuingli, Ecolampadii cæterorumque Ecclesiæ falsi nominis reformatæ Ministrorum in Romanam Ecclesiam dicteria sales Scommata, ob illa, ut ajunt, prophana nomina, e gentilium Philosophia in sacros usus derivata. Ecquid enim vetat, si qua nomina rebus significandis opportuna, a Philosophia subministrantur, eadem illa in usus sumere, quo faciliùs res sacras audientium mentibus inferamus; modò rei summam ex purioribus Scripturæ & Traditionis fontibus mutuemur?

Iis itaque proludii loco positis, quærendum in præsentia venit, pro more Scholæ, num universa novæ legis Sacramenta rebus uti materia, verbis ubi forma necessariò constent? Dixi novæ legis Sacramenta, quandoquidem certò certiùs est ea quæ veteri lege circumferebantur, nullis verbis constitisse; cum nulla sacris in Litteris designentur, ubi eorum ritus minutatim atque distinctè præscribuntur: Uti videre est *Genesis* 17. ubi circumcisionis ritus Abrahæ traditur: *Exodi* 12. ubi Agni Paschalis ritus exponitur: *Levitici* 8. ubi sacrarum ordinationum Cæremoniæ recensentur.

Neque verò movet in oppositum, quod Levitici *Cap.* 4. ubi sacrificia pro peccato offerenda præcipiuntur, a Deo injunctum sit, ut pro iis Sacerdos oret, quorum est sacrificium; undè perperam quis colligeret veteris Testamenti sacrificia certis etiam verbis, uti partibus constitisse. Ea quippe oratio facienda non sacrificii pars censebatur, sed adminiculum, ac veluti consectarium, ut sacrificii fructus faciliùs obtineretur, quemadmodum admonet Augustinus *lib.* 83. *qu.* 6.

Multò minus negotium facessit hac in parte, quod de Sacrificio Zelotipiæ legimus *Num.* 5. ubi certa verba a Sacerdote proferenda præscribuntur, ad detegendam mulierum perfidiam, quæ violato conjugali thoro viris suis cornua affricuissent. Duo siquidem in Zelotipiæ lege secernere opus est sacrificium, scilicet

licet, & execrationem. Sacrificium cæterorum more nullo prolato verbo offerebatur; peracto verò Sacrificio, execratio verbis, ac maledictis, in mulierem adulterii accusatam congestis agebatur: Uti legimus *Numerorum* 5. *Assumet Sacerdos quàm amarissimam in vase fictili, & pauxillum terræ de pavimento tabernaculi mittet in eam; & dicet: Si declinasti a viro tuo, det te Dominus in maledictionem, exemplumque cunctorum in populo suo putrescere faciat femur tuum, & tumens uterus tuus, dirumpatur ..... & respondebit mulier amen amen*. Quare perperam quod execrationis est proprium, Sacrificio tribueris, ut Mosaicæ etiam legis sacrificia verbis etiam constitisse probes.

De novæ itaque legis Sacramentis quæstio unicè vertitur, num verbis simul ac rebus necessariò perficiantur? Affirmat Theologorum pars nobilissima, ac numero major, atque ex sacris Litteris non obscurè colligit. Enim verò quattuor nobis Sacramenta disertissimè memorant sacræ Litteræ; Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, extremam Unctionem; simulque uniuscujusque & res & verba repræsentant, materiam nimirum, & formam. Baptismi res seu materia *Joann.* 3. designatur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non intrabit in regnum Cælorum*: Verba *Matth. ult. Baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*. Confirmationis res seu materia & forma simul *Actor.* 8. præfiguntur, *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum; tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*. Eucharistiæ materiam simul, & formam designant Evangelistæ tres, Matthæus, Marcus, & Lucas, una cum Apostolo Paulo; Panem nimirum & vinum, hasque consecrationis voces, *hoc est Corpus meum; hic est Calix Sanguinis mei &c.* Extremæ Unctionis materiam simul formam notavit Jacobus Apostolus, *Epist. Cath. cap.* 5. *Ungentes cum oleo Sancto & oratio fidei alleviabit infirmum*. Quæ cum ita sint, quid ni etiam cætera Sacramenta, quorum tam diserta sacris in Litteris mentio non occurrit, suis quoque rebus ac verbis, materis inquam & formis perficiantur? Omnium enim una eademque ratio subsit.

Et quidem, quod Pœnitentiæ Sacramentum interest, cum instar judicii capitalis a Christo sit institutum, dum ligandi atque solvendi remittendi, & retinendi peccata tradidit Apostolis potestatem, planum est, delicta, materiæ seu rei loco habenda esse, Sententiam verò absolutionis verbo proferri. Rursus, cum Ordo communem cum confirmatione materiam obtineat, ex mente Celebriorum Theologorum, manuum videlicet impositionem, juxta illud Apostoli 1. *ad Tim.* 4. *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi, per impositionem manuum mearum* (quod certè de ordinatio-

ne

ne dictum est), necesse profectò est, ut verbis aliis conferatur, quibus tradita potestas designetur, aliàs nullo ex capite, Ordo a Confirmatione secerneretur. Demum in Sacramento Matrimonii rem simul & verba reperire est, rem, inquam, conjuges videlicet ad conjugalem copulam consentientes; verba verò, dati scilicet mutui consensus externam expressionem, uti Theologorum vulgus autumat: aut certè, ut alii fæliciùs conjiciunt; Rem seu materiam, consensum mutuum contrahentium; verba seu formam, Sacerdotis benedictionem, *Ego vos conjungo &c.* Id itaque summo consensu statuendum, universa novæ legis Sacramenta rebus ac verbis perinde constare: quod Augustinus brevi illo pervulgatoque oraculo significavit, *accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum:* Decretoque suo ad Armenos paulò ante laudato, Eugenius IV. declaravit, omnia, Sacramenta tribus perfici inquiens, *rebus videlicet, tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri.*

In scirpo itaque nodum quærit Durandus, Theologus aliàs magni nominis, primique subsellii, dum Pœnitentiæ Sacramentum, solis quandoquè verbis constare posse contendit, sine re: dum videlicet pœnitens, non nisi peccata verbo commissa, Sacerdotis judicio subjicit; solisque verbis, contritionis, confessionis, satisfactionis signa prodit. Id planè frivolum est. Etenim ut Sacramenta constare dicantur rebus, & verbis, uti contendimus, necesse profectò non est, ut Sacramentorum res verba non sint; & vicissim verba non sint res; sed sat est, si quidpiam vice rei, quidpiam vice verbi fungatur. Quare & hoc ipso in casu, quem nobis Durandus ostentat, res quoque in Sacramento Pœnitentiæ reperitur; quia peccatum verbo commissum non ut verbum, sed ut peccatum, remota Sacramenti hujus materia, est: peccatum autem, formaliter, ut Schola loquitur, non est verbum, sed res est, à verbi ratione longè diversa: nimirum actus humanus à recta ratione & lege dissentienti. Uti etiam Confessio oralis, seu voce expressa, proxima Sacramenti hujus materia non est, quatenus Orationis, seu dictionis rationem obtinet; sed quatenus Pœnitentis est actus. Sine re igitur, materiæ rationem habente numquam perficitur Pœnitentiæ Sacramentum.

Hinc soluta manet argutia altera, non absimilis, ex Sacramento Matrimonii petita. Objiciunt scilicet aliqui vice versa, fieri posse, ut sine verbo Matrimonium contrahatur, atque ita sine verbo stet Sacramentum: Si nempe duo contrahentes, non verbis, sed scriptis aut nutibus consensum mutuum exprimant. At non advertunt imprudentes, hoc ipso in casu, scripta ac nutus, verborum vices obtinere, eorumque vim gerere; satisque esse, si consensus quomodolibet exprimatur.

Sed

Sed inquiunt fortassis; Nicolaum Papam *Caussa* 27. *quæst.* 2. *Cap. sufficiat* & Alexandrum III. *Cap. cum locum; de Sponsalibus & Matrimoniis*, decrevisse, solum consensum contrahentium, Matrimonium efficere; adeoque verba aut signa consensum exprimentia non esse necessaria. Verùm spuria consecutio illa est. Non enim ea SS. Pontificum definitio ita accipienda venit, quasi consensus interior, sine externo signo consensum exprimente sufficiat: Siquidem idem Alexander, *Cap. licet*, *de Sponsa duorum*; disertè docet, necesse esse, *ut consensus verbis consuetis aut signis exprimatur*. Sed idcirco consensum contrahentium sufficere doceant laudati Pontifices, ut nimirum parentum consensus aliæque solemnitates, tanquam ad Matrimonii substantiam minimè pertinentes, secludantur: de hoc enim quæstio movebatur, non ut verba consensum exprimentia rejiciantur. Nunquam itaque sine rebus ac verbis perficitur Sacramentum.

Quamquam possem ego longè faciliùs; eo me nodo expedire. Quippe qui conjugum verba consensum mutuum exprimentia, Sacramenti Matrimonii formam non esse, persuasum habeo; sed verba potius, quibus Sacerdos nubentibus benedicit, illosque conjungit. Hæc summis Theologis, ac Juris Canonici peritis Sententia stetit olim, statque etiamnum hodie; qui uti Sacerdotem hujusce Sacramenti administrum existimant, non autem contrahentes; ita Sacerdotis, non contrahentium verba, formam illius arbitrantur. At de his pleniùs, ubi de Matrimonio ex instituto, disputabimus.

Cæterum tametsi Sacramenta, rebus uti materia, verbis uti forma constare contendamus; non ea tamen compositis naturæ, aut etiam artis similia in omnibus dicimus, absit: Ea quippe composita naturæ nimirum & artis, ita materiis suis formisque consistunt, ut ambæ unitæ simul ac fæderatæ cohereant donec composita dissolvantur: Sacramenta non item; sed dissociatis, ut ita dicam, atque disjunctis materiis, ac formis, quandoque manent.

In Eucharistia exemplum esto: ut primùm forma ponitur, hoc est, consecrationis verba proferuntur, Sacramenti materia esse definit, panis nimirum & Vini substantia transit. Idem in Pœnitentiæ Sacramento comprobamus: Ut primùm absolutio, quæ forma est, pronunciatur, peccatum, quod materia remota est, deletur atque destruitur. Nec aliter duo illa Sacramenta confici possunt, nisi mutuo materiæ & formæ conflictu, alteri altera interitum veluti machinetur. Frustra itaque à naturæ aut artis operibus exemplum peteret aliquis, ut verba in Sacramentis usurpari solita, formæ rationem non habere, contenderet, ob id unum, quod

quod verba non ſemper rebus, ſeu materiis coexiſtant, in Sacramentis. Quaſi verò, Sacramenta compoſitis naturæ vel artis, per omnia, & in omnibus paria ſint; aut Deo legem quis dare potuerit, ut ad naturæ artiſque operum normam, ſua conderet Sacramenta? Satis igitur, ſuperque eſt, ſi verba rebus ſeu materiis coexiſtant, moraliter ſaltem, ut in compoſitis moralibus aut ſucceſſivis evenire ſolet.

Quid porro cauſſæ fuerit, cur res ſenſibus obnoxias adeo tenues ac viles, ad eam dignitatem evexerit Deus, ut gratiæ, qua pretioſius nihil excogitari poteſt, cauſſæ productivæ dicantur, ac ſint; quamquam una Dei voluntas obtendi poſſet, rationes nihiloſecius minimè contemnendas indigitant Eccleſiæ Patres. Primam innuit Auguſtinus *Epiſt.* 23. quæ eſt ad Bonifacium Epiſcopum ut nimirum externa illa ſimilitudine, quæ rebus corporeis ineſt, gratiæ conferendæ virtutem intelligamus. Sic externa lutione, in Baptiſmo fieri ſolita, originis maculam abſtergi diſcimus: Sic externa refectione Euchariſtica, animam ſpiritualiter refici perſentimus: atque ita de reliquis Sacramentis. Alteram rationem ſubminiſtrat S. Joannes Chriſoſtomus *homil.* 83. *in Matth.* ut nimirum qui Spirituali animæ & corpore coaleſcimus, ſpiritualem gratiam, per rem corporam recipiamus. Tertiam D. Bernardus adjicet *Ser.* 25. *in Cantica*, ut hominis ſuperbia domaretur; dum qui Deo, in boni malique cognitione ſimilis eſſe, diabolo ſuadente præſumpſerat, rebus maximè vilibus, ad gratiam òbtinendam; juſto judicio ſubjicitur. Ultimam inculcat ſæpe numero Doctor Angelicus, ut homo, qui lethali rerum ſenſibilium proſecutione, a Deo refuga factus erat, ſalutari earumdem rerum ſenſibilium attrectatione, rediret ad Deum.

Sunt qui quæſtione de lana caprina, movere hoc loco ſoleant, num ſcilicet Deus, abſque rebus ſenſibus obnoxiis, Sacramenta condere potuiſſet, ſi ſic fortè libuiſſet? Quæſtionem hanc ex iis eſſe putaverim, quas ſtultas ac ſine diſciplina vocat Apoſtolus 2. *ad Timot. Cap.* 2. à quibus abſtinendum monet. Quid Deus abſolutè poſſit, ſi velit, difficulter admodum diſputo, ne poteſtatem ejus metiri videar. Mihi tamen probatum eſt, illum ſine rebus ſenſilibus æquè potuiſſe Sacramenta condere, ſi ita placuiſſet Sacramentorum enim inſtitutio, ex una Dei voluntate pendet: ac quo jure res ſenſibiles & materia concretas, in hanc ſortem evexit, ut gratiam ſignificarent, atque conferrent, ita internum hominis actum puta adorationis aut fidei ea dignitate, & efficacia donare potuit, ut gratiam tamquam inſtrumentum divinæ omnipontiæ produceret. Certè Deus interno hominis actu ac motu uſus eſt ſæpius, ut inſtrumento, quo miracula & portenta patraret; quid ni & illo

illo uti poſſet, ut gratiam largiretur? Quod itaque corporea ſenſibuſque obvia inſtrumenta inſtituerit, ad gratiam largiendam, non neceſſitatis utique fuit, ſed liberæ voluntatis, ut noſtræ tenuitati ſe commodaret, quæ ſub rerum ſenſibus obviarum involucris, Spiritualia ſectatur.

Inſequentibus, graviſſimam adverſus Lutheranos & Calviniſtas controverſiam adoriemur: Num verba quibus Sacramenta perficiuntur concionalia ſint an num potius conſecratoria?

PRÆLECTIO III.

Cujus generis sint verba consecratoria, demonstratur; & Insana Protestantium commenta refelluntur.

Celeberrimæ Controversiæ caput attigimus; quod a primis Calvinianæ Sectæ temporibus, commentitiæ reformationis Architectos, cum Ecclesia Romana commisit. Quamquam enim verbis ac rebus Sacramenta constare, communis Protestantium, & Catholicorum sententia sit, cujus tamen generis verba illa sint, acriter digladiantur. Catholici Sacramenta pauculis illis verbis confici docent, quæ super materiam à Ministro proferuntur, qualia in baptismate ista sunt, *ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* in Eucharistia, *hoc est corpus meum &c.*; eaque consecratoria verba nuncupant, quod iis consecretur veluti Sacramentum. Calvinistæ longè aliter opinantut: concionem Sacramento conficiendo præmittunt, qua suscipientium fidem excitant, & Sacramenti virtutem ac divinas promissiones exponunt; illaque ipsa concione Sacramentum confici volunt. Hinc verbis concionalibus Sacramenta constare dictitant: atque ita ab ipsis Sacramentis non tam produci gratiam, quam fidem in suscipientibus excitari fabulantur: is quippe concionis fructus est. Ita Calvinus *lib.* 4. *Inst. Cap.* 14. Theodorus de Besa *in Summa doctrinæ*, *de re Sacramentaria*, Kemnitius *part.* 2. *examinis Concilii Tridentini*.

Non idem tamen apud Calvinianos in singulis Sacramentis administrandis verborum usus est. Namque in Baptismo verba concionis ita adhibent Calviniani, ut tamen consecrationis verba non omittant; quandoquidem præmissa sua illa concione, ad baptizandorum instructionem, Evangelica verba, *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* in ipsa etiam aquæ infusione, aut immersione pronunciant, tametsi baptismatis vim ex præmissa concione repetant, propterea quòd per eam duntaxat fides baptizandorum excitetur. In Eucharistia verò conficienda, nil nisi concionem adhibent Calviniani, consecrationem planè nullam: Sic enim suam illi cænam Eucharisticam celebrant; uti Parisiis fieri vidi, antequam impiæ sectæ Professores Regno Christianissimo pellerentur. Vocatis in unum gregalibus suis, & in templum suum collectis, legit illorum unus ex edito loco Historiam institutionis Sacramenti Eucharistiæ, *ex Cap.* 11. *Epist. prioris ad Corinthios*, *fra-*

fratres ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis &c., eo fermè modo, quo nos inter Missarum solemnia, lectionem ex eadem Epistola, ad fidelium institutionem, recitamus: tum qui illis Ministri loco est, Concionem habet ad populum, qua paulò fusiùs exponit, quæ strictim in lecta ad Corinthios Epistola continentur: ac demum nullo alio, supra Panem ac Vinum prolato verbo consecratorio, nullo alio ritu peracto, utrumque distribuunt discumbentibus, suamque hoc pacto Cœnam Eucharisticam edunt.

Ex quibus obiter colligere est, habere quidem Calvinianos in Secta sua verum baptisma, quippe qui præscripta verba consecratoria tingendo pronunciant, licet illis regenerandi vim non adscribant: Eucharistiam tamen veram nequaquam habere, imò nec habere posse, tametsi fui illi Ministri, consecrandi Sacramenti potestate donati essent; quales profectò sunt, quotquot in Ecclesia Romana Sacerdotio initiati, ad illos per Sacrilegam apostasiam accedunt: quia nimirum Consecrationis verba non proferunt, sed solam habent ad populum concionem; Nonnullos fortasse ab ea lege Ministros Calvinianos exciperem, qui verba Institutionis Eucharisticæ in Epistola Pauli contenta non historicè tantùm, sed intentione consecrandi proferunt: Uti Kemnitius loco paulò ante laudato, memoriæ prodidit. Hos etenim, si qui sint, re ipsa consecrare minimè dubitaverim; si aliàs sacro Caractere sint initiati; quales plerique Apostatæ sunt, qui a nobis ad illos ausugerunt.

Ut ergo recensitum Calvinianorum errorem rectè petamus, & Romanæ Ecclesiæ fidem, hoc de argumento, ponamus in tuto, Propositionem hanc vindicandam aggredimur: *Sive Concio præmittatur conficiendo Sacramento, sive non; nullo tamen pacto concione ipsa perficitur Sacramentum, sed consecrationis verbo insuper addito.*

Id evincit in primis Ecclesiæ disciplina ab Apostolis ad nos usque derivata, atque apud ipsos Calvinistas usu recepta; qua nimirum pueri, nec dum rationis usum assecuti, Sacro baptismate initiantur. Quomodo enim fieri potest, ut baptisma puero, nec dum rationis usum experto collatum, concione perficiatur, quæ nulla illi fit? Aut qua forte tenello pupulo concio fieret, qui & percipiendæ concionis, & institutionis capiendæ, prorsus est incapax?

Lutherus cui Calvini sententia primùm arrisit, eo argumento implicitus, nec satis qua effugeret, adinueniens, id demum reposuit, quod nequidem in cucurbitæ caput venturum existimassem: pueros nempe concionem percipere, eamque idcirco illis esse faciendam. Quasi verò puer, ab utero recens, unoque alterove die in lucem editus, concionem percipere possit; Tantumdem profectò

fuerit, si quis mihi persuasum velit, parietes istos, scamna hæc atque subsellia, lectionem hanc meam audire, ac etiam capere; ad populum itaque Phaleras illas.

Quare Calvinus, eo Lutheri effugio relicto, novum Responsum excogitavit, ut laqueum istum evaderet. *Lib.* 4. *Inst. Cap.* 16. Nempe reponit ille, pueros rationis usum nondum expertos, quibus fieri concio non potest, baptisma quidem verum percipere, sed tunc primum inutile: futurum verò utile, dum accedente rationis usu, concionis sibi tunc faciendæ intelligentiam assequentur.

Huic nonnihil affine paulò ante tradiderat Desiderius Erasmus; vir lubricæ fidei, qui ova fovisse dicitur, quæ demum Lutherus exclusit. Contendit enim ille, pueros ante rationis usum baptizatos, cum demum illius usum fuerint assecuti, interrogandos esse, an baptismum susceptum ratum habeant, nec ne? si respondeant, se ratum habere; pro Christianis habendos esse; si negaverint; tamquam non Christianos, ac inutiliter baptizatos, esse dimittendos. Sic illæ Calvino prælusit.

Minus quidem responsum illud Calvini experimento repugnat, nec sensibus, verum rationi rectoque judicio perinde vim facit. Et quidem Sectæ suæ principiis minus hæret Calvinus, dum reponit pueros absque præmissa concione, aut certè ea minus intellecta baptizatos, Sacramentum validum percipere, quamquam fortasis inutile.

Primò enim si Concione ipsa perficitur Sacramentum, ut ipse quidem autumat, certè ubi concio nulla fuit, aut intellecta non fuit, non modò inutile, sed prorsus nullum erit baptismatis Sacramentum: cum effectus sine caussa sua nullus omnino sit. Secundò pueros illos sine præmissa concione baptismo regeneratos, ac subinde ante rationis diluculum, ex hoc mundo fortè fortuna sublatos in regnum æternum admitunt Protestantes. Iis ergo utile fuit baptismatis Sacramentum, suosque in illis effectus obtinuit &c. Tertiò si tunc tantùm pueris utile fieret Sacramentum, dum accedente rationis usu, concionis intelligentiam assequuntur, non itaque à prima concione, quæ pueris facta non fuerat, aut si facta fuerat ab illis percepta non fuerat, vim suam baptisma repetit; sed ab altera concione, quæ illis tandem rationis diluculum assecutis fieri potuit. Nullum igitur futileque est alterum illud quæsitum à Calvino suffugium.

Quare eo relicto Calvini suffugio alterum secutis inde temporibus quæsierunt discipuli ejus. Nempe reponunt illi, pueros rationis usum nondum assecutos, nulla quidem præmissa distincta atque expressa concione baptizatos esse, attamen ea Evangelica verba, à

Mi-

Ministro baptizante prolata, *Ego te baptizo in nomine Patris, & filii, & Spiritus S.* loco concionis, & pro concione haberi; cum ea verba Mysterium SS. Trinitatis enuncient; atque ita verba hæc regenerandi vim habere, non quia simpliciter consecratoria sunt, sed quia sunt etiam concionalia, in quantum fidem Trinitatis enunciant, & explicant.

Argutè profectò subtiliterque responsum. At contra repono ego. Esto paucula illa verba, quæ a Ministro baptizante proferuntur, concionalia absolutè censeri possint; propterea quòd Mysterium Trinitatis enuncient, non sunt tamen ipsimet baptizato puero concionalia; Cum nec ab eo intelligantur, nec fidem pueri valeant excitare.

Illud ergo, velint nolint, fateantur oportet Calvinistæ, baptismum pueris ministratum, concionali verbo non perfici, sed consecratorio duntaxat; seu verbo non perfici, ut fidem suscipientisexcitante, (quod concionis est proprium) sed verbo materiam seu aquam veluti consecrante, & regenerandi vim tribuente.

Eandem à nobis statutam propositionem (nempe quod Sacramentum fit) magis magisque confirmat, servata apud ipsos Lutheranos, & Calvinistas altera disciplina. Ii siquidem baptisma in Ecclesiæ Romanæ communione collatum, ratum agnoscunt, ac planè validum. Nostros enim ad ipsorum sectam convocantes apostatas, novo baptismate minimè tingunt, sed sola reconciliatione in gregem suum admittunt; cum tamen compertum illis sit, eos solo consecrationis verbo, nullaque præmissa concione, in Ecclesia Romana lustratos esse. Aut ergo valet collatum sine concione baptismum, atque ita concionis verbo non constat; aut certè si non valet, transfugas illos sine vero baptismo manere sinunt. Quod ingens scelus illis esset.

Præterire hoc loco nefas arbitror antiqua Romanorum Pontificum, & Sacrorum Conciliorum statuta, de baptismo Hæreticorum. Statuta, inquam, Stephani primi, Siricii, Innocentii primi, Leonis magni, Anastasii II. Concilii Nicæni I. & Arelatensis; a quibus Sancitum est, quorumcumque Hæreticorum baptisma, ratum esse, modò cum S Trinitatis invocatione conferatur. Quæquidem statuta ab ipsis quoque Lutheranis, & Calvinistis accipiuntur; Sunt enim ea ætate temporum edita, cum Romanam Ecclesiam nondum fuisse in Apostasiam prolapsam, ultrò fatentur. Baptisma igitur Trinitatis invocatione perfici supponebant tot illi Romani Pontifices atque Concilia: Hæc porro invocatio consecrationis verbis expressa est. Et verò, cum ea ætate temporum qua decreta illa sunt edita de Trinitatis Mysterio Hæretici plerique

que malè ſentirent, Ariani, Paulianiſtæ, Petrobuſiani, Sabelliani, Eunomiani, Macedoniani, nullum illorum baptiſma fuiſſet, ſi concionis verbo, tamquam eſſentiæ ſuæ parte conſtitiſſet, cum illorum de Trinitate concio fidem excitare non poſſet, ſed perfidiam potius mentibus inſerere erroreſque quibus ipſimet laborabant, audientibus inſtillaret.

Hoc idem Calvinianorum commentum prorſus evertunt ſacræ litteræ, ad quas geſtiunt Lutherani & Calviniſtæ. Chriſtum enim Euchariſtiæ Sacramentum confeciſſe, ſuiſque diſtribuiſſe diſcipulis, ex Evangelio certò liquet, neque id Calviniani diffitentur. Is verò nullam, ut hoc Sacramentum conficeret, concionem habuit, qua virtutem illius exponeret; ſolaque conſecrationis verba protulit ab Evangelii Scriptoribus recenſita. Sermonem quidem prolixum ad diſcipulos habuit, a Joanne Evangeliſta deſcriptum *Cap.* 15. at peracta jam Cœna, ipſoque Euchariſtiæ Sacramento diſcipulis diſtributo, ut planè fatuum eſſet, conficiendæ Euchariſtiæ vim, Concioni illi adſcribere velle. Quid etiam Chriſti diſcipulos appellem, a quibus adminiſtrandorum Sacramentorum exemplum petere opus eſt? Ii quidem concionem baptiſmati præmittebant, ut adultis initiandis, Chriſti fidem, & religionem exponerent: quod & nos in Eccleſia Romana factitamus, quoties adultos homines tingimus: quin etiam nullos ratione utentes baptizari poſſe cenſemus, niſi Trinitatis atque Incarnationis fide imbuti ſint. Verùm præmiſſam illam ab Apoſtolis concionem internam, ut ita dixerim, Sacramenti partem non fuiſſe, aqua uti forma vim regenerandi tribuente, tria apertè demonſtrant. Primò; Quia baptiſma quidpiam ab ipſa concione planè diſtinctum, atque diverſum eſſe teſtantur ſacræ Litteræ: quod minus rectè diceretur, ſi concione tanquam ſui parte baptiſma conſtaret. Sic *Actor.* 8. poſtquam Philippi concio, qua Eunuchum Reginæ Candacis fide informavit, recenſita eſt, tum ſubinde additur, *venerunt ad quamdam aquam, & dixit Eunuchus, ecce aqua, quid prohibet me baptizare?* Ubi cernitis, baptiſma, uti quid a præmiſſa concione diverſum recenſeri. Secundò; quia plerumque, tempore Apoſtolorum, concio ab uno præmittebatur, & baptiſma ab altero conferebatur, quod minus rectè fieret, ſi concio baptiſmi pars eſſet. Sic *Actor.* 10. Petrus Cornelium ejuſque domum habita concione, fide imbuit, tum illum totamque familiam a miniſtris baptizari juſſit. Tertiò; Quia temporibus Apoſtolicis diverſum erat munus concionatoris a munere baptizantis, juxta illud 1. *Cor.* 1. *Non miſit me Dominus baptizare, ſed evangelizare.* Quod minus veritate niteretur ſi concio baptiſmi pars eſſet, ejuſque veluti forma, a qua regenerandi virtutem haberet.

Nunc

Nunc verò si Patrum suffragia in probationem vocare lubeat & in erroris Calviniani confutationem, Elenchum & indicem conficiam. Horum quippe una vox est, baptisma, Trinitatis invocatione perfici, illiusque nomine consecrari: maximè verò Justini Martyris *in Apologia* 1. *ad Antoninum Imperatorem* S. Basilii *lib.* 1. *de Spiritu S. cap.* 15. S. Cyrilli Alexandrini *Catech.* 3. S. Athanasii *Serm.* 3. *contra Arianos*. S. Gregorii Nisseni *lib. de baptismo*, S. Ambrosii *lib.* 2. *de Sacramentis cap.* 5. Nuspiam verò concionis tamquar partis baptismatis mentionem habent. Ii porro, ut cernitis, septimum Ecclesiæ sæculum præcessere, quo necdum tempore, errores in Ecclesiam inductos, Lutherani & Calvinistæ, ultro citroque fatentur.

Cæterum quia D. Augustini suffragio petulantiùs Calvinus abutitur, ut illum in erroris sui præsidium pertrahat; SS. Doctoris verba dabo *lib.* 3. *de Baptismo contra Donatistas cap.* 14. Ubi errori Calviniano jugulum petit. Enim verò de Catechumeno sermonem habens, qui in alicujus hæretici concionem incidens, & errorem a veritate secernere nesciens, quidpiam adversus Catholicam fidem imbiberit animo, & in ea fidei falsitate baptizatus fuerit, eum denuo baptizandum esse negat SS. Doctor, *quia*, inquit ille, *illa Sanctitas Sacramenti verbis evangelicis consecrata super eum integra permanebat, sicut eam traditam acceperat, quamvis ipse in carnalis mentis vanitate constitutus, aliud cum baptizaretur crederet, quam credere debuisset. Quapropter manifestum est fieri posse, ut fide non integra, integrum in quoquam maneat baptismi Sacramentum*. Quod latiùs prosequitur SS. Doctor *cap.* 15. *libri ejusdem*, & *cap.* 25. *libri 6.* Atque hinc quidem duo colligimus, quæ Calvinistarum Hypothesim planè suffodiant. I. Baptismum verbis Evangelicis consecrari, judice Augustino: non itaque concionis verbo perficitur. Alterum, Baptismi Sacramentum stare integrum, tametsi qui suscipit falsa concione decipiatur, & errore aliquo inficiatur, eo ipso momento, quo tingitur: ut hinc videas, non perfici Sacramentum, ea ipsa præmissa concione, qua fides suscipientis excitatur & informatur: sic enim ubi falsa, & erronea concio est, nullum profectò Sacramentum esset.

In disertatione sequenti, adversæ partis momenta, Deo favente, diluemus.

PRÆ-

PRÆLECTIO IV.

Calvinianorum momenta tum ex sacris Litteris, tum ex PP. delibata convelluntur.

CAlviniano errore superiori lectione profligato, postulat officii ratio, ut quæ in ejus præsidium obtrudunt nefariæ sectæ principes, ad crisim vocemus, ne qua parte, tuendi erroris ansa suppetat. De verbis, si benè meministis, quibus Sacramenta conficiuntur, nobis sermo erat. Videlicet cum Sacramenta pauculis illis verbis confici doceat Ecclesia Catholica, quæ super materiam a Ministro proferuntur, qualia ista sunt in baptismate, *Ego te Baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* Ecclesia falsi nominis reformata concionem Sacramento præmittendam contendit, ad suscipientium fidem excitandam, illaque ipsa concione fidem in suscipientibus excitante, Sacramentum perfici putat. Quàm id falsum, quàm absurdum sit; satis opinor superiori prælectione demonstravimus. Jam quid illi, in sui præsidium proferant, perpendendum.

Duo maximè ex sacris Litteris, ad institutum suum detorquent, queis suum errorem communiri putant; primùm quidem ex ultimo Matthæi Capite desumunt, ubi Christus Discipulos fidei Satores, per universum orbem mittens, *docete*, inquit, *omnes gentes baptizantes eos, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*. Undè colligendum existimant concionem seu Doctrinæ explicationem baptismo præmiti oportere, a qua, uti forma, vim suam omnem atque virtutem Sacramentum obtineat. Alterum ex Apostolo *ad Ephes.* 5. delibant, ubi de Ecclesia a Christo redempta sermonem habens, *mundans eam*, inquit, *lavacro aquæ*, *in verbo vitæ*: hoc est, ut ipsi quidem interprætantur *in verbo fidei*, quasi fidei explicatio, quæ præmissa concione fit, & a baptizato concipitur, vim omnem regenerandi baptismati tribuat.

Verùm procul a vero abeunt præposteri Scripturarum Interpræetes Protestantes. Equidem baptismo præmittendam esse concionem, seu doctrinæ Christianæ explicationem, quoties confertur adultis, evincunt Christi D. verba, *docete baptizantes* quod & nos in Ecclesia Romana factitamus: verùm hanc ipsam concionem adultis præmitti solitam baptismatis formam esse, qua tamquam essentiæ suæ parte constet, & qua regenerandi vim baptismus obtineat, hoc verò negamus. Aliàs, & debita forma careret, & nullum prorsus esset

esset baptisma pueris administratum, quibus nulla concio præmittitur, uti superiori prælectione probamus. Quin potius ipsa Christi D. loquendi ratio concionem a baptismo secernit, *Docete omnes gentes baptizantes eos*; quod certè præposterè notaretur, si doctrina præmitti solita, baptismi pars esset ac forma, regenerandi vim habens, hinc D. Hieronymus Christi verborum dignus interpres, *ordo præcipuus*, inquit, *jussit Apostolis, ut primùm docerent omnes gentes, deinde fidei intingerent Sacramento*. Quo verbo baptisma ab ipsa concione seu Doctrina diversum esse significat.

Neque verò melioribus Avibus alterum Apostoli dictum interpætantur Protestantes: *Mundans eam*, nempe Ecclesiam, *lavacro aquæ in verbo vitæ*. Esto enim de baptismatis lavacro locutum Apostolum fateremur, eccur quæso Verbum vitæ, in quo Ecclesiam mundatam inquit Apostolus, invocationem SS. Trinitatis, consecrationis verbo contentam, non liceat intelligere! Cum ita Patres Ecclesiæ passim intelligant, maximè verò Chrysostomus, Theodoretus, Theophilactus, Anselmus. Sed & id planè diffiteor, Apostolum de baptismatis lavacro eo loci locutum esse; Cum potius tropologica phrasi usus de quacumque spirituali lotione, purgatione, mundatione loquatur, quæ per verbum vitæ, seu per Evangelii prædicationem, in Ecclesia facta est. Sic sanè locum illum Apostoli interpætatur Hieronymus, ut nihil inde præsidii repetere possint Protestantes ad suum errorem communiendum.

Calvinistarum causam non mediocriter juvare videtur, quod legitur *Marci* 14. occasione institutionis Sacramenti Eucharistiæ. *Accepto Calice gratias agens dedit eis: & biberunt ex illo omnes: & ait illis, hic est Sanguis meus novi Testamenti, qui pro vobis effundetur:* quibus verbis ex rerum serie, & ordine rectè pensatis, apertè colligi videtur prius ex Calice utique consecrato bibisse Discipulos, quàm ea verba, *hic est Sanguis meus*, proferrentur a Christo: atque ita iis ipsis verbis, non fuisse Calicem consecratum, confectumque Sacramentum, sed aliqua præcedente concione. Quod usque adeo certum esse videtur, ut ob eam ipsam Marci narrationem, Theologi Romanæ Comunionis non ignobiles, hac ipsa ætate nostra propugnarint, Christum sacris illis verbis *hic est Sanguis meus* Calicem minimè consecrasse, sed potius præmissa benedictione: qua de caussa Evangelistæ tres Christum Calicem *benedixisse* retulerunt: ipseque Paulus Apostolus 1. *Cor.* 10. Calicem Eucharisticum, *Calicem benedictionis* appellat, quòd benedictione consecretur: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne conmunicatio Sanguinis Christi est?*

Mirari mihi subit, Calvinistas tantas in ea quorumdam Theo-

logorum sententia delicias facere, quæ illorum ipsorum errorem perinde refellit. Ii quippe Theologi, qui ea Marci narratione delusi, Christum iis verbis, *hic est Calix Sanguinis mei*, Calicem consecrasse nolunt, sed potius benedictione antea facta; hanc ipsam benedictionem consecratoria quædam verba fuisse volunt, minimè verò concionalia. Ex quo proinde consequens est, perfectum fuisse Eucharistiæ Sacramentum, verbis aliis, consecratoriis tamen, non itidem concionalibus. Ecquid enim aliud erat, rogo vos, illa Benedictio a Christo D. facta, nisi pia ad Deum Patrem præcatio qua illius omnipotentiam imploravit, & advocavit, ut ingens illud patraret miraculum, quo panem in Corpus suum, & vinum in sanguinem verteret: uti præcari solitus erat, dum erat ingentia miracula patraturus? Ea verò præcatio, quibus fiebat verbis, nisi consecratoriis, qualiacumque illa essent, minimè verò concionalibus?

Sed & ea missa Theologorum illorum sententia (de qua judicium ferre, non est instituti hujus & otii) non est cur Marci jactata narratione moveamur, ut Christum dicamus, antea Calicem consecrasse, quàm sacra illa verba proferret, *hic est Calix Sanguinis mei*. Etsi enim consecrati calicis traditionem, & potationem, antea narret Marcus, quàm verborum illorum, *hic est Calix*, prolationem; non sequitur fuisse antea traditum potumque Calicem, quàm verba a Christo D. proferrentur: quia rem totam in ultima Cœna gestam, non ex recta serie, & ordine narrat Marcus: sed Calicis potationem per parenthesim narrat & anticipatò. Undè Matthæus Evangelistarum primus rem totam in ultima Cœna peractam enarrans ex ordine temporis *Cap. 26.* Consecrationis verba uti prius a Christo pronunciata repræsentat, quam Calicem bibendum discipulis traderet. Nihil ergo ex descripta ultimæ Cœnæ historia, in gratiam Protestantium extundi potest, quantum ad præsentem attinet controversiam.

A Scripturis ad Augustinum provocant Calvinistæ, quo duce triumphum sibi fidentiùs accinunt. Hæc illius verba superbè efferunt; *Ex Tract.* 80. *in Joannem* delibata de baptismate; *Undè ista tanta virtus aquæ, ut Corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo: non quia dicitur, sed quia creditur? Nam & in ipso verbo, aliud est sonus transiens, aliud virtus manens. Hoc est verbum fidei quod prædicamus...... Undè actibus Apostolorum legitur fide mundans corda horum. Et Petrus Apostolus Epist.* 1. *cap.* 3. *Sic & vos baptisma salvos fecit, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio: Hoc est verbum fidei quod prædicamus*. Quo loco D. Augustinum vim baptismatis tribuisse verbo concionis, non verbo consecrationis ex triplici capite, inde col-

colligunt Lutherani. Primò: Quia virtutem abluendi cor, verbo tribuit, *non quia dicitur, sed quia creditur:* quod concionis verbo, fidem in suscipientibus excitanti, peculiare est; Verbum enim consecratorium, vim aquæ tribuere dicitur a Catholicis, non quia creditur, sed quia dicitur. Secundò: Quia ea scripturæ loca, quæ congerit Augustinus, ut verbi baptismalis vim demonstret, de verbo prædicationis, & fidei, sine controversia intelliguntur: *Hoc est verbum fidei, quod prædicamus ...... fide purificans corda ipsorum*. Tertiò: Quia cum sub hujusce tractatus finem dixisset Augustinus, Infantem aqua mundari per verbum, continuò quodnam id verbum sit, expositurus subjungit: *hoc totum fit per verbum, de quo Dominus ait, jam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis*. Quod certè concionis, non consecrationis verbum erat. En Calvinistarum, & Lutheranorum Achilem.

Vix dici queat quantum locus ille Augustini, Theologos nostros polemicos malè torqueat. Sunt qui dicant, Augustinum non de collatione, sed de institutione baptismatis disputare: atque ita nec de verbo consecrationis sermonem habere, sed de verbo institutionis, quo videlicet Christus baptismatis Sacramentum instituit, & regenerandi virtutem tribuit elemento. Verùm ruere prorsus interpretamentum illud, duo probant. Primò: Quia Christus nullo prolato verbo baptismi Sacramentum instituit: Nullum igitur institutionis verbum fingi potest. Theologorum enim communior sententia est, Christum baptismatis Sacramentum instituisse, dum in Jordane a Joanne tinctus est: ac tunc quidem regenerandi vim aquis lustralibus indidisse, mundissimæ suæ carnis attactu, nullo planè quod sciamus, prolato verbo. Secundò: Quia longè minus, de verbo institutionis, si quod fuisset, dici potest, quod elemento vim tribuerit, *non quia dicitur, sed quia creditur*. Ideo enim elemento vim tribuisset verbum illud, si quod fuisset, quia a Christo D. dictum esset, qui solus ex elementis Sacramenta condere potuit: nihil verò referret, ad efficaciam verbi hujus, si credatur a nobis, nec ne. Quamquam enim nemo mortalium Christi verbo præstaret fidem, eadem nihilominus efficacia polleret ille, ad instituenda Sacramenta.

Quare, eo misso responso, dicendum, de verbo consecrationis intelligendum esse Augustinum, loco a Calvinistis objecto. Dum igitur inquit SS. Doctor, operari verbum hoc in baptismo, *non quia dicitur, sed quia creditur*, hoc unum sibi vult, verbum Sacramentale operandi vim obtinere, non ab exteriori sono vocis, quo auris obtunditur, sed ab ipso spirituali sensu, quo fides nutritur; non quasi necesse sit, verbum hoc actu credi, ut sortiatur effectum; sed quia Catholicæ fidei objectum est: quasi diceret Au-

 gusti-

gustinus verba hæc , *Ego te baptizo in nomine Patris , & Filii , & Spiritus S.* sanctificandi vim non habent, quia aurem feriunt, sed quia maximum fidei nostræ Mysterium complectuntur , cujus virtute sanctificatur elementum . Undè & subdit ibidem *in ipso verbo aliud est sonus transiens*, *aliud virtus manens:* seu, ut Theologi de Schola loquuntur , operatur verbum in Sacramento , *quia creditur* in actu signato , hoc est credi debet , ut objectum fidei nostræ, non quia creditur in actu exercito.

Atque re ipsa sic est , in Hypothesi Catholicorum : quamquam enim regenerandi vim tribuimus pauculis illis verbis , quæ baptismatis forma sunt, non præmissis quibusvis concionibus fidem suscipientium excitantibus; non ita tamen stipites sumus, ut credamus, eam illis regenerandi vim inesse, ratione soni seu prolationis sensibilis, qua aures obtunduntur, sed ratione sensus spiritualis, propter quem significandum verba sunt instituta , quique fidei nostræ objectum est : Etsi fortè nec a Ministro, nec a suscipiente , re ipsa credatur.

Quæ porro ab Augustino subjiciuntur Scripturæ loca, *hoc est verbum fidei* , *quod prædicamus . . . . . . fide purificans corda eorum* , de verbo quidem concionis intelliguntur, cui etiam suo modo mundandi vim Augustinus adscribit: verùm non ad baptismum, de quo paulò antea loquebatur, referuntur , sed ad generale Tractatus illius institutum . Augustinus enim (quod observare operæ pretium est) interpætatur eo loci dictum illud Christi D. *Joann.* 15. *Jam vos mundi estis propter sermonem* , *quem locutus sum vobis* : probandumque sibi sumit, omnia quæ spiritualiter mundantur , verbo mundari, vel extra Sacramentum per fidem prædicationis, vel etiam in Sacramentis per verborum Sacramentalium, quæ loco formæ adhibentur, efficaciam. Quare multa promiscuè congerit , ad alterutram instituti partem attinentia, quæ ad unicam Calvinistæ & Lutherani promiscuè referunt, ut ipsam quoque justificationem , quæ Sacramento præstatur, verbo concionis, & prædicationis adscribant. Quapropter dum sub tractatus finem inquit, *totum hoc fit per verbum de quo Dominus ait* , *jam vos mundi estis propter verbum* , *quod locutus sum vobis ;* non ad solam baptismatis mundationem, sed ad generale totius tractatus institutum, sermonem dirigit, quasi diceret, *Vos mundi estis propter Sermonem meum*, *sive quem me concionante audistis* , *& credidistis* , *sive quo in baptismate sanctificati estis.*

Cæterum , D. Augustinum de verbo concionis fidem excitante intelligi nullatenus posse , dum ait , virtutem aquæ baptismalis a verbo repeti, *non quia dicitur* , *sed quia creditur:* imò certò existimasse SS. Doctorem necesse non esse , ut verbum, quod baptismati

mati regenerandi vim tribuit, aut a conferente, aut a suscipiente credatur, ut sit validum Sacramentum, duo sunt quæ palam apertèque convincant. Primò; quod ad conferentem attinet, non ignoravit Augustinus celeberrimam illam Controversiam de baptismo Hæreticorum, tertio Ecclesiæ Sæculo agitatam, ac postmodum in Conciliis Nicæno, & Arelatensi definitam; baptisma scilicet ab hæretico ministro collatum perinde validum esse. Secundò: quod attinet ad suscipientem, non ignoravit idem SS. Doctor, non esse necessarium, ut ille rectam fidem habeat, qui baptizatur, quo validum sit baptismatis Sacramentum: imò non esse id necessarium disertissimè docet *lib.* 3. *de Bapt. Cap.* 14.; cujus verba disertissima superiori lectione recitavi.

Si cui nostra hæc Augustini interpretatio non placet, aut certè nimis implexa, & obscura videtur, dabimus aliam longè admodum faciliorem: Videlicet, Augustinum de baptismo non generatim & universè loqui, sed de baptismo adultis collato disputare, & quidem quantum ad vim justificandi: atque idcircò mundandi vim baptisma ei verbo tribuere, ***non quia dicitur, sed quia creditur;*** quia ut mundetur, & justificetur adultus satis profectò non est, si consecrationis, & invocationis verba nudè & simpliciter a Ministro proferantur, nisi etiam a suscipiente credantur; prima enim in adultis ad baptismum dispositio fides est, & quidem explicita Mysterii SS. Trinitatis. Atque ita procul hinc suum illud concionale verbum, à Calvinianis excogitatum, ex quo Sacramentum vim, & robur universim accipiat tam in parvulis, quam in adultis.

Extremo nos telo petunt Brentius, Kemnitius, aliique ex Hæterodoxorum grege confidentiores: quoddam videlicet magicæ incantationis genus esse, dicunt, certa verba secretò demurmurare super aquam aut panem, aliudue hujusmodi mutum Elementum; atque ex iis verbis nudè prolatis vim omnem justificandi, & consecrandi repetere.

At & id putidissima calumnia est. Duo quippe sunt, quæ magicis incantationibus inesse solent. Primum, quod putent nonnulli incantatores, certis verbis atque figuris nativam vim inditam esse, qua admirandos effectus edant: atque hac parte potissimum locum habet superstitio. Alterum, quod alii sibi fingant, figuris ac verbis vim accedere ex pacto cum Dæmonibus inito; quo capite magica incantatio sita est. Porro Catholicorum nemo est, qui verbis illis pauculis, in Sacramentorum administratione proferri solitis, nativam vim a se ipsis inesse dicat; multò minus, qui ex inito cum dæmonibus pacto vim illis adscribat: cum id totum, quantum quantum est, ex Christi institutione repetamus.

Qua-

Quare ingentis Calumniæ rei sunt Calvinus *lib.* 4. *Epist. Cap.* 14. & Kemnitius in *examine Concilii Tridentini*, *parte* 2. dum Romanæ Communionis Professoribus imponunt, quasi qui solo verborum strepitu, sine sensu, Sacramenta perfici velint. Nusquam id nobis venit in mentem; sed in sensu ac significatione vim ponimus; eamque ex Christi institutione derivamus. Neque verò id exemplo vacat, etiam in veteri Testamento, ut Deus certa verba signave selegerit, quibus secretiorem virtutem indiderit, admirandos effectus producendi. Sic *Numer.* 5. in lege Zelotipiæ, certa verba designavit Deus, super aquas amaras proferenda, quibus mulieres adulteras interficiendi vim indidit, si ab illis biberentur, non itidem continentes, atque pudicas. Sic *Numer.* 21. Serpentem Æneum in signum erigi jussit, quem qui aspicerent, à serpentum morsibus salvarentur. Quid itaque vetat Christum Deum, absque magicæ incantationis umbra certis verbis vim inserere potuisse, ut admirandos Sacramentorum effectus ederent, non vi soni, aut numeri Sylabarum, quod illi stolidè calumniantur, sed sensu, divinæque Omnipotentiæ ac Misericordiæ invocatione?

PRÆ-

PRÆLECTIO V.

Num res & verba in Sacramentorum administratione usurpanda, ita sint à Christo determinata, ut nihil illis addere, nihil minuere ac mutare liceat?

DE verbis rebusque à Christo D. præfinitis, quibus Sacramenta confici debeant hodierna luce disputaturus; Lutheri ejusque Sectatorum petulantiam satis pro merito demirari non possum, qua Christi D. præscripta pro arbitrio immutari posse fabulantur. Lutheri doctrina est, *lib. de Captiv. babil. de bapt.* verba à Christo D. præfinita ad Sacramentorum celebrationem, salvo & integro Sacramento, mutari posse a Ministis ea conferentibus.

Equidem Lutherum tam audacis commenti pœnituit post annos aliquot; illudque palam apertèque ejuravit anno 1535. in Homilia de Baptismo, sub idem tempus elucubrata. Verùm hanc Magistri sui palinodiam, uti imprudenter ac temerè decantatam improbarunt, Joannes Brentius *in Catechismo*, & Zuinglius *lib. de vera, & falsa religione*; erroremque a Luthero ejuratum, novis conatibus instaurarunt.

Et certè si prima Lutheranæ Sectæ principia spectemus, iis profectò congenita est purior illa Lutheri sententia; nec nisi à viro sui immemore revocari potuit, nisi posita quoque principia revocaret. Cum enim Sacramenta ideo potissimùm instituta dicant Lutherani, ut fides suscipientium excitetur ac foveatur, non ut gratia conferatur; nihil profectò interesse videtur, quibus rebus ac verbis administrentur, modò iis excitari fides ex æquo possit in suscipientibus.

Utcumque tamen ea propugnati primùm erroris palinodia, a Luthero decantata sit, seu stultè, seu prudenter, de quo parum solliciti sumus; adversis omnino vestigiis incedit Ecclesia Catholica, quæ res ac verba, quibus novæ legis Sacramenta perficiuntur, ita a Christo determinata fuisse docet, ut a mortalium nemine possint immutari salvo & integro Sacramento.

Et certè, si quæ in lege veteri Sacramenta circumferebantur, ita quoad ritus, & Cæremonias præfinita à Deo erant, ut quidpiam illis addere vel detrahere nefas esset; quanto magis quæ in nova lege sunt instituta, cum ista illis longè sint perfectiora, atque ad nobiliores effectus edendos, ab Authore destinata? Rursus cum gratiæ producendæ instrumenta sint, novæ Legis Sacramenta, illius

illius duntaxat eſt, res ac verba, quibus utendum eſt, definire, atque præfigere, cujus eſt gratiam elargiri. Id verò ita Chriſti D. proprium eſt, ut Blaſphemiæ genus ſit, ea virtute atque authoritate quemquam hominum donare velle. Nemo itaque poteſt ea pro arbitrio immutare, niſi irritato, caſſo, & annullato Sacramento. Legi ea de re poſſunt, S. Irenæus *lib.* 1. *de Baptiſmo*, S. Cyprianus *Epiſt. ad Jubajanum* S. Athanaſius *Serm.* 3. *contra Arianos*, D. Auguſtinus, *lib.* 3. *de bapt. contra Donatiſtas Cap.* 25., & Concilium Arelatenſe I. *Can.* 8. ubi rerum verborumque in Sacramentis adminiſtrandis adhibendorum immutabilitatem agnoſcunt.

Quæ cum ita ſint, tamquam ſurda ac etiam erronea rejicienda venit, quorumdam Canoniſtarum, Felini, ſcilicet Decii, Rebuffi Sententia, qui R. Pontificem, nulla adhibita materia vel forma Sacramentali, a Chriſto D. præfinita, Sacerdotem inaugurare, & ordinare poſſe fabulantur, dicendo duntaxat, *Eſto Sacerdos in Eccleſia Dei*.

Ecquo verò pacto fieret tunc à R. Pontifice hujuſmodi ordinatio, dicendo duntaxat *Eſto Sacerdos in Eccleſia Dei?* Vel enim id fieret, quia Pontifex produceret in homine illo effectum Sacramenti, ſine Sacramento; hoc eſt Characterem Sacerdotalem imprimeret, ſine Sacerdotali ordinatione? vel quia verba hæc *Eſto Sacerdos in Eccleſia Dei* eveheret ad dignitatem Sacramenti? At utrumque excedit R. Pontificis poteſtatem.

Nec advertunt projecti illi R. Pontificiæ poteſtatis adulatores, ſi id R. Pontifici tribuatur; idem quoque fore tribuendum cuicumque Epiſcopo. Ratio in promptu eſt. Inauguratio enim ſeu ordinatio Sacerdotis competit Epiſcopo, non ratione poteſtatis juriſdictionis, ſed ratione poteſtatis Ordinis. Porro eadem eſt cujuſvis Epiſcopi poteſtas ordinis, ac Romani Pontificis. Id ergo certum indubitatumque, non poſſe ſummum Pontificem, Sacerdotem aliquem inaugurare, non adhibito Ordinis Sacramento, ſeu non adhibita materia, & forma à Chriſto D. præfinita ad Sacramentum Ordinis conficiendum.

Jam verò ne quis præpoſterè accipiat certam illam atque conſtantem Eccleſiæ doctrinam, de verborum à Chriſto D. præfinitorum mutatione a nemine facienda; exponere neceſſe eſt, quænam mutatio verborum Sacramentum irritum faciat, quænam non faciat. Quamquam enim quæcumque verborum mutatio ſacrilega ſit, & illicita, non omnis tamen irritat Sacramentum.

Quod ut ego ſtudioſæ juventuti accuratiùs exponam, illud ſtatim principii loco pono: Dum verborum à Chriſto definitorum mutatio accidentalis duntaxat eſt, & formæ præſcriptæ ſenſum non inte-

interimit (quamquam sit illa semper illicita) nequaquam tamen irritat Sacramentum. Ubi verò essentialis mutatio est, & formæ sensum, interimit, Sacramentum irritum facit. Verùm quia illud ipsum dijudicare difficillimum est, quandonam essentialis illa mutatio sit, aut solùm accidentaria; quandonam formæ sensum immutet, aut non immutet; Idcirco varios casus, illosque illustriores ob oculis ponam, ex quorum enodatione ac solutione, certum ea de re judicium haberi possit. Primus igitur casus hic esto; Si mutatio seu depravatio corruptioque verborum Sacramentalium, & ignorantia duntaxat Idiomatis contingat, fiatque bono animo, ac minimè malo, fraudisque nescia simplicitate; accidentalis mutatio censenda est, quæ formæ sensum idcircò non interimit; atque ita non irritat Sacramentum. Sententiam ea in specie tulit Zacharias R. P. à Bonifacio Episcopo Moguntino consultus, occasione ignari, rusticique Præsbyteri, qui puerum baptizaverat, *in Nomine patria & filia, & Spirita Santa.*

Extat Zachariæ Rescriptum apud Gratianum *Cap. Retulerunt, de Consecratione dist.* 4. his verbis: *Retulerunt nuncii tui, quod fuerit in Provincia tua Sacerdos, qui latinam linguam penitus ignorabat, & dum baptizaret nesciens latini eloquii, infringens linguam diceret. Ego te baptizo in nomine patria ac filia, & Spirita Santa: ac per hoc tua fraternitas consideravit eos rebaptizare; sed Sanctissime frater, si ille qui sic baptizavit, non errorem introducens, aut hæresim, sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis, infringendo linguam, ut supra diximus, baptizans ita dixisset, non possumus consentire, ut denuo baptizentur.* Sensit itaque Zacharias R. P. validum esse hujusmodi baptisma, ea verborum corruptela collatum.

Neque obest si dicas, verba hæc ita corruptè prolata, *Ego te baptizo in nomine Patria & Filia & Spirita S.* nihil omnino significare. Quamquam enim virtute communis impositionis, nihil omnino significent, accipiuntur tamen ut significantia, ex accomodatione & intentione proferentis. Et ideo licet sonus sensibilis verborum immutetur, remanet tamen idem sensus, ex intentione pronunciantis. Idem enim significare voluit ignarus ille Sacerdos quod alii periti, dum ajunt: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus S. &c.* Quemadmodum & balbus Sacerdos, qui ex linguæ crassitie, litteram liquidam R. pronunciare non potest, idem omnino sibi vult, dum ait in Consecratione Eucharistica, *hoc est Corpus meum*, ac ego dum dico *hoc est corpus meum:* tametsi *Corpus* nullius significationis vocabulum sit.

Secundò. Alter Casus hic esto ex sese aliquantulum difficilior: Si mutatio verborum hæresim præseferrat, quandoque formam

mam essentialiter mutat, quandoque accidentaliter tantùm; quandoque formæ sensum variat, quandoque non variat. Quod utique cautè & accuratè est distinguendum. Nempe si hæresis verbis Sacramentalibus addita atque inserta, illa ipsa verba Sacramentalia verè, ac propriè afficiat, & ad illa verè ac propriè referatur. Illorum tunc sensum essentialiter mutat, inficit atque corrumpit; atque ita immutatio hujusmodi irritat Sacramentum.

Qua ratione Concilium Nicænum I. nullum irritumque pronunciavit Baptisma Paulianistarum, baptizantium. *In nomine Patris majoris, & filii minoris, & Spiritus Sancti:* Quia error ille Sacramentalibus verbis insertus additusque, quo Pater dicitur major, Filius minor, baptismatis formam afficit, illiusque significatum omnino destruit: quia Pater in divinis desinit esse Pater, si major est Filio. Filius desinit esse Filius, si minor est patre. Verùm si error verbis Sacramentalibus insertus, illa ipsa verba propriè non afficiat, sed eis veluti ab extrinseco adjungatur, illiusque significatum minimè destruat, formam essentialiter non immutat, atque idcirco non irritat Sacramentum. Qua de caussa nonnullorum Ubiquetariorum Eucharistica Consecratio his verbis facta, *hoc est Corpus meum, quod est ubique locorum*, tametsi impia, atque sacrilega, valida tamen à Pio V. judicata est: quia error ille quo Christi corpus ubique dicitur esse, impertinens omnino est formæ Sacramenti Eucharistiæ, eidemque ab extrinseco, & ex accidente duntaxat adjungitur; illiusque significatum minimè destruit. Cum Christi Corpus perinde Eucharisticum Corpus esset, etiamsi ubique locorum esset. Eadem quoque ratione ante annos circiter 40. sub Alexandro VIII. Romæ dum essem a sacris fidei Quæsitoribus, validum pronunciatum est baptisma viri cujuspiam Calviniani ad Catholicam fidem conversi, qui in sua quondam secta, a stulto Ministro, ita fuerat baptizatus: *Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. auctoritate mihi a Calvino concessa;* validum, inquam, pronunciatum est baptisma illud, quia tametsi erronea esset atque persatua additio illa verbis Sacramentalibus facta; exotica tamen erat, impertinens, verborumque Sacramentalium sensum minimè destruebat.

Tertius casus hic esto. Si Sacramentalibus verbis superstitiosa quædam additio fiat, seu superstitiosa Clausula, seu formula adjungatur; quandoque quidem irritat Sacramentum, quandoque non irritat. Nempe si superstitiosa formula seu Clausula, Sacramentalium verborum sensum interimit, irritat Sacramentum, si secus, non irritat. Utriusque Clausulæ superstitiosæ exemplum, sub Urbano VIII. videre fuit. Prioris quidem in ignaro quodam, & super-

perſtitioſo Parocho Mediolanenſi; qui pro ſua in B. Virginem imprudenti & inconſulta pietate, baptizare ſolitus erat, *in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. & B. Mariæ Virginis*. Quæ idcirco baptiſmata ab eo collata, nulla atque irrita ſunt judicata, ac propterea iteranda: quia germanus facti additamenti ſenſus erat, baptiſma vim ſuam perinde repetere & invocatione Deiparæ Virginis, ac ex invocatione SS. Trinitatis: quod vera religio non patitur. De quocumque etenim Sancto, ac de ipſa quoque Deipara Virgine dici debet, quod de ſe ipſo ajebat Apoſtolus; 1. *ad Cor.* 1. *Nunquid Paulus pro vobis crucifixus eſt, aut in Nomine Pauli baptizati eſtis?* Alterius ſuperſtitioſæ formulæ exemplum in altero haud ita imprudenti Parocho videre fuit, qui ſuos quandoque ſic baptizabat. *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii & Spiritus S. & Beata Virgo te adjuvet*. Quæ quidem baptiſmata tametſi imprudenter collata ſint judicata, juſſumque ſit Parocho, ut ab iis abſtineret in poſterum; rata tamen validaque ſunt habita: propterea quòd addita illa Sacramentali formæ Clauſula *Beata Virgo te adjuvet*, Verborum Sacramentalium ſignificatum minimè læderet.

Quartus caſus eſto, ſi quorumdam verborum Sacramentalium repetitio fiat. Ubi enim repetitio legitimum formæ ſenſum non vitiat atque interimit, Sacramento nequaquam officit; ſi ſecùs, officit. Quare Stephanus III. Rom. Pont. ruſtici cujuſpiam Sacerdotis baptiſma probavit, ut validum, hiſce verbis ab ipſo collatum: *In nomine Patris te baptizo, & Filii te baptizo, & Spiritus S. te baptizo:* probavit, inquam, ut validum; quia hujuſmodi repetitio formæ baptiſmatis ſenſum nullatenus vitiat. Cum enim tunc temporis triplex in baptiſmate fieret, baptizantis actus ter in forma exprimi poterat, ſalvo, & integro Sacramento.

De altera repetitione formæ ſenſum interimente, longè aliter pronunciavit Innocentius IV. occaſione cujuſdam Sacerdotis ita de more baptizantis. *Ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus S.* Baptiſma hujuſmodi ſeu minus nullum, at certè dubium judicavit Innocentius IV. Quia τὸ in nomine in forma baptiſmatis, poteſtatem auctoritatemque ſignificat: atque ita dubium eſſe poteſt, an qui ter in nomine dixerat baptizando, diverſam in tribus perſonis poteſtatem auctoritatemque dicere voluiſſet: quod Arianam Hæreſim ſaperet, & formæ Sacramentalis ſenſum inficeret, atque corrumperet.

Quintus caſus ſupereſt, de quo nihil ab Eccleſia Sancitum lego; imò de quo ad præſens Theologi de Schola digladiantur. Num ſcilicet ratum validumque ſtaret baptiſmatis Sacramentum, ſi facta Synonymorum nominum mutatione conferretur: E. G. ſi

quis baptizaret; *In nomine genitoris genitique & procedentis ab utroque*. Qua de re tametsi hinc inde disputetur in Scholis; Ego tamen quantum sapio, quantum capio, stare Sacramentum baptismatis ratum & integrum, minimè dubitaverim. Cum enim Synonyma omnino nomina sint, idemque planè sonet Genitor, ac Pater; idem genitus ac filius, idem procedens ab utroque ac Spiritus Sanctus; formæ Sacramentalis sensum minimè vitiat hujusmodi mutatio. Undè & videmus Ecclesiam hujusmodi nomina in publicis præcibus usurpare, in Sanctissimæ Trinitatis invocatione, *Genitori genitoque laus, & jubilatio, procedenti ab utroque compar sit laudatio:* & alibi sæpe.

Neque valet in oppositum quod objiciunt aliqui; Vocabula hæc, *genitor genitus & procedens*, significare actus notionales divinarum personarum, non ipsas personas. Falsum id est. Equidem *generatio activa, generatio passiva, Spiratio &c.* Significant actus notionales divinarum Personarum; at genitor, genitus, & procedens seu spiratus significant terminos actuum notionalium, qui termini Personæ ipsæ sunt, Pater scilicet, Filius, & Spiritus S.

Atque hæc de rebus & verbis, quibus Sacramenta constare dicuntur, satis mihi dicta videntur. Reliquum est, ut de Ministris, quibus & Sacramenta perficiuntur, in sequentibus agamus.

Num quilibet homo baptismatis absque nova consecratione quorumcumque Sacramentorum Minister esse possit? Num scilicet, quilibet homo sacro baptismate initiatus, absque nova inauguratione, seu consecratione, quæcumque Sacramenta ministrare possit?

Diaboli Regnum, hujusce quæstionis occasione, intra semetipsum discissum video; Lutheranos nimirum & Calvinistas in extremos hinc inde errores abeuntes. Lutherus quippe *lib. de Captiv. Babil. Cap. de ordine*, id principii loco ponit, quoslibet homines cujusvis sexus supponantur, modò sacro baptismate tincti sint, ex æquo Sacerdotes esse, perinde Eucharistiam posse conficere, cæteraque Sacerdotum officia validè obire: Non licere tamen unicuique hac sua potestate uti, ne confusio in Christiana Republica fieret; sed iis tantùm id permissum esse, qui ad sacra munia obeunda, à communitate delegati sunt. Id ipsum variis Scripturarum Oraculis probandum sibi sumit Lutherus *in libro de abroganda Missa*; ac tum demum *libro ad Pragenses*, pro instituendis Ecclesiæ Ministris elaborato anno 1523. Sententiam hanc de gravi supercilio fundit: *Sacerdos in novo præsertim Testamento non fit, sed nascitur; non ordinatur, sed creatur: Nascitur autem in Baptismo, suntque prorsus omnes Christiani, Sacerdotes*. Quid plura? *Libro de Missa privata, & Unctione Sacerdotum*, quem anno 1534. elucubravit, Sacerdotalem authoritatem latiùs protendit; nec modo

eam

eam quibusvis baptismate initiatis adjudicat, sed planè omnibus, ac ipsi etiam Diabolo; modò ritum a Christo Domino institutum observaret. *Ego non dicam*, inquit, *quod Papistæ dicunt*, *nullum Angelorum*, *ne Mariam quidem consecrare posse*. *Sed e contra dico*, *si Diabolus ipse veniret in specie hominis & Sacerdotis officio*, *juxta institutum a Christo ritum*, *fungeretur*, *efficacia Sacramenta conficeret*. Ita Lutherus novæ reformationis Architectus.

Calvinus è contra, extremo prorsus errore laborans, *in Antidoto contra Concilium Trident. ad Can.* 10. *Sess.* 7. non modò baptizatos omnes ex æquo Sacerdotes esse diffitetur omniumque Sacramentorum administros, sed ita sacra munia viris specialiter unctis adjudicat, ut nequidem baptizandi potestatem in Laicis agnoscat, ubi extrema necessitas urget.

Stat inter duos latrones crucifixa veritas, ut cum Tertulliano loquar: inter Lutherum & Calvinum, Ecclesiæ Catholicæ dogma. Cæterum quia præsentis instituti non est, calumniarum errorem exagitare, in quem, ubi de baptismo speciatim agemus, depugnabimus, in Lutherum duntaxat in præsentiarum arma convertimus.

Quare Catholica propositio prima hæc esto contra Lutherum, *Solus homo Sacramentorum minister esse potest*. Solis quippe hominibus sacra Mysteria in scripturis committuntur. *Omnis Pontifex ab hominibus assumptus*, *pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum*. inquit Apostolus *ad Hæbræos* 1. Similiter de solis hominibus dictum 1. *Cor.* 4. *Ministros nos fecit novi Testamenti*, *& dispensatores Mysteriorum Dei*. Solis hominibus a Christo dictum, *hoc facite in meam Commemorationem* Lucæ 22. *& quorum remiseritis peccata remittuntur eis*. *Joan.* 20. Quæ loca perpendens D. Augustinus *lib.* 3. *de Sacer. Edit. Parisiis* 1546. Angelis negatum esse ait, quod hominibus concessum est. Et verò cum res naturales, uti Sacramentorum materiæ adhiberi soleant, necesse profectò est, ut verba quoque naturalia pro formis adhibeantur: porro solus homo verè ac naturaliter loquitur, cum & locutio corporis viventis actus sit, organisque naturalibus utentis. Solus igitur homo Sacramenta potest administrare.

Cæterum qua ratione Deus non ita virtutem suam Sacramentis alligavit, quin possit sine ipsis illorum effectus edere: Ita conferendo potestatem Sacramentorum, non ita hominibus Ecclesiæ Ministris largitus est, quin Angelis ministrandorum Sacramentorum facultatem largiri possit. Quare quia boni Angeli Nuntii sunt veritatis, si aliquod Sacramentale Ministerium a bonis Angelis obiri contingeret, esset ratum habendum: quia Divina voluntate factum, censendum esset: Quo pacto S. Amphilochius Episcopus ordinatus ab Ange-

Angelis legitur, apud Nicephorum *lib.* 11. *Hist. Eccles. cap.* 20. illiusque ordinatio ab Episcopis Comprovincialibus rata est habita. Si verò Dæmones, qui Spiritus mendacii sunt, aliquod Sacramentale Ministerium obirent, non esset ratum habendum, sed iterandum omnino; quod nimirum præsumi non posset, id eos ex Dei delegatione peregisse. Ita doctor Angelicus 3. *p. q.* 64. *art.* 7. *Venetiis* 1593.

Neque movet, quod in sui Commenti præsidium Luterus obtendit: Sacramentorum efficaciam ex qualitate Ministri minimè pendere: adeoque posse quamcumque creaturam rationalem, ac etiam Diabolum Sacramentum administrare. Non id inquam movet. Quamquam enim a qualitate, ut ita dicam accidentali atque morali Ministri minimè pendeat Sacramentorum efficacia, a fide nimirum & pietate; a qualitate nihilominus essentiali omnino pendet: qualis inter omnes prima hæc est, ut sit homo.

Altera propositio Catholica, Lutherano errori adversa hæc esto: *Etsi solus homo, Sacramentorum sit administer, (uti jam satis ostensum est,) non tamen omnis homo, sacro etiam Baptismate initiatus, omnium Ecclesiæ Sacramentorum Minister est, ut somniat Lutherus; sed qui ad id peculiaribus ritibus initiantur.*

Ex sacris Litteris propositio Catholica sumpta est. *Nemo*, inquit Apostolus *ad Hæbreos* 5. *assumit sibi honorem* (de honore porro Sacerdotali loquitur,) *nisi qui vocatur a Deo, tamquam Aaron*. Non igitur omnes qui de populo Dei sunt, hoc ipso sunt Sacerdotes, sed qui vocantur a Deo: vocatio porro sacra innunctione seu ordinatione fit.

Neque verò reponi potest, Apostolum exercitio duntaxat Sacerdotii intelligendum esse, non de ipsomet Sacerdotio; quasi omnes Christiani ex vi sacri baptismatis, Sacerdotes re ipsa sint; nec tamen Sacerdotum munia obire possint, nisi accedente vocatione. Effugium quippe præcludit Aaronis exemplum ab Apostolo positum. Aaron enim antequam vocaretur a Deo, nec Sacerdotii usum, nec Sacerdotium ipsum habebat. Igitur Sacerdotium vocatione suscepit: accipiuntque in exemplo cæteri omnes. Præcludit etiam effugium, quod de Christo subjungit Apostolus, in suæ assertionis argumentum, *sic & Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret*. Non ergo secundum Apostolum, ante clarificationem, quæ sacra inunctione fit, Pontifex est, non tantum Pontificatum non exercet.

Adstipulantur eidem statuto dogmati non pauca ejusdem Apostoli loca *ad Rom.* 12. 1. *ad Cor.* item 12. *ad Ephes.* 4. ubi diversa esse in Ecclesia Ministeria demonstrat a Spiritu S. uti placuit distributa; nec omnia omnibus, sed singula singulis convenire, *& divisiones ope-*

operationum sunt : idem vero Deus qui operatur omnia in omnibus . . . . . . ipse dedit quosdam quidem Apostolos ; quosdam autem prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores . . . . . Nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores . . . . aliaque id genus; non igitur ministratio omnium est, qui in Ecclesia sunt, sed aliquorum duntaxat de Ecclesia. Num fortè Lutherus reponet de usu Ministrationum Apostolum agere, quasi solus usus Ministerii divisus sit in Ecclesia, non tamen ministrandi potestas ? At si ita est , consequens erit , ut idem perinde de Apostolatu , de Prophetia , de Doctrina dicatur; ut nimirum solus usus Apostolatus , Prophetiæ atque Doctrinæ in Ecclesia divisus sit, non Apostolatus ipse, non Prophetia . Quandoquidem perinde de iis , ac de Ministrationibus Apostolus loquitur.

Suffragatur statuto dogmati universa Patrum Traditio , quorum suffragia minutatim percensere, longum esset. Tantum quippe abest, ut quoslibet baptismate initiatos, Sacerdotes esse velint; solamque Ecclesiæ deputationem desiderari dicant, ut quidam præ cæteris sacra munia obeant: Quin potiùs Sacerdotes specialibus consecrationibus , ritibus , inunctionibus inaugurandos decernunt: illosque ita inauguratos a plebe segregant. Legendi præ cæteris S. Ignatius Martyr *in Epistolis ad Ephesios*, *Magnesianos*, *Traillianos*, & *Philadelphios* : Tertullianus *de Præscript. cap.* 41. S. Cyprianus *lib. de lapsis* & *Epist.* 34. 35. 51. Optatus Milevitanus (*a*) *lib.* 2. Epiphanius. *Hæresi* 49. (*b*) S. Joannes Chrisost. *lib.* 3. *de Sacerd.* S. Hieronymus *Epist.* 1. *ad Eliodorum*, & S. Augustinus *Epist.* 181. *ad Honoratum*.

Accedit veteris Legis exemplum . Quamquam enim illius Sacramenta inferioris admodum sortis essent, nec nisi egena elementa censerentur , illorum tamen administrandorum potestas non omnibus promiscuè inerat, sed aliquibus a Deo specialiter designatis. Hinc & Osias Rex Lepra punitus est , quòd Sacerdotalia munera usurpasset 2. *Paralip.* 26. Quanto minus igitur novæ Legis Sacerdotium omnibus commune erit ? Sentio responsurum Lutherum , nec se quoque id velle, ut homines omnes in nova lege Sacerdotes sint, sed illos tantum, qui Sacerdotes baptismate facti sunt. Verum repono ego : quid ni quoque in veteri lege , sin minus omnes , at saltem quotquot circumcisi erant, Sacerdotes etiam fierent.

Tantum enim dignitatis conferre circumcisio poterat, ad vetera sacrificia offerenda, quantum baptismus conferre dicitur a Luthero ad Christum incruento Sacrificio offerendum . Sed & insulsum Sophistam se præbet Martinus Lutherus, dum Sacerdotalem dignitatem suscepto Baptismati adnexam ait , propterea quòd quotquot ba-

(a) *Edit. Basil.* 1578. (b) *Edit. Paris.* 1546.

baptismate initiantur, ungantur gratia Spiritus S. quasi, verò non alia unctio illa sit, qua quis regeneratur in Christo, alia qua conferendorum Sacramentorum potestas habetur. Adde ex hac quoque Lutheri sententia consequens fore, illos saltem Sacerdotalem Potestatem vi baptismatis non habituros, qui apposito obice regenerationis gratiam non acciperent: Imò & a Sacerdotali potestate casuros illos, qui susceptam semel regenerationis gratiam amitterent. Jam quod ad Mulieres attinet, quas perinde Sacramentorum administrandorum capaces esse, Lutherus effutit, propterea quòd & ipsæ sint baptizatæ: expressa est Pauli sententia in oppositum 1. *ad Cor.* 14. *Mulieres in Ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit: si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent, turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia*. Quod idem *ad Ephes.* 5. & 1. *ad Tim.* 2. rursus inculcat. Aperta quoque ab orbe condito ad hanc usque diem consuetudo repugnat; Nulla enim lex passa est, nulla ætas, ut Mulieres Sacerdotio fungerentur. Ab Adamo ad Moysem, capita familiarum sacrificia offerebant, nulla mulier. A Moyse ad Christum, Aaronicæ stirpis masculi, seclusis fœminis, altaribus præsto erant. A Christo ad hanc usque diem, nulla quam sciam mulier sacris operata est, nisi fortè apud Quintilianos, & Pepuzenos; quos ob id ut hæreticos notavit Ecclesia. Omnes ab Altaribus semotæ, saltem ex præscripto legum. Quin etiam prophanæ gentes, Idolorum cultui mancipatæ, mulieres ab Altaribus, tamquam rei sacræ faciendæ minus idoneas, submoverunt, ex ipso naturæ sensu, quo liquet, sexum muliebrem subjectionis sexum esse; cum contra Sacerdos Populi caput esse debeat.

Lutherus mortalium primus, Mulieres, ex sacri baptismatis initiatione Sacerdotes esse commentus est: fortè ut conjugi suæ, seu potius meretrici, gratificari hoc modo posset.

Neque verò ab ingenti absurdo vindicari potest, quod ad suum illud systema temperandum subjungit Lutherus; Nempe Mulieres baptizatas, Sacerdotes quidem re ipsa esse, vi suscepti baptismatis, quemadmodum & homines ipsi; sua tamen potestate uti numquam posse; quia nunquam illis potestatis Sacerdotalis usum concedit Ecclesia; propterea quod ipsæ jure naturali sint irregulares. Absonum sanè responsum: si enim ita res esset, sin minus licitè, at saltem validè Sacerdotalia munia obire baptizatæ mulieres possent. Quisquis enim veram ac physicam habet faciendi operis potestatem, validè facit quandocumque facit; licet illicitè, si fortè superiori auctoritate prohibeatur. Ecquis autem nisi planè desipiat, sibi finxerit, Mulieres baptizatas in Ecclesia sacra munia obire validè posse, quæ ipso naturæ jure a sacris Ministeriis procul arceantur.

tur. Ex quo enim jus naturæ repugnat, & obstat, ne validè quidem fieri aliquid potest.

Reponet fortè Lutherus, juxta Ecclesiæ Romanæ principia, Sacerdotem sacra ordinatione inauguratum, peccatorum dimittendorum potestate donatum esse iis verbis ab Episcopo proferri solitis, nec tamen validè posse absolvere, nisi hujus suæ potestatis usum nova ordinarii sui licentia perceperit. Atque ita pari jure, nec validè quidem munia Sacerdotis obire posse, qui suscepti Baptismi virtute Sacerdotes re ipsa sunt, donec ad ea obeunda munia ab Ecclesia vocentur. At non advertit imprudens, alios Sacerdotum actus esse, qui ordinis duntaxat sint, alios qui ordinis simul sint & Jurisdictionis. Solvendorum peccatorum Authoritas, Jurisdictionis, & ordinis simul est: quia absolvere non possunt nisi subditos: Quare donec ex Ordinarii facultate atque licentia, accesserit Jurisdictio, qua fideles eis subditi fiant; absolutio attentata, nedum illicita, verùm etiam nulla est: at contra Christi Corporis consecratio jurisdictionis actus nequaquam est, sed unius duntaxat ordinis. Quare si Lutheri Systema veritate niteretur, quisquis non deputatus ab Ecclesia consecraret, Sacramentum validè perageret, licet illicitè. Uti planè in Ecclesia Romana contendimus, Sacerdotem suspensum ab Executione munerum & Officiorum, illicitè quidem; sed validè consecraturum.

PRÆLECTIO VI.

Multa atque graviora, quæ in sui confirmationem erroris Lutherus obtrudit, confutantur.

Quam multis validisque momentis Lutheranorum errorem in anteacta lectione confutaverim, meminisse vos puto. Errorem dico perfatuum & insulsum, quo omnes cujusvis etiam sexus homines, modò sacro baptismate tincti sint, ex æquo Sacerdotes esse comminiscuntur: Non licere tamen unicuique, sacra obire munia, ne confusio in republica fieret. Præstat in præsentia refellere, quid in sui præsidium erroris obtrudant. Lutherus triplici momentorum genere pugnat, *libro de abroganda Missa*, nec non etiam *libro de Ministris instituendis*. Primò quidem generatim ex sacris Litteris probare aggreditur, fideles omnes, ex quo sunt sacro baptismate initiati, Sacerdotes esse, nec ulla nova egere inauguratione; Secundò: per singula Sacerdotum officia decurrens, ea omnicuique fidelium convenire contendit. Tertiò: speciatim evincere satagit, Sacerdotale Ministerium mulieribus etiam ex æquo posse competere. Nos ingentem hanc argumentorum struem demoliemur; & quam procul a veritate novator abierit, ad oculum demonstrabimus.

Quod primum caput interest; tria maximè producit Scripturarum Oracula, queis universim ostendat; fideles omnes re ipsa esse Sacerdotes. Primum *ex Epist.* 1. *D. Petri cap.* 2. desumptum est, ubi singulos fideles alloquens Apostolorum Princeps, ita habet: *Ipsi tamquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, offerre spirituales Hostias, acceptabiles Deo per Christum:* Ac paucis interjectis, *Vos autem genus electum, Regale Sacerdotium, gens sancta, Populus aquisitionis.* Quibus verbis, Sacerdotium, & hostiarum offerendarum potestas singulis fidelibus tribuuntur. Alterum *ex Capite* 5. *Apocalipsis* repetit, ubi fideles ita Deum alloquentes inducuntur: *fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes.* Ultimum *ex Cap.* 20. ejusdem Apocalipsis petitum est, ubi de fidelibus universis promiscuè legitur, *erunt Sacerdotes Dei, & Christi ejus.* En primam Lutherani erroris basim: Verùm minus firmam ac stabilem. Nihil enim æquè clarum&manifestum, quàm spirituali duntaxat Sacerdotio, nec non de spiritualium hostiarum offerendarum potestate hìc agi; qua videlicet quilibet Chri-

stia-

ſtianus, ob accepta beneficia laudes Deo perſolvit, & gratias agit: Cordis Sacrificium, pro delictis admiſſis offert, juxta illud *Pſal.* 50. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus*: Non de Sacerdotio ſermo eſt ſtricto ſenſu accepto, & hierarchico; cujus muneris eſt, verum Chriſtianæ legis ſacrificium, Euchariſtiam offerre; eamdemque cæteraque Sacramenta Chriſtianis adminiſtrare; Eccleſiam regere, Dei verbum prædicare. Sanè eo duntaxat ſenſu locutum eſſe Petrum Apoſtolum, cujus ſuffragium Lutherus oſtentat, tria præſertim evincunt. Primum; quod diſertiſſimis verbis dicat *offerre ſpirituales hoſtias*, quo vel uno verbo, de ſpirituali duntaxat Sacerdotio ſermonem habere plus ſatis indicat. Secundum; quòd Regnum æquè ac Sacerdotium fidelibus adjudicet, *regale*, inquit, *Sacerdotium:* qua itaque ratione ſpirituale duntaxat regnum fidelibus tribuit, illud ſcilicet, quo vitiis & cupiditatibus dominantur; non verum ac proprio ſenſu acceptum, quo gentibus, ac nationibus imperitent; ita non niſi ſpirituale illis Sacerdotium adjudicavit. Tertium, illudque maxime ponderandum; quòd hæc ipſa verba D. Petri *ex Cap.* 19. Exodi excerpta ſint, & a Deo ipſo univerſo Judaico populo olim dicta fuerint: *Vos eritis mihi in regnum Sacerdotale*, *& gens ſancta*. Si ergo ſtricto ſenſu accipienda forent, ut videlicet verum propriumque Sacerdotium deſignarent, conſequens profectò eſſet, ut in veteri quoque lege Iſraelitæ omnes veri Sacerdotes extitiſſent; quod ne Lutherus quidem admittit, nec admittere verò poſſet, tametſi inſigniter eſſet imprudens, cum Sacerdotium uni Leviticæ tribui concreditum eſſet. Eodem ſenſu figurato accipi oportere laudata duo Apocalipſis oracula a Luthero citata, perinde certum. Enimverò, non de fidelibus mortalem vitam agentibus, ſed jam cum Chriſto regnantibus differit dilectus Apoſtolus in Apocalipſi; ut patet res ipſa per ſeſe: porro ex quo fideles Cœlo additi ſunt, nonniſi ſpirituales hoſtias, laudes, gratiarum actiones offerunt, nullaque temporalis Sacerdotii munia obeunt. Perperam ergo atque inſulsè prorſus duo illa Apocalipſis oracula detorſit Lutherus, ſuoque (quod peregrinum omnino eſt) accommodavit inſtituto. Addiderim nec immeritò utrumque Apoſtolum & Petrum in Epiſtola, & Joannem in Apocalipſi, de juſtis duntaxat ſermonem habere, non de quibuſvis promiſcuè fidelibus, quos inter tot inſignes peccatores exiſtunt. Quamquam ergo verum illis propriumque Sacerdotium adjudicarent, nullo tamen pacto extundi poſſet, quoſlibet fideles, ex quo ſacro baptiſmate ſunt initiati, Sacerdotali auctoritate donatos eſſe, ſed ut ut maximè juſtos omnes.

Primo illo generalium erroris ſui probationum officio exſolutus Martinus Lutherus, per ſingula Sacerdotum officia decurrit; ea-

que unicuique fidelium convenire probat. Quare Sacerdotum Evangelicæ legis officia ponit numero sex: Absolvere, baptizare, consecrare, de Doctrina judicare, orare pro populo, sacrificium offerre; de quibus dicit ex ordine; Verùm adeo præposterè, & insulsè, ut ne micam salis in tota ejus argutatione liceat invenire.

Posse unumquemque fidelem absolvere a peccatis ex illo *Matth.* 18. probandum aggreditur: *quæcumque ligaveritis super terram erunt ligata & in Cœlis: & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cœlis*. Quasi verò, isthæc unicuique fidelium dicta essent, an num veriùs solis Apostolis? Imò solis Apostolis a Christo sunt dicta.

Baptizandi facultatem omnibus promiscuè communem esse ex ipsa Romanæ Ecclesiæ confessione demonstrat. Rectè quidem; at non advertit incautus, conferendi baptismatis potestatem, quæ Sacerdotibus propria dicitur, ordinariam esse, & cum solemnitate exercendam, qualem certè omnibus promiscuè communem esse, Ecclesia Romana non docet. Et verò si quid ex Ecclesiæ Romanæ professione posset extundi, quod suo illi figmento adsaveret; Æquo jure colligeret, non modò quoslibet Baptizatos, sed & Judæos, & Ethnicos, Sacerdotes quoque esse: quippe quos baptisma, urgente necessitate, conferre posse doceamus.

Ad sacrificii offerendi facultatem, quibusvis fidelibus communem, detorquet illud Apostoli *ad Rom.* 12. *sacrificamus corpora nostra per mortificationem vitiorum*: at quàm sit istud imperitè detortum, nemo non videt. An enim istud sacrificium est verum ac proprium, ad quod veri propriique legis Evangelicæ Sacerdotes destinantur? absit. Mortificationis sacrificium, nulla nova oblata hostia offertur, quam semetipsos, nullo novo altari consecratur, nisi cordis & animæ: Quare & quisque in illo offerendo sibi ipsi Sacerdos est. Verùm alterius profectò generis est, legis Evangelicæ sacrificium, quo Christus immaculata Hostia, omnipotenti Deo offertur, incruento quidem, sed vero tamen modo, ab iis solùm, qui speciali ad id inunctione consecrantur.

Potestatem de doctrina judicandi singulis fidelibus vendicat, eo Christi D. verbo nixus, quo singulis præcipit *Matth.* 7. *ut attendant a falsis Prophetis*; aliisque passim Scripturarum oraculis, quibus privatum spiritum unicuique sufficere ad veritates fidei dijudicandas, probare solent nostrorum temporum Sectarii. Verùm tametsi unusquisque a falsis Prophetis cavere debeat, non illico doctrinæ judex & arbiter est: ea quippe cautela a privata prudentia proficiscitur, doctrinæ verò judicium publica duntaxat auctoritate ferri potest. Quare tametsi fateremur, cuique privato Dei spiritum assistere, ut semetipsum privatim regat, noritque quid crede-

re,

re, quid tenere ex Religione debeat, (quod præsentis instituti non est) nec dum propterea consequens foret, ut ex officio de Doctrina judicium ferre posset, quo pacto Sacerdotes id possunt. Hoc enim privati esset hominis, istud publici, & auctoritate præcellentis. Ecquid verò tam insulsum, quam ut quoslibet homines baptismate tinctos, sutores, tabernarios, Caprimulgos, cæterosque vix media animæ parte utentes, Doctrinæ judices habeamus?

Potestatem orandi pro populo singulis adjudicat Lutherus, quòd oratio Dominica communis sit, omnesque pro nobis invicem orare jubeamur. Sed & id ludicrum est. Aliud quippe est, privatim ex officio charitatis pro fratribus orationes fundere, aliud publicum in Ecclesia sequestrum agere, publicas orationes e loco sacro recitare, supplicationes populi, uti publicum advocatum decet, Deo offerre: quod Sacerdotum singulare munus est.

Consecrandi demum potestatem universis fidelibus asserit, eo Christi Domini fretus Oraculo *Lucæ* 22. *Hoc facite in meam commemorationem*: quo consecrandæ Eucharistiæ potestas a Christo D. facta est. Infeliciter tamen in probationem Lutherus ingreditur; neque enim ad singulos fideles verba hæc diriguntur, sed ad solos Apostolos, qui Christo tunc commensales aderant.

Restat concionandi munus, de quo speciatim ac paulò fusiùs Lutherus agit, ut & illud singulis Christianis, ac ipsis etiam mulieribus vindicet. Quocirca illud in primis, 1. *ad Cor.* 14. *v.* 26. *v.* 31. venditat: *Unusquisque vestrum psalmum habet, linguam habet, Doctrinam habet, Apocalypsim habet .... Potestis omnes per singulos prophetare*. Sed aberrat profectò toto Cœlo novus Ecclesiæ Reformator; non enim singulos fideles Paulus alloquitur, quasi illorum quilibet iis donis abundet, quæ eo loci recensentur. Siquidem & in eadem Epistola *Cap.* 12. divisiones gratiarum illarum esse docet Apostolus, nec omnes omnibus convenire; sed singulas singulis, prout eas Spiritus S. largitus est: Monetque ut qui illarum aliqua præditi sunt, ea ad Ecclesiæ utilitatem religiosè utantur. Aliàs consequens esset, ut & omnes fideles prophetarent, cum & Apostolus dicat, *potestis omnes per singulos prophetare*: quod nemo non videt esse falsissimum. Quamquam & id observare operæ prætium est, in illis nascentis Ecclesiæ primordiis, Spiritum S. donis etiam sensibilibus in fideles effundi, solitum fuisse, quod minus in præsentia contingit: atque ita præposterè ad singulos nostrorum temporum fideles detorquentur, quæ de primis illis Religionis Christianæ Professoribus referuntur.

Jam quod attinet ad Mulieres, quas perinde, ex Sacri baptismatis initiatione, Sacerdotes esse, omniumque Sacramentorum administrandorum capaces Lutherus existimat, unum est, quod ex

Sacris

Sacris Litteris, in earum gratiam possit extundi: Celebratum scilicet illud Apostoli dictum, *ad Gal.* 3. *In Christo Jesu neque mas est, neque fœmina*: Quo olim Quintiliani & Pepuzeni abutebantur, ut promiscuè & indiscriminatim mares, & fœminas, in Episcopos & Sacerdotes inungerent. Verùm qui sequentia Apostoli verba legerit, facilè deprehendet, non de sacris Ministeriis in Ecclesia obeundis, Apostolum agere, quasi in iis nulla sit observanda distinctio Sexuum; sed agere de vocatione ad fidem, deque spirituali adoptione in filios Dei; qua in re nulla profectò est Sexuum prærogativa. Unde ait Apostolus, *In Christo Jesu neque mas est, neque fœmina; omnes enim filii Dei estis, per fidem, quæ est in Christo Jesu.*

Huic insulso ineptoque Lutheranorum errori de mulieribus Sacrorum ministeriorum ordinumque capacibus favere potiùs videretur, quod in antiquis Ecclesiæ Canonibus legimus; maximè verò Concilii Turonensis II. *Can.* 12. & 13. Concilii Antisiodorensis *Can.* 20. & 21. Concilii Romani sub Gregorio II. *Can.* 1. & alterius Romani sub Zacharia *Can.* 5. ubi tam sæpe Mulieres Episcopæ, & Præsbyteræ nominantur: id inquam errori Lutherano favere videretur, nisi viris eruditis exploratum esset, Mulieres illas ita dictas esse, Episcopas, & Præsbyteras, non ab Officio ac Ministerio, quod obirent; Sed à viris suis, qui ad Episcopatum, vel Præsbyteratum promoti fuerant; à quibus non amplius uxorum loco, sed sororum habebantur, perpetuæ continentiæ lege ipsis imposita.

Difficiliùs fortasse fuerit emollire, quod de mulieribus Diaconissis legimus. Nedum enim earum mentio in antiquis Canonibus interdum occurit; verùm etiam Diaconissarum ordinationis meminere Tertullianus *lib. ad Uxor. Cap.* 7. Concilium Chalcedonense *Can.* 15. Concilium Trullanum *Can.* 14. Justinianus Imperator sæpiùs in Novellis: Undè quispiam fortassis eruet, mulieres non secùs ac viros posse sacris ordinibus initiari. Verùm ea Diaconissarum ordinatio, seu manuum impositio iis fieri solita, Sacramentalis non erat, sed nuda cæremonia, quemadmodum & hodie Abbatissarum benedictio. Nec illæ Diaconissæ Altaris Sacrificio ministrabant, nec sacra vasa tractabant, nec Evangelium recitabant, nec Dei verbum ex suggestu prædicare fas illis erat, aliudue munus obire, quod esset Diaconorum proprium: Sed ea duntaxat pietatis officia Mulieribus præstabant, quæ Diaconi viris. Viduarum scilicet ac virginum Pauperum curam agebant; Mulieribus adultis baptismum suscepturis, dum ad immersionem nudabantur, officiis aderant; Mulierum consessum in Ecclesia ordinabant aliaque id genus officia peragebant, quæ ex Sacro Caractere minimè pendeant.

deant. Imò cum novo vertente Sæculo ea in quibusdam Galliæ locis corruptela inolevisset, ut Mulieres illæ Diaconissæ ad altaria impudenter irrumperent, & Sacram Eucharistiam populis ministrarent; quemadmodum tunc Viri Diaconi ministrare solebant: hunc abusum Synodus Parisiensis anno 829. celebrata repressit & emendavit. *Lib.* 1. *Cap.* 45. Uti & Synodus Rhemensis eadem ætate celebrata abusum alterum emendavit, quo Præsbyteri in obeundo ministerio suo negligentissimi, Sacram Eucharistiam ad infirmos deferendam Diaconissis hujusmodi committebant. Cujus Synodi decretum extat *Cap. pervenit; dist.* 2. *de Consecratione*.

Clamat Lutherus mulierum advocatus, Sororem Moisis prophetasse *Exod.* 15. Deboram Israelem judicasse, *Judic.* 4. Philippo Diacono quatuor fuisse filias virgines prophetantes, *Actor.* 27. Sit ita porro; quid ergo? Singularia hæc dona fuere, quæ nihil tamen cum Sacerdotio commune habent. Prophetavit David, prophetavit Elias, prophetarunt Elizeus, Daniel, Isajas, & alii, qui nequidem e levitica tribu erant, ut Sacerdotio fungi possent. Non itaque ex Prophetiæ dono nonnullis Mulieribus concesso, Sacerdotii dignitas colligi potest.

Superest hic videamus num mulieres, quas incapaces ostendimus Sacrorum Ministeriorum, & ordinum, capaces saltem sint Sacræ jurisdictionis exercendæ?

Cum Jurisdictio nihil aliud sit, quam potestas jus dicendi seu judicandi in caussa Sacra, duplex jurisdictio distinguenda est; altera quidem Canonica, & Ecclesiastica, qua scilicet judicatur in Caussis Ecclesiasticis ad ordinem hierarchicum spectantibus: Altera merè Monastica, qua judicatur in caussis purè Monasticis, & ad disciplinam regularem spectantibus. Posterioris istius capaces omnino sunt Mulieres, non prioris.

Patet hoc, exemplo Abbatissarum nonnullarum, maximè verò generalis Archimandritæ ordinis Fontebraldensis, cui cum obedientiam voveant tam Monachi illius ordinis quam Moniales, ipsa vicissim in omnes jurisdictionem Monasticam exercet, iisque jus dicit in caussis ad disciplinam regularem atque Monasticam spectantibus. Non item in aliis ad ordinem hierarchicum pertinentibus. Nec enim in subditos qualescumque suos, seu viros seu fœminas, sententias ferre potest excommunicationis, aut suspensionis, aut interdicti, aliasve Canonicas Sententias pronunciare. Quemadmodum contingit in aliis nonnullis virorum religiosorum institutis, in quibus superiores, præpositi, priores, guardiani laici quandoque sunt.

In contrarium tamen videtur esse, quod in laudato ordine Fontebraldensi, Priorissæ ex indulto Paschalis II. facultatem habeant, appro-

approbandi, ad confessiones suarum monialium excipiendas, quemcumque Sacerdotem extraneum, ab ordinario illius Diæcesis minimè approbatum; modò tamen in quadam alia Christiani orbis Diæcesi fuerit approbatus. Porro approbare quempiam ad confessiones, actus est Jurisdictionis Ecclesiasticæ. Possunt ergo (inquiet aliquis) Mulieres Jurisdictionem Ecclesiasticam exercere.

Respondeo; iis in Casibus Priorissam non approbare ad Confessiones Monialium excipiendas extraneum illum Sacerdotum, sed Paschalem II. eum approbasse qui a Priorissa delectus designatusque esset in posterum. Adeo ut a Priorissa fiat designatio personæ, & ab Apostolica Sede facta sit approbatio, dataque absolvendi facultas.

PRÆ-

PRÆLECTIO VII.

De Baptismo.

EXoluta de Sacramentis in universum, seu ut Schola loquitur de Sacramentis in genere, prolixiori tractatione, de iisdem speciatim dicendum venit. In quo quidem pertractando argumento occurrit primo in limine baptismatis Sacramentum, quod cæterorum omnium januam Ecclesia passim appellat, sine quo jus nullum ad cætera suscipienda hominibus esse potest. Immensus sim, si quot quantisque titulis a Patribus insignitur, productis illorum oraculis, recensere velim. Ut enim vulgare baptismi nomen omittam, quod immersionem, & ablutionem latinè sonat, uti plus satis omnibus notum: Illuminationis, & fidei Sacramentum sæpiùs à Patribus dicitur, quod in eo fides uti cœleste lumen animis infundatur; Sacramentum regenerationis, quod ejus ope ex aqua & Spiritu S. renascamur in Christo quotquot iræ Filii nati sumus: Sacramentum invocationis, quia novam ex eo vitam inimus: Sacramentum expurgationis, quia vetus in eo fermentum expurgamus, ut simus nova conspersio: Sacramentum sepulturæ & mortis Christi, quia Salvatoris nostri mortem ac sepulturam repræsentat: Quin etiam Circumcisionis Sacramentum à D. Chrisostomo non semel nuncupatum est, Apostoli phrasim usurpante ad Colos. II. *in quo & circumcisi estis circumcisione non manu facta, in expoliatione Corporis carnis, sed in circumcisione Christi consepulti & in baptismo.*

Baptismi Naturam brevi definitione complexus est Doctor Angelicus, quam & cæteri penè omnes Scholæ Magistri suis usibus consecrarunt: *Baptismus est ablutio corporis exterior sub præscripta forma verborum, ad internam animæ mundationem.*

Quin Sacramenti à Christo D. instituti titulo gaudeat, a nemine quod sciam vocatur in Controversiam: quare de illius partibus nobis est disputandum: ac primò de materia, de qua nonnulla ab Hæreticis mota lis est, in præsentia dicemus: Tum de forma in sequentibus lectionibus prolixiùs disputabimus.

Aquam uti materiam in baptismate conferendo nequaquam adhibendam esse, quondam aliàs fabulati sunt Manichæi, teste D. Augustino *libro de Hæresibus Cap. 46.* Quid tamen aquæ vice adhiberent, nuspiam proditum est. Horum error ex capitali altero errore derivabatur: Cum enim aquam cæterasque creaturas corpo-

reas, non a Deo sed a Diabolo procreatas sibi fingerent Manichæi, consequens profectò erat, ut aquam Sanctificandæ animæ instrumentum esse non posse contenderent. Manichæis paulò verecundiores extitere Marcionitæ, qui etsi creaturas corporeas, atque adeo aquam ipsam a malo genio procreatam effutirent, aquam tamen in baptismo, ob expressum Christi præceptum adhibebant; liquet id ex Theodorèto *lib.* 1. *hæreticarum fabularum*, ubi delirum senem Marcionitam se vidisse ait, aquam ultrò in conferendo baptismate usurpantem, quamquam eam uti Sathanæ opus, usque adeo execraretur, ut suo ipsius sputo potius, quam aqua faciem ablueret.

Manichæorum, & Marcionitarum errori successit Seleucianorum delirium, quibus baptisma non aqua, sed igne conferre libuit. Fidem rei faciunt Philastrius & Augustinus *lib. de HæresibusCap.* 59. Quo pacto autem quave arte Baptismus igneus conferretur ab eis, satis nescio; nisi quod apud Bernardum Lutzburgensem in Catalogo Hæreticorum legisse memini, Jacobitas, qui Seleucianorum propago erant, baptisma sine aqua conferre solitos esse, sed Christi Cruce candenti ferro frontibus impressa. Erroris sui præsidium ex Evangelio accersebant deliri homines, *Mattæi & Lucæ* 3. *Joannis*, *&* *Marci* 1. Ubi quoties Joannis Baptismus cum Christi Baptismo confertur; hoc inter utrumque discrimen ponitur, quod Joannes quidem baptizaret aqua, Christus vero in Spiritu S. & igne: hincque ignei baptismatis conferendi ansam arripuerunt. Non observabant scilicet imprudentes, id de baptismi Christi materia nequaquam intelligendum esse, sed veriùs de intimo illius effectu: quod nimirum Joannis baptisma nihil internæ sanctificationis, sed externam duntaxat aquæ effusionem præseferret; Christi vero baptisma intimam Spiritus Sancti divinique amoris effusionem largiretur. Imò ut veriùs dicam, de ipso baptismatis Sacramento, à Christo instituendo, iis in locis sermo non est; ubi Christus in Spiritu S. & Igne baptizaturus dicitur, sed de miraculo quod Christus die Pentecostes operaturus erat, Spiritum S. in Apostolos sub ignis specie mittendo; ea etenim Spiritus S. effusio, baptismatis nomine insignitur, *Actor.* 1. & Joannis baptismati contraponitur: *Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu S. non post multos hos dies*, alludendo nimirum ad Spiritus S. effusionem, quæ Sacro die Pentecostes obventura erat.

Antiquis erroribus de hujusce Sacramenti materia, quoquo pacto subscripsisse visus est Martinus Lutherus. Quamquam enim is aquam baptismatis elementum ultrò norit, illudque Sacramentum eadem nobiscum materia, & forma ministrent gregales ejus; alio ta-

tamen elemento conferri valide posse propugnavit, si quando præsto non esset aqua. A nonnullis enim Synagogæ suæ Ministris Sententiam rogatus, num ubi non est aquæ copia, lacte saltem aut Cervisia baptismum conferendum fas esset, respondit primò subdubitando, totum id divino judicio esse committendum: tum urgentibus Discipulis ut Sententiam diceret, respondit, Capta fiducia, licere planè: quin & addidit, liquorem omnem ex quo potest balneum confici, ad baptismatis elementum assumi posse. Ita planè retulit Lutherus ipse, *in Symposiacis colloquiis Cap.* 17.

Nos è regione positi, cum Ecclesia Catholica pronunciamus, Aquam veram ac naturalem, necessariam solamque baptismatis materiam esse. Ita nos Christi Domini institutio docet *Joan.* 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in Regnum Dei*. Ita Apostolorum exempla docent, qui quoties baptizasse, toties aquam usurpasse, perhibentur: *Actorum* 10. ubi Cornelii Centurionis baptismus describitur, *Nunquid aquam*, inquit Petrus, *quis probibere potest, ut non baptizentur hi qui Spiritum S. acceperunt sicut & nos? & jussit eos baptizari in Nomine Domini Jesu Christi*. Actorum 8. ubi baptizatus, fertur, Eunuchus Reginæ Candacis à Philippo, *Dum irent per viam venerunt ad quamdam aquam: Et ait Eunuchus: ecce aqua, quis probibet me baptizari?* Hinc Apostolus *ad Ephes.* 21. *Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*.

Suffragatur unanimis Patrum Traditio, quorum testimonia minutatim percensere, otiosi esset Commentatoris: Id tamen certò pronunciare ausim, neminem vel unum inventum esse, qui aliud quidquam ab aqua, uti baptismatis elementum indigitarit. Legantur si per otium licet S. Justinus *Apologia* 2. (*a*) Tertullianus *lib. de Bapt.* Cyprianus *lib.* 3. *testimoniorum ad Quirin. Cap.* 25. Ambrosius *lib.* 3. *de Spir. S. Cap.* 9. Hieronymus *in Cap.* 26. *Ezechielis*, Gregorius uterque Nyssenus, & Nazianzenus *in Orationibus de Bapt.* Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus Alexandrinus, & quotquot Evangelium Joannis Commentariis illustrarunt.

Quorum omnium suffragiis nixus Innocentius III. *Cap. non ut, de bapt. & ejus effectibus*, (*b*) consultus, utrum parvuli pro Christianis habendi, quos in articulo mortis constitutos, propter aquæ penuriam, & absentiam Sacerdotis, aliquorum simplicitas, in caput, pectus, ac inter scapulas, pro baptismo, Salivæ conspersione linivit, respondit, *cum in baptismo duo semper, videlicet verbum, & elementum necessariò requirantur, dubitari non*

Bb 2 *debet*,

(a) *Vide Tournelii Edit. Veneta Anni* 1589. *De Baptismo pag.* 12.

(b) *Apud Tournelii Editionis Veneta pag.* 13.

debet, illos verum non habere baptismum, in quibus non solùm utrumque prædictorum, sed eorum alterum est omissum, ac perinde non sunt pro Christianis habendi.

Nulla itaque necessitas, nullave ratio efficere potest, ut ratus baptismus in alio, quam in aqua conferatur, quia quod Christi præcepto statutum est, nulla humana dispositione rescindi debet aut potest.

Frivolum igitur atque inane est, quod ex Stephano II. Rom. Pont. objici solet: Illum scilicet a Monachis Britannici Monasterii interrogatum, quid de Sacerdote sentiendum, qui periclitantes pueros aliquos vino baptizaverat propterea quòd aquæ copia non esset; ita respondisse, *Cap.* 2. rescripti. *Si in vino quis propterea quòd aquam non inveniebat, omnino periclitantes infantes baptizavit, nulla ei exinde adscribitur culpa. Infantes sic permaneant in baptismo:* (*a*) quasi dicat, horum infantium baptisma ratum esse. Id inquam frivolum est. Primò quia non satis authentica hujusce responsi Pontificii monumenta inveniuntur. Secundò quia mendosus Textus est: Nec legendum in eo Pontificio Rescripto, *Infantes sic permaneant in Baptismo;* quasi absoluta locutio esset, quæ ratum minimèque iterandum baptismum decerneret, sed conditionata in hunc modum, *nulla Sacerdoti adscribitur culpa, si infantes permaneant in baptismo*. Ita quippe probati codices habent. Stephanus ergo R. P. de valore baptismi in vino collati interrogatus non erat, quem nemo sanæ mentis dubitare poterat, irritum esse; sed de culpa duntaxat hominis baptizantis quærebatur, num videlicet aliqua censura plectendus esset? Hunc porrò nulla pœna plectendum esse respondet Pontifex, quia cum aliud non posset, in extremo periculo, id per simplicitatem fecit, quod postea potuit elapso periculo emendari; nec ipse in caussa fuit, cur infanres postea baptizati aqua non fuerint, quæ sola baptismi materia est.

Futiliùs multò esset, si quis nobis factum obtruderet, quod olim sub M. Aurelio Antonino Imp. contigisse narrat Nicephorus Callixtus *lib.* 3. *Hist. Cap.* 37. (*b*) Judæi cujuspiam, repentino morbo correpti in solitudine, & ad Christi fidem momento conversi; qui cum Sacrum baptisma, a Christianis viatoribus postulasset, nec adesset illic aquæ copia, injecta ter in illum arena vice aquæ, cum SS. Trinitatis invocatione baptizatus est: quo ille accepto baptismate, de repente pristinæ sanitati restitutus est. Id inquam multo futiliùs. Nec enim ea Sanitatis restitutio, suscepto baptismati adscribenda venit, quasi ratum illud esset validumque; sed

(a) *Apud Tournelii de Bapt. pag.* 18. *Edit. Veneta Anni* 1589.
(b) *Apud Tournelii dd Baptismo pag.* 18. *Editionis Veneta Anni* 1589.

sed Judæi de repente ad Deum conversi pietati, fidei, Religioni tribuenda est. Quandoquidem idem ipse Nicephorus Callixtus disertissimè notat, totum id Viatorum illorum Christianorum simplicitate factum esse; partim ut importunis Judæi votis, in iis rerum angustiis utcumque satisfacerent, partim quod illis aquæ copia non esset, *quam solam verum baptismatis elementum esse non ignorabant*: postea verò Dionysium Alexandrinum Episcopum, ad quem delata res est, Judæum vero aquæ baptismate expiasse. Atque hæc de aqua in baptismate adhibenda.

Jam quis, in conferrendo baptismate aquæ usus esse debeat, dicam breviter. Trifariam aqua in baptismo adhiberi potest: primùm, si in aquam immergatur baptizandus; secundò, si aqua desuper infundatur; tertiò, si aspergatur duntaxat: quia & hoc triplici modo quis ablui potest. Immersio primis Ecclesiæ temporibus in usu erat, quandoque quidem una, quandoque trina. Qui usus a Synagoga in Ecclesiam transiit; quæ enim apud Judæos baptismata olim usurpari solita erant, immersione agebantur. Toto primo vertente Ecclesiæ sæculo, unica immersio in usu fuit: At nato eorum hæreticorum errore, qui non baptizabant: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.*, sed in commemoratione mortis Christi, & una quidem immersione; idcircò unius immersionis ritus pauló postea sublatus est, non quod per sese malus esset, sed ratione abusus, trinaque immersio ex Ecclesiæ præscripto injuncta est, ut scilicet ad cujusque personæ Sanctissimæ Trinitatis invocationem, baptizandus immergeretur. Quin etiam usque adeo apud veteres probatus facerque fuit ritus ille, ut Tertullianus, Basilius, Hieronymus, ritum hunc, inter Apostolicas traditiones retulerint. Quæ sanè loquendi ratio, nisi paululum temperetur, minus veritate constabit. Ecquo enim pacto, Apostoli trina immersione baptizassent, cùm illorum aliqui 3000. una die, 5000. die altera baptizasse referantur; quod in ea temporis angustia, non ita commodè fieret? Ut planè necesse sit, Patrum illorum phrasim ita emollire, ut trinæ immersionis usum Ttraditionem Apostolicam dixerint, quia communi Ecclesiarum usu frequentabatur: Sic enim Hieronymus monet, unamquemque Ecclesiæ consuetudinem, uti legem Apostolicam excipere oportere. Quamquam si trinæ immersionis usum, Traditionem Apostolicam stricto sensu vocitassent laudati Patres, talisque re ipsa fuisset, nihil obesset, quin eam Ecclesia successu temporis immutare potuerit. Traditionum siquidem Apostolicarum duplex genus est; Aliæ fidei & moralis Christianæ dogmata spectant; aliæ ritus accidentarios, ad solam Sacramentorum solemnitatem attinentes. Priores Traditiones ad dogmata spectantes ab Ecclesia mutari non possunt; quod enim Apostolorum tempore

pore

pore verum dogma fuit, omni fecuto tempore verum esse oportet. Aliæ Traditiones, ad ritus & Cæremonias attinentes, mutationi obnoxiæ sunt, quia quæ una ætate, ob certas circumstantias, opportuna videbantur in ritibus, rebus subinde mutatis, minus congrua videri possunt.

Immersioni itaque prioribus sæculis frequentatæ, successit infusio, publico Ecclesiæ usu, decimotertio vertente sæculo duplici de caussa. Primò; Quod immersio ægris hominibus, ac tenellis pueris, noxia esse posset. Secundò; Quod castæ Matronæ, Virginesque pudore quodam suffunderentur, dum eas ad immersionem, media saltem corporis parte nudari, necesse erat.

Aspersionem in baptismatis collatione, nuspiam publico usu frequentatam legi, sed certis tantùm in casibus adhibitam. Infirmos lecto decumbentes per aspersionem baptizari solitos legimus apud S. Cyprianum *Epist. 76. ad Magnum data*, & apud S. Fulgentium *lib. de Baptismo Æthiopi moribundi*. Sic baptizati Clinici vocabantur, erantque (si convalescerent) irregulares, ut patet *ex Canone* 12. *Concilii Neocæsariensis anni circiter* 314. (*a*) Aspersionem Petrum Apostolorum Principem usurpasse volunt plerique Scripturarum interpretes, dum quinque hominum millia tinxit una die, tria millia die altera expiavit. Quod ut asserant, non alia ratione nituntur, quam quod brevi illo temporis spatio vix fieri posse putent ut tanta hominum multitudo, distincta cujusque immersione, aut aquæ infusione tingeretur: Quæ ratio nonnullis aliis minus efficax visa est. Potuit enim Petrus, tria, aut etiam quinque hominum millia, una die baptizare per infusionem, ac etiam per immersionem, non quidem se solo, sed adhibitis ad id administris magno numero, uti certè *Actor.* 10. legimus, eum per administros, Cornelii domum baptizasse. Potuit etiam jubere Petrus, ut illi ipsi qui primùm fuerant baptizati, cæteros baptizarent. Utcumque tamen se res habuerit, nihil interest; facti siquidem quæstio est, nullius planè momenti: Satisque superque est, si dicamus, posse etiam baptisma aspersione fieri, quia, & aspersio ablutionis species est: Periculosa tamen in hominum multitudine: si enim aspersa aqua illorum aliquem non attingeret, aut sola ipsius indumenta, is certe baptizatus non esset.

In sequenti, de baptismatis forma difficilior admodum disputatio nobis erit.

PRÆ-

(a) *Apud Tournelii pag.* 21. *&* 25. *de Baptismo Veneta. Edit. Anni* 1589.

PRÆLECTIO VIII.

Baptiſmatis forma ex Doctrina Patrum, & Canonum explicatur; eademque adverſus quorumdam tum veterum, tum recentium Theologorum aberrationes vindicatur.

AMpliſſimum Theologicæ diſputationis campum ingredior. Sacramenti baptiſmatis formam, ex Doctrina Patrum, & Canonum explicandam; eamdemque adverſus quorundam tum veterum, tum recentium aberrationes vindicandam. In quo quìdem pertractando argumento, cum rerum dicendarum copia penè obruar, miſſis inanibus futilibuſque proludiis, ad inſtitutum ſtatim accedo.

Geminas in baptiſmatis forma partes præcipuas Theologi de more diſtingunt: primam qua baptizantis actus exprimitur, *Ego te baptizo*: Alteram, qua SS. Trinitas invòcatur: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* De prima formæ parte inter viros ſummè Catholicos controverſia fuit, num ea formæ pars ita neceſſariò foret a baptizante proferenda, *Ego te baptizo*; ut ſi quis eam omitteret baptizando, irritum evaderet Sacramentum. Fuere quippe qui dicerent, ſatis eſſe, ſi actus baptizantis exerceretur, aquam ſcilicet infundendo, aut puerum in aquam immergendo, tametſi in forma ipſa, nulla illius actus mentio fieret. Ecquid enim, inquiebant illi, neceſſe eſt diſtincta voce pronunciare *Ego te baptizo*, dum re ipſa baptizo? Quandoquidem res ipſa longè meliùs facto, quàm verbo expreſſa eſt. Quare baptiſmum validum fore propugnabant, ſi quis aquam infundens, aut puerum in aquam immergens, nudè ac ſimpliciter diceret. *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.*

Id ipſum opportuno, ut videbatur, exemplo confirmabant. Tam eſt, inquiebant illi, de ratione ſacrificii, ut ſit oblatio externa Victimæ alicujus ſoli Deo facta, quam eſt de ratione baptiſmatis, ut ſit ablutio quædam exterior; Atqui ut rata ſit legitimaque oblatio victimæ in ſacrificio, non eſt neceſſaria vocalis oblatio, ſeu neceſſe non eſt, ut Sacerdos hæc verba proferat, *Ego tibi offero omnipotens Deus*; ſed ſatis eſt ſi re ipſa victimam offerat, eam ſcilicet altari ſuperponendo: igitur pari titulo inquiebant, ut validum ſit baptiſma neceſſe non eſt, ut Miniſter expreſsè dicat, *Ego te baptizo*, ſed ſatis eſt, ſi re vera de facto baptizet, & abluat.

Cla-

Claromonti, in Gallia nostra, nata est controversia hæc, duodecimo cadente sæculo, occasione viri cujuspiam, qui periclitantem filium baptizavit præcipitanter, his verbis omissis, *Ego te baptizo*; aliisque duntaxat pronunciatis. *In nomine Patris & Filii & Spiritus S.* Pontius Claromontanus Episcopus, Stephanum Tornacensem Episcopum Litteris convenit, sententiam ea de re quæsiturus; Num esset ratum validumque baptisma? Respondit ille, validum prorsus esse: propterea quòd, ajebat ille, omissa verba. *Ego te baptizo*; de necessitate ministerii duntaxat essent, non de necessitate Sacramenti. Verùm hac ipsa de re consultus subinde Mauritius Episcopus Parisiensis, sententiam oppositam dixit, datumque baptisma irritum pronunciavit. Quare in eo variarum opinionum conflictu ad Alexandrum III. R. P. quæstio lata est, qui Parisiensis Episcopi judicium probavit, & confirmavit, Baptisma nullum & irritum judicando. Extat Pontificium Rescriptum. *Extra de baptismo, & ejus effectibus Cap. Si quis* in hæc verba: *Si quis puerum ter in aquam immerserit, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. & non dixerit ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. non est puer baptizatus.*

Sed & hac ipsa ætate nostra cum Baptismum eo modo collatum (verbis scilicet illis minimè prolatis, *Ego te baptizo*) validum in Belgio maleferiatus aliquis Theologaster docuisset, ab Alexandro VIII. R. P. novo fulmine ictus est anno 1690. die 7. Decembris, dum assertionem illam, inter alias longè multas, de Consilio supremæ Inquisitionis, condemnavit: *Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. prætermissis illis verbis, Ego te baptizo.* (*a*) Caussa ergo finita est. Cœlum tonat, ranæ taceant.

Ratio judicii Pontificii, ista, quantum capio quantum sapio, esse potest; quod exterior hominis ablutio, varios ob fines fieri possit; aut ad corporis munditiam, aut ad sanitatem procurandam, aut etiam ad jocum, aut ludum; atque ita necesse est ablutionem, ex ipsa verborum forma, ita determinari, ac figi, ut ad Sacramentum baptismatis conferendum, re vera fieri significetur: id autem satis non explicant nuda verba, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* (cum in sancto hujusmodi nomine omnia facere jubeat Apostolus *ad Coloss.* 3.) nisi & præmittantur alia verba, *Ego te baptizo*, quæ ex usu Ecclesiastico Sacramentalem ablutionem significant.

Neque verò dixeris, ablutionem illam, & SS. Trinitatis invocationem, ad baptismi ritum perficiendum, & sola intentione Ministri abundè determinari, quamvis alia verba, baptizantis actum ex-

(a) *Apud Tournelii Edit. Venet. Pag.* 47. *de Bapt. Anni* 1579.

exprimentia, sileantur: frustra inquam id dixeris: quia ut scitè monet Doctor Angelicus 3. *par. q.* 64. *Art.* 8. hæc ipsa intentio ministri verbis ipsis exprimi debeat, in iis saltem Sacramentis, quæ in forma sua Ministri actum expressum habent, quale est baptismatis Sacramentum: Iis porro verbis, *Ego te baptizo*, intentio Ministri Ecclesiæ nomine baptizantis duntaxat exprimitur.

Quod autem ajebant contrariæ sententiæ vindices actum baptizandi meliùs exprimi facto quàm verbo, seu baptismatis actuali collatione meliùs exprimi, quàm verborum illorum prolatione, *Ego te baptizo*: Id inquam futilissimum est. Quia factum illud, nempe collatio baptismatis seu exterior illa corporis ablutio factum se solo æquivocum est, Sacramenti baptismatis collationem necessariò non exprimens, sed qualemcumque corporis ablutionem, seu sacram, seu prophanam, seu fortè jocosam, nisi verbis illis expresè præmissis exerceatur, *Ego te baptizo:* quæ ex Ecclesiæ usu ad Sacramentalem baptismatis collationem significandam unicè valent.

Rem totam familiaribus exemplis aperiam: si cui ego alapam impingam, necesse profectò non est, ut ei dicam, *alapam tibi ad injuriam impingam*: alapa enim se ipsa loquitur, illatamque prodit injuriam. E contra si ingenuus adolescens puellæ dederit annulum necesse omnino est, ut ei dicat, *accipio te in Uxorem*, si eam velit in Uxorem accipere, quia traditio annuli se sola Matrimonium necessariò non sonat; cum & possit annulus ex mera urbanitate puellæ donari. Sic ergo, quia ablutio corporis exteriùs facta Sacramentalem ablutionem se sola non sonat, necesse omnino est, eam ad Sacramentalem ablutionem determinari verbis illis adjunctis, *Ego te baptizo*: quæ ex publico Ecclesiæ usu eam apertè distincteque significant. Ex iis responsio patet ad exemplum incontrarium adductum, ab adversæ sententiæ defensoribus, de Sacrificiis.

Atque ita responsio patet, ad exemplum in contrarium allatum, de sacrificio. Idcirco enim satis est Victimam altari superponi ut sacrificium intelligatur offerri, nec ultra necesse est, ut Sacerdos conceptissimis verbis dicat, *Ego tibi offero omnipotens Deus*, quia victima ipsa Altari superposita, factam sui ipsius oblationem significat; cum ad nihil aliud Altari superponatur victima, quam ut Deo optimo maximo in sacrificium offeratur.

Actum igitur baptizantis verbis exprimi necesse est, ut ratum sit validumque baptisma: seu id Græcorum more fiat, usurpato verbo passivo, *baptizatur servus Christi*: seu more latinorum activo verbo usurpato, *Ego te baptizo*. Utrumque enim ratum habet Ecclesia Catholica.

Cæterum quod ajebat Stephanus Tornacensis Episcopus, a Pon-

tio Claromontano Episcopo consultus (*a*) ut ratum validumque baptisma probaret, quod iis verbis omissis: *Ego te baptizo*, collatum erat; ea scilicet verba necessaria duntaxat esse *necessitate ministerii*, *non necessitate Sacramenti*, id inquam adeo frivolum est ut nihil magis. Cum enim hoc ipsum ministerium, quod a baptizante exercetur, Sacramentale Ministerium sit, profectò non possunt verba illa *Ego te baptizo*, necessaria esse necessitate ministerii, nisi sint quoque necessaria necessitate Sacramenti.

Num autem baptizantis actus, in ejusdem baptismatis collatione sæpius exprimi possit, illæso & inviolato Sacramento; octavo vertente sæculo, a nonnullis dubitatum est: occasione cujusdam rustici, qui puerum sub hac verborum formula baptizaverat: *In nomine Patris te mergo*, *&* *Filii te mergo*, *&* *Spiritus S. te mergo*. Judicium ea in re tulit Stephanus R. P. baptismumque eo modo collatum, ratum validumque dixit, ut legere est. *Tomo* 2. *Conciliorum Galliæ ad anum* 754. Lati hujusce juditii ratio hæc esse potest; quod tunc baptisma cum triplici immersione fieret, puero scilicet ad cujusque personæ SS. Trinitatis invocationem in aquam immerso; sicut ergo ter fiebat immersio, ter quoque immersio exprimi potuit. Maximè cum tres illæ immersiones, eadem occasione factæ, & ad eamdem personam abluendam, una lotio censeretur & esset.

Actum baptizandi in semetipsum exercere jura vetant, adeo ut nemo seipsum sacro baptismate tingere possit. Judicium ea in specie tulit Innocentius III. a Metensi Episcopo sententiam rogatus, occasione cujusdam Judæi, ad Christum de repente conversi, qui ritus nostros edoctus, & sacri baptismatis suscipiendi ardore succensus, sed a quo acciperet non inveniens, in aquam semetipsum immersit, inquiens, *Ego me baptizo in nomine Patris*, *&* *Filii*, *&* *Spiritus S*. Respondit Innocentius, non valere baptisma, Judæumque secundò lustrandum esse; propterea quòd baptizantem inter, & baptizatum debeat esse distinctio; Nemoque semetipsum regenerare possit, uti planè nemo potest generare se ipsum. Tametsi nullum aliunde subesset dubium, quin Judæus ille, ardenti illo quo flagrabat baptismatis desiderio, justificationis gratiam obtinuisset. Legitur Innocentii III. Rescriptum *Cap. Debitum*, *extra de baptismo & ejus effectibus*. (*b*)

Neque obest si quis objiciat, posse aliquem Eucharistiam sibi ipsi administrare, semetipsum Eucharistico pane reficiendo: quasi vero pari jure possit quis semetipsum baptizare. Id enim peculiare habet Eucharistiæ Sactamentum, quod materiæ consecratione, non colla-

(a) *Apud Tournelii de Bapt. Edet. Venetæ Pag.* 46. *anni* 1589.
(b) *Apud Petroconensem Lib.* 2. *de Bapt. c.* 5. *Pag.* 182. *Edit. Patavii* 1535.

collatione & distributione perficiatur : In hoc nempe uno usus a Sacramenti confectione distinguitur. Qui ergo semetipsum aut alios Eucharistico pane reficit, non tunc conficit Sacramentum, sed Sacramentum antea confectum, in usum adhibet; qui autem baptismum confert, baptismum ipsum perficit conferendo.

Actum baptizandi seu abluendi ab eodem exerceri necesse est, a quo baptismatis forma profertur : adeo ut baptisma irritum esset; si uno infundente aquam, alius diceret, *Ego te baptizo*. Cujus rei gemina ratio est. Primò; Quia Minister cujuscumque Sacramenti formam debet applicare materiæ; quod utique non facit; nisi actum baptizandi exerceat ille ipse qui verba profert. Secundò; Quia si qui abluit, verba quoque non profert, sed alius quispiam, forma baptismatis falsa erit. *Ego te baptizo*; Nec enim baptizat qui non abluit, aut immergit; sed verba duntaxat profert; imò hac occasione baptizat, seu abluit alter.

Reponet fortasse nonnemo posse huic occurri incommodo; ut nempe falsa non sit baptismatis forma, quamquam uno actu baptizandi exercente, seu aquam infundente; alter sacrosancta verba pronunciet: Nempe, si more græcorum, forma baptismatis proferatur, *Baptizatur servus Christi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* quandoquidem, inquiet aliquis, verum semper est, servum Domini baptizari, etsi alio, quam a verba proferente, baptizetur, & abluatur. Ad populum phaleras illas. Imò & tunc quoque baptismatis forma falsa esset. Nec enim historicè & ad modum simplicis narrationis alieni facti, Ministri græci dicunt, *Baptizatur servus Christi* sed effectivè; id nimirum efficiendo quod ajunt, cum verba Sacramentorum id efficere debeant, quod significant. Quare dum ajunt Græci, *Baptizatur servus Christi*: subintelligitur, *a me ipso*, non ab alio atque ita falsa locutio esset, si ille ipse qui loquitur, non perinde baptizaret, & ablueret. Id igitur certum indubitatumque, actum baptizandi seu abluendi ab eodem exerceri debere, a quo baptismatis forma profertur.

Hinc D. Thomas 3. *p. q. 67. a. 6.* baptisma irritum pronunciavit, a duobus misellis collatum, quorum unus mutus cum esset, verba proferre non poterat, alter cum esset manibus truncus, nequibat aquam infundere; ita inter se se convenere, operasque partiti sunt invicem, ut muto aquam infundente, truncus manibus verba proferret. Hoc inquam baptisma nullum ac irritum dixit Doctor Angelicus : quia in omni Sacramento conficiendo, debet Minister formam applicare materiæ; formamque materiamque una simul afferre.

Quocirca Romæ cum essem ante annos ferme 50. sub Pontificatu Alexandri VIII. irritas judicari ac declarari vidi, ordinationes

ab Episcopo Lesinensi factas, quia minorum ordinum formam, ad altare in faldistorio sedens proferebat, dum interim Capellani ejus, & Administri materiam ponerent, seu instrumenta tangenda porrigerent ordinandis. Eumdem ergo verba proferre necesse est, qui materiam administrat. Si autem velint ambo, aut etiam plures idem Sacramentum administrare, (quod certissimè possunt) debent omnes ac singuli & materiam simul adhibere, & formam simul pronunciare.

Sed quæris fortè, quid facturi erant miselli illi, de quibus loquitur D. Thomas, ut puerum baptizarent. Cum alter mutus esset, alter manibus truncus?

Respondeo: Poterat illorum unus totum baptismum administrare ipse solus; nempe qui manibus truncus erat. Quamquam enim aquam infundere non posset manibus quibus truncus erat, poterat tamen aquam ore haustam in puerum reflare, & quasi conspuere, verbaque illico pronunciare. Quo facto unus idemque totum ministerium exercuisset: unus idemque integrè baptizasset.

Opponet fortè, ad validum baptisma debere verba proferri quo momento ablutio fit, quod tamen præstare ille non potest, qui aquam reflando & conspuendo ablutionem facit, cum hoc ipso momento verba proferre non possit. At futile illud est. Non enim uno eodemque momento physico, duo illa fieri debent; Satisque superque est, si uno morali momento fiat, quod in sacris ordinationibus experimur.

His ita de actu Ministri baptizantis constitutis, & explicatis, de Trinitatis invocatione, quæ altera baptismatis formæ pars est, dicendum venit. Erit hoc sequentis Prælectionis argumentum.

PRÆ-

PRÆLECTIO IX.

Eadem forma Baptismatis adversus omnis ætatis Hæreticos, propugnatur.

Dicturus hodie, juxta promissi fidem, de altera formæ baptismatis parte, qua SS. Trinitatis invocatio continetur; Hæreticorum omnis ætatis proterviam satis mirari non possum; qui cum eam formæ partem apertissimè lucidissimèque a Christo D. in Evangelio præscriptam legerint, *Mathæi ultimo; Docete omnes gentes baptizantes eos in Nomine Patris & Filii, & Spiritus S.* eamdem tamen ipsi fædissimè vitiarint, & corruperint.

Nequissimos Sacrorum illorum verborum interpolatores invenio in priorum Sæculorum historia, Gnosticos, Cataphrigas, Paulianistas, Arianos, & Eunomianos; qui cum de SS. Trinitatis Mysterio pravè sentirent, erroresque suos cæteris instillare molirentur, baptismum interpolata vitiataque Trinitatis invocatione conferebant. Qua de caussa, homines ita baptizatos, si fortè ad Ecclesiam venirent, denuo baptizandos sanxere, Concilium Nicænum I. *Can.* 19. Laodicænum *Can.* 8. Arelatense pariter *Can.* 8. Sardicense, Constantinopolitanum I. Ephæsinum, (*a*) tria Chartaginensia, ut cætera missa faciam. Hujus generis erat illa Arianorum baptizandi spuria formula, *Ego te baptizo in Nomine Patris majoris, & Filii minoris, & Spiritus S.*, cujus meminit S. Athanasius *Serm.* 3. *adversus Arianos*. Haud paulò deterior erat altera baptismatis forma, *Ego te baptizo in nomine Patris, per Filium, in Spiritu S.* quam iratum de Cœlo numen insigni portento reprobavit, referente Theodoro Lectore *lib.* 2. *Hist.* & Nicephoro Callixto *lib.* 13. *Histor. Cap.* 35. Cum enim Deuterius quidam Arianus Episcopus sub ea verborum forma quempiam nomine Barbam baptizare aggressus esset, aqua piscinæ, in qua facienda erat immersio, de repente evanuit.

Horum interpolatorum impietati obsecundare videntur Lutheranæ & Calvinianæ sectæ Professores: qui licet plenam & integram SS. Trinitatis invocationem in baptismatis collatione adhibere soleant; multa tamen de ea fabulantur plena erroris, & impietatis. Lutherus *lib. de Captiv. Babilon. Cap. de baptismo*, baptismum ratum ait, quibusvis tandem verbis conferatur, modò non detur in nomi-

(a) *Vide Tournelii pag.* 36. 37. 38. *Veneta Edit.* 1589.

nomine hominis; ſed in nomine Domini. Quin etiam ratum fore contendit, ſi eum miniſter in nomine Domini minimè conferret, modò eum in nomine Domini baptizandus acciperet.

Zuinglius *lib. de vera*, *&* *falſa Religione* (*a*) nullam certam baptiſmatis formam præfixam eſſe contendit. Hinc Joannes Ekius *Homil.* 10. *de Baptiſmo*, nonnullos e Zuinglii Schola eſſe monet baptizare ſolitos, non in nomine, *ſed in nominibus Patris*, *&* *Filii*, *&* *Spiritus Sancti*. Quam quidem baptiſmatis formam, Arianam hæreſim ſapere, jamdudum tradiderant D. Ambroſius *lib.* 2. *de Sacramentis Cap.* 7. & S. Hieronymus *in Cap.* 4. *ad Ephesios* (*b*). Nec immeritò: Nomen quippe auctoritatem ac poteſtatem eo loci ſignificat; uti etiam *Marci ultimo; in nomine meo Dæmonia ejicient: Joannis* 5. *Ego veni in nomine Patris mei:* in Patris ergo & Filii & Spiritus S. nominibus baptizare, diſtinctam Patris, & Filii, & Spiritus S. poteſtatem profiteri eſt: quod certè Arianam hæreſim ſapit.

Audacior cæteris omnibus Joannes Brentius in Catechiſmo *Cap. de Baptiſmo*, ratum Sacramentum fore pronunciat, ſi miniſter, miſſa Trinitatis invocatione, poſt recitatum à Catechumeno Symbolum fidei, ita diceret, *Ego te baptizo in hanc recitatam fidei profeſſionem*. Ita viri ab Eccleſia ſegreges de forma baptiſmatis audaces ariolantur.

Paulò mitiùs ac religioſiùs veteres nonnulli ſtatuerunt, intra Eccleſiam Catholicam: qui licet ea invocationis SS. Trinitatis verba, interpolare, corrumpere, violare nefas dixerint, compendio tamen dici poſſe exiſtimarunt: ratumque baptiſma ſunt opinati, quod his verbis ſimpliciter conferretur. *Ego te baptizo in nomine SS. Trinitatis*, nulla diſtinctè appellata perſona; Quod certè baptiſma num ratum validumque foret, definire omnino non auſim; Alii de Eccleſia Catholica viri, alio compendio uti aliquantulum ſubtiliori, validum baptiſma fore cenſuerunt, quod in unius duntaxat divinæ perſonæ nomine conferretur maximè verò Secundæ, hoc eſt, Chriſti D. cæteris perſonis non negatis quidem, ſed ſilentio miſſis; ea nimirum ratione ducti, quod una perſona pronunciata, cæteræ compendio velut intelligantur, quarum eſt una eademque natura. Imò non deſunt Theologi de Schola, qui Apoſtolos in unius Chriſti nomine baptizaſſe ſibi perſuaſerint, ex iis actuum Apoſtolicorum verbis toties ingeminatis, de primis fidelibus, *baptizati tantùm erant in Nomine Domini Jeſu*, *Capp.* 2. 8. 10. *&* 19.

Nobis longè videtur aliter: Nec illa ſolùm hæreticorum, de qui-

(a) *Vide Tournelii de Bapt. pag.* 61. *Edit. Venetæ* 1589.
(b) *Apud Tournelii Tom.* 2. *pag.* 59. *Edit. Venetæ* 1589.

quibus paulò antea dicebamus, commenta seu blasphemias execramur; sed hanc ipsam Catholicorum illorum Theologorum opinationem improbamus: Nullumque omnino baptismum esse dicimus, qui absque expressa atque distincta trium personarum invocatione conferretur. Ita planè Sacræ Litteræ, ita Patrum immota & imperturbata Judicia, cui non stare nefas est.

Explicatissima in primis Evangelii verba sunt, *Matthæi ultimo*: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus S.* Quæ ita a veneranda majorum traditione excepta sunt, ut si alterutra divinarum personarum silentio mitteretur, irritum fieret, & inutile Sacramentum.

Prodit primus in ordine D. Cyprianus *Epist.* 73. ad Jubajanum, (*a*) ubi Petri Apostoli verba recolens *Actorum* 2. *Baptizetur unisquisque vestrum in nomine Domini Jesu Christi:* quibus nonnulli perperam abutuntur, ut baptisma in solius Christi nomine collatum, validum dictitent, ita commentatur SS. Doctor, *Jesu Christi mentionem fecit Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoque Filius adjungeretur. Ubi enim post resurrectionem, Apostoli ad gentes mittuntur a Domino, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. gentiles baptizare jubentur: quomodo ergo quidam dicunt foris extra Ecclesiam, imò & contra Ecclesiam, modò in nomine Jesu Christi, ubicumque & quomodocumque gentilem baptizatum, remissionem peccatorum consequi posse; quando ipse Christus gentes baptizari jubeat in plena & adunata Trinitate?* Quo nihil explicatiùs desiderari a quoquam potest. Imò si D. Cypriani verba rectè pensemus, atque intimiùs expendamus, comperiemus, Doctorem SS. contrariam opinionem velut erroneam rejecisse: quandoquidem eam, *& extra Ecclesiam & contra Ecclesiam* excogitatam esse contendit.

Suffragatur S. Basilius cognomento Magnus *lib. de Spiritu S. Cap.* 12. (*b*) ubi nonnulla Apostoli loca ad crisim revocans, quibus solius Christi meminit, dum de baptismo collato sermonem habet, *neminem vero*, inquit, *in fraudem inducat illud Apostoli, quod nomen Patris, & Spiritus S. in baptismatis commemoratione frequenter omittit: neque ideo putet harum vocum usum esse indifferentem .... Imò si in baptismo separare Spiritum S. a Patre, & Filio periculum est baptizanti, ita baptismum accipienti, inutile est.* Nullum itaque baptismum existimat D. Basilius sine distincta personarum expressione collatum; ipsique suscipienti prorsus inutilem esse contendit.

Favet

(a) *Apud Tournelii pag.* 126. *Edit. Venetæ* 1589.
(b) *Vide Tournelii pag.* 40. *Edit. Venetæ* 1589.

Favet utroque pollice D. Augustinus *lib.* 3. *contra Maximinum Arianum Cap.* 17. *Qui Patre, & Spiritu S. non nominatis in actibus Apostolicis jussi sunt baptizari, intelliguntur non baptizati, nisi in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* Qui scilicet in forma baptismatis distinctè sunt nominati.

Subscribit non absimiliter Facundus Hermianensis *lib.* 1. *pag.* 22. *Quod autem*, inquit, *in nomine Domini Jesu, hi quos memoravimus, baptizati narrantur, non ex eo credendum arbitror, quod in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. baptizati sint, ut etiam in ipsis servaretur verbis, a Domino constituta forma baptismatis*.

Idem constat ex Decreto Pelagii Rom. Pont. nomine laudato apud Gratianum *dist.* 4. *de consecratione Cap. si vera*: *Et ex Epist.* 2. Zachariæ Rom. Pont. ad Bonifacium Episcopum, ubi deffinitionem ab eo cæterisque Collegis in Synodo factam approbat; qua nimirum statutum erat, *ut si quis vel unam de Trinitate personam, in baptismo non nominaret, illud baptisma verum esse non posset*. Quibus Synodi verbis recitatis subjungit Zacharias: *Hoc certè verum est, quia qui unum ex Sancta Trinitate professus non fuerit, perfectus Christianus esse non potest:* Quare Presbyterum quemdam oppositum asserentem, *Vacuum Spiritu S. & alienum à gratia Christi, atque a Consortio Sacerdotali abjiciendum esse*, declarat.

Quæ cum ita sint omnia, mirari profectò subit in ipsa Ecclesia Catholica inveniri potuisse Theologos aliquos, qui eam sententiam tuerentur; SS. Patrum suffragiis, summorumque Pontificum statutis palam apertèque repugnantibus.

Jam quæret quis fortassis a me; quæ ratio summis illis Pontificibus, laudatisque Patribus esse potuerit, ut expressam distinctamque trium personarum invocationem, omnino necessariam dicerent, in forma baptismatis, ut ratum esset validumque Sacramentum?

Respondeo cum Doctore Angelico; quia forma baptismatis a Ministro pronunciata, publica fidei professio debet esse Mysterii Trinitatis; Talis autem esse non potest, nisi tres personæ expressè distinctèque nominentur, nec sufficit si compendio tantùm sint nominatæ.

Erit tamen qui contra hanc ipsam rationem a D. Thoma datam opponat: Non explicatior & accuratior fidei professio desideratur in Ministro, quam in baptizando adulto: At in adulto baptizando satis est fidei professio, compendio facta; si nempe adultus profiteatur se credere *in Jesum Christum Filium Dei:* Itaque pariter non desideratur in Ministro, nisi ut baptizet *in Nomine*

mine

mine Jesu Christi Filii Dei. Hoc probatur exemplo Eunuchi Reginæ Candacis *Actorum* 8. *Credo Jesum Christum esse Filium Dei*.

At Disparitas longè maxima est: qui enim baptizatur, in recipiendo baptismate, non est nisi persona privata: qui vero baptizat est persona publica; fideique professionem edit nomine Ecclesiæ in prolatione verborum, quæ non suo, sed totius Ecclesiæ nomine profert. Quare professio fidei compendio ab eo fieri non debet, sed plenè & integrè.

PRÆLECTIO X.

Theologorum quorundam momenta convelluntur, qui Baptisma in unius duntaxat divinæ Personæ nomine collatum, ratum ac validum esse contendunt.

CUm Theologis nonnullis primæ notæ, seu priscis seu recentibus lis nobis est hodie, qui baptisma ratum ac validum arbitrantur, quamquam in unius duntaxat divinæ personæ nomine conferatur; maximè Christi D., cujus unius appellatione cæteras quoque personas virtute veluti contineri arbitrantur. *Qui enim Christum dicit*, inquiunt illi, *& Filium dicit, qui unctus est, & Patrem a quo unctus est, & Spiritum Sanctum quo unctus est*. Horum itaque Theologorum momenta in præsentia diluemus: quod ut spero ita feliciter fiet, ut nemo non intelligat facilè; quam levibus futilibusque rationibus adnitantur.

Apostolorum in primis exemplo se muniunt, quos in unius Christi nomine baptizasse colligunt, ex actibus Apostolicis *Cap.* 2. ubi Petrus Judæos alloquens, *pœnitentiam*, inquit, *agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi*. Tum *Cap.* 8. ubi de Samaritanis notatum est, *Spiritus Sanctus nondum in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant in nomine D. Jesu:* Tum *Cap.* 19. *Jussit eos baptizari in nomine Domini Jesu Christi*. Hincque ratum fore baptisma colligunt, quod cæteris Personis silentio missis, in unius Christi nomine conferretur.

Consecutionem hanc negare mihi fas fuerit, tametsi in unius Christi nomine, Apostolos baptizasse fateremur. Neque enim quod ab eis speciali revelatione, Deoque singulariter dispensante factum esset; in exemplum trahi posset, ut contra sancitæ legis dispositionem, secutis temporibus fieret: generalis quippe lex Matthæi ultimo lata est: *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus S.*

Sed & hoc insuper diffitemur omnino, Apostolos in unius Jesu Christi nomine, cæteris Personis omissis, fideles sacro baptismate expiasse. Ea quippe Scripturæ verba, quibus fideles baptizati dicuntur, *in nomine Jesu Christi*, non unius Christi nomen, in

forma

forma baptismatis expressum inuunt; sed id unum significant, fideles illos, Christi D. auctoritate fuisse baptizatos, seu baptismate a Christo D. instituto. Cum enim ea ætate, memoria baptismi a Joanne frequentati recens esset, multique ab eo baptizati, etiam tum in vivis degerent; quotquot sunt ab Apostolis baptizati, in Christi nomine baptizati dicuntur. Ut nimirum illos non Joannis, sed Christi baptisma suscepisse, perspectum esset.

Certè Apostolos cum trium divinarum Personarum invocatione baptisma contulisse; oppositumque ex iis Scripturæ locis extundi non posse; profitentur Ecclesiæ Patres, in superiori Prælectione laudati, digni Scripturarum Interpretes, Cyprianus, Basilius, Augustinus, Facundus Hermianensis: quorum hæc una vox est; *In nomine Christi Apostolos baptizasse, non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoque Filius adjungeretur*. Hoc idem ex ipsis Apostolorum actibus non obscurè colligitur *Cap.* 19. Si modò attentè ponderetur. Cum enim Apostolus quosdam Ephesios interrogasset, *Si Spiritum S. accepissent credentes*; responderunt illi, *neque si Spiritus S. est audivimus*: Ad quæ Paulus confestim reposuit, *in quo ergo baptizati estis?* qui dixerunt, *in Joannis baptismate:* quare illos Christi baptismate baptizari jussit. Porro, inquio ego, Ephesios respondentes, se nescire *an Spiritus S. esset*, frustra nova hac interrogatione urgeret Apostolus, *in quo ergo baptizati estis?* Nisi in nomine Spiritus S. æquè ac in nomine Christi baptizare soliti essent Apostoli.

Neque verò ulla ratio suberat; cur Apostoli speciali quadam dispensatione, præter legem in Evangelio sancitam, in solius Christi nomine baptizarent. Quod enim dicunt aliqui, ea illos dispensatione usos esse, ut Jesu Christi Nomen, quod Judæis ludibrio erat, honorabile fieret; futile est; Tum quia nemo veterum Patrum hujusce dispensationis fidem fecit; tum quia perinde, imò multo magis, honor Christi nomini conciliari poterat, si una cum cæteris divinis Personis invocaretur Jesu Christi Nomen, hoc pacto: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii ejus Jesu Christi, & Spiritus S.* Quod forsan Apostolicis temporibus factum est: legiturque apud Pseudo Abdiam Babylonicum, cujus tamen apud Eruditos suspecta fides est.

Frustra vero Doctoris Angelici auctoritate se muniunt aliqui recentiores: quasi ille Apostolos ea usos dispensatione in solius Christi nomine baptizasse, docuisset, 3. *part. quæst. 66. art.* 4. *ad* 1. Duplex etenim quæstio, hac in parte secernenda venit; facti una, Juris altera. Facti quæstio est, an re ipsa in solo Christi nomine Apostoli baptizarint. Quæstio vero juris est, an si Apostoli ita baptizasse perhibeantur, ordinario id jure fecerint, adeo ut factum

illorum in exemplum trahi possit; an ex peculiari dispensatione id fecerint? Priorem facti quæstionem non expendit Doctor Angelicus: quia eas sibi partes non assumpsit in summa Theologica, ut historicas controversias agitaret: quæstioni juris duntaxat incubuit, ex operis instituto. Quare dum ad varia illa Scripturæ loca respondens in solutione ad 1. ait *Apostolos ex speciali dispensatione in solo Christi nomine baptizasse*, Hypoteticha responsio est, qua de jure pronunciat, non de facto. Quasi dicat, si Apostoli in solo Christi nomine baptizarunt, ut objectum argumentum adstruere videtur, id in exemplum trahi non potest, quod ab iis speciali duntaxat dispensatione factum est. Et hoc certè fatemur, quotquot D. Thomæ Discipuli sumus; sed quid vetat, huic Doctoris Angelici responso hoc alterum addere ad facti eliquationem; nec sic quidem Apostolos baptizasse, cum & id ex antiquis Ecclesiæ Patribus certissimè colligatur. Sic certè non impetitur D. Thomæ Doctrina, sed novo potius adminiculo roboratur.

Negotium facessit aliquod Nicolai I. R. P. Responsum ad consulta Bulgarorum *Cap.* 104. ubi de Baptismo, a quodam Judæo, aut fortè pagano ministrato, sententiam rogatus, valeret ne, an non; hoc illis responsum dedit: *A quodam Judæo nescitis, an fortè Pagano, multos in Patria vestra baptizatos asseritis, & quid de his sit agendum consulitis. Profectò si in Nomine SS. Trinitatis, vel tantùm in Nomine Christi, sicut in actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt, constat eos non esse denuo baptizandos.* Quo responso satis innuit Nicolaus R. P. non modò Apostolos in solo Christi nomine baptizasse; sed & validum etiam nunc fore baptisma, si in solo Christi nomine conferratur.

Sed neque id multum incomodat, si duo in Nicolai I. Responso secernamus: Unum de quo a Bulgaris quærebatur, quodque ex instituto decernit atque definit: alterum de quo illi mota quæstio non erat, quodque obiter ac præter institutum attingit. Primùm religiosum à vobis obsequium postulat, ac veluti Romanæ Sedis oraculum excipiendum est: Alterum uti privati Doctoris opinatio habendum venit, & ex Cathedra minimè profectum. Quod à Bulgaris quærebatur, id unum erat, num Baptismus a Judæo vel pagano collatus, validus esset? hunc validum definit Nicolaus, si in Trinitatis nomine collatus inveniatur: Infidelitatem conferentis, nihil valori baptismatis obsuisse decernit. En Sedis Apostolicæ oraculum, totius Ecclesiæ veneratione receptum. Quòd autem obiter & in transcursu, præter institutum attingit Nicolaus, disjunctiva illa est definitioni assuta, *vel tantùm in nomine Christi, sicut in actibus Apostolorum legimus*, En singularem Nicolai I. uti privati Doctoris opinationem, quam Ecclesia ipsa non pro-

probat, quia neque ad illius decessorum statuta, neque ad Patrum traditionem exacta est. Ne quis porro responsum hoc nostrum ut nimium audax criminetur atque sugillet; sciant omnes hanc nobis distinctionem subministratam esse a Melchiore Cano, Concilii Tridentini Theologo præstantissimo, & Pontificiæ indeficientiæ, in decernendis fidei quæstionibus propugnatore acerrimo *lib. 6. de locis Theologicis*.

Difficiliùs fortasse fuerit, S. Ambrosium benigno sensu interpretari, ne sententiæ quam impetimus patrocinatus videatur *lib. 1. de Spiritu Sancto Cap.* 3. Alterutram quippe personam, in baptismatis collatione nominari, satis esse putat, modò aliæ non negentur, sed tantummodo sileantur. En S. Doctoris verba: *Si unum in Sermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum Sanctum; fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum Sanctum abneges, plenum est fidei Sacramentum:* Nempe baptisma. Cujus sententiæ rationem subjungit; *quia si Christum dicas, & Patrem a quo unctus est, & ipsum qui unctus est, & Filium, & Spiritum S. quo unctus est designasti*. Quo nihil prima fronte videtur luculentiùs.

Verùm nec id quoque incommodè cedit, si D. Ambrosiii contextus paulò penitiùs perpendatur. Non enim agit ibi SS. Doctor de forma baptismatis, seu de verbis quæ a Ministro proferuntur in baptismatis collatione; quasi satis esse putet, alterutram personam nominare, ut sit validum Sacramentum; sed agit de productione effectus ipsius baptismatis; idque sibi vult unum, nempe effectum baptismatis, (seu spiritualem baptizati regenerationem, Divinæque gratiæ infusionem) omnibus simul personis, tamquam causæ efficienti attribui, dum vel uni personæ attribuitur: quia effectus quicumque ad extra producti, a tota Trinitate producti intelliguntur, ex quo ab una persona producti dicuntur. Quæstionem enim ibi agitat D. Ambrosius a Theologis solitam agitari, utrum opera Trinitatis ad extra, toti Trinitati communia sint: eamque affirmativè definit, uti & Theologi affirmativè definiunt: probatque exemplo effectus a SS. Trinitate ad extra producti, in collatione baptismatis; qui certè ab omnibus personis productus censetur, ex quo ab una persona productus dicitur. Dum itaque loco laudato ait D. Ambrosius, *si unum in sermone comprehendas, aut patrem, aut Filium aut Spiritum S. fide autem nec Patrem nec Filium nec Spiritum S. abneges, plenum est fidei Sacramentum*; hunc sensum habet; si de effectu baptismatis sermonem faciens, solum nominas Patrem, aut Filium, aut Spiritum S. cui effectum illum attribuas, perinde est, ac si personas omnes nomines omnibusque effectum illum adscribas: perindeque stat sacri baptis-

ptismatis efficacia: De forma igitur baptismatis non est hic sermo; quasi verò Ambrosius somniavit, satis esse ad valorem baptismatis, si una duntaxat persona in ea baptismatis forma nominetur & invocetur. Certè quotquot eam D. Ambrosii laxiviam ostentant, ut hanc illi sententiam affingant, non satis advertunt, quàm apertè, quam disertè totius Trinitatis invocationem, ad integram baptismatis formam, necessariam esse propugnaverit *lib. 2. de Sacramentis Capp. 5. & 7.* Quod si vel obiter observassent Theologi illi, nusquam illum sibi pugnantia locutum effutiissent.

Instabit fortasse nonnemo ex D. Ambrosio jam laudato; *Qui Christum dicit, & Patrem a quo unctus est, & ipsum qui unctus est Filium, & Spiritum S. quo unctus est, designavit:* Ergo baptismus collatus in solo nomine Christi, in nomine trium personarum, quæ solo eo nomine designantur, collatus censeri debet; adeoque validus est habendus.

Respondeo; Patrem & Spiritum S. implicitè duntaxat, virtualiter, & obliquè in solius Christi nomine importari, quatenus Pater Christum Filium unxit, & quidem Spiritu S. unxit: quod certè non sufficit ad legitimam baptismatis formam. Quia cum hæc fiat tamquam publica fidei professio, & quidem totius Ecclesiæ nomine; necesse est tres SS. Trinitatis personas, in ea expressè atque distinctè nominari.

Opponet a ratione Theologica importunus aliquis cavillator: Tanta est potestas unius duntaxat personæ SS. Trinitatis, quanta est omnium personarum: Itaque tantundem valet baptisma, si in unius duntaxat personæ nomine conferatur, ac si conferatur nomine omnium.

At consecutio absona est. Non enim in nomine omnium Personarum, conferendum baptisma contendimus; quod sit major omnium potestas, quam unius duntaxat; sed quod ita præscripserit Christus in Evangelio, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Idque ita præscripsit ipse, quia fidei professionem de Trinitatis Mysterio in baptismatis collatione fieri voluit. Quæ professio plena & integra, sine distincta trium Personarum nuncupatione fieri nequit.

Quæ cum ita sint, ut hactenus demonstravimus, multò minus ratum haberi potest Baptisma collatum olim a quodam rustico, nulla Divina nominatá persona, sed dicendo duntaxat, *Ego te baptizo in nomine Dei, & Sanctæ Crucis:* Quamquam illud probare videatur D. Bernardus *Epist.* 340. Huic enim Abbatis Sanctissimi privatæ opinioni prævalet Traditio, Patrumque sententia. Quamquam & illud addi potest, duo Benedictinæ familiæ lumina, Gabrielem Herberonum, & Joannem Mabillonium, nostrumque Na-

talem

talem Alexandrum, Viros criticæ artis peritiſſimos, Epiſtolam illam, D. Bernardo ſuppoſitam opinari, idque haud levibus momentis evincere, quæ, ſi per otium licet, apud illos legi poterunt.

Poſt agitatas controverſias de materia & forma baptiſmatis; reliquum eſt ut de ejuſdem Miniſtro diſputemus.

PRÆ-

PRÆLECTIO XI.

Prisca Patrum Orientalium de Ministro Baptismi Controversia refertur.

Est illa, quæ me de baptismi Ministro disputantem plurimùm movet, Tertulliani digna sententia: *Veritati nihil præscribere potest; non spatia temporum, non patrocinia personarum, non intervalla locorum*. Si quis enim error, aut vetustate temporum stabiliri, aut illustrium defensorum patrocinio confirmari, aut locorum diffusione communiri potest, is ille profectò esset, qui de fide in Baptismi Ministro necessaria, tertio Christiani nominis sæculo suscitatus est; a sanctissimis Præsulibus variisque Synodis confirmatus, ac toto penè Oriente diffusus. Rerum omnium seriem texere, operæ nostræ pretium erit; ut quæ nobis hujus erroris occasione difficultates eliquandæ veniunt, oculis subjiciamus.

Fidem in Baptismi Ministro omninò esse necessariam, atque ita baptismum ab Hæreticis collatum nullum esse, hominesque ab iis lustratos, denuo tingi opotere, defendit primus omnium Agrippinus Episcopus Cathaginensis, S. Cypriani decessor, statuitque ea de re inito Concilio, quod ad Annum Christi 215. refert Conciliorum Editio novissima. Jactis in Africa fundamentis, in Orientem cito propagatus est error: ibique magni nominis viros ac sanctitate etiam insignes propugnatores habuit, Firmilianum præcipuè, Cæsareæ in Cappadocia Episcopum, & S. Dionysium Alexandrinum; Synodisque plurimis stabilitus est, maximè verò Iconiensi, & Synadensi anno circiter 256. Prioris illius Synodi meminit Firmilianus iu Epistola ad Cyprianum, quæ inter Cypriani ipsius Epistolas extat ordine 75. utriusque verò mentionem ingerit S. Dionysius Alexandrinus *Epist.* 3. de Baptismate ad Philemonem Romanum Presbyterum data, cujus insignia fragmenta refert Eusebius *lib.* 7. *Hist. Eccles. cap.* 6.

At nuspiam error ille majores, quàm in Africa vires obtinuit. Januarius aliique Numidiæ Episcopi, de iterando hæreticorum baptismate, ad S. Cyprianum aliosque Antistites Carthagine congregatos, litteras dederunt: quare prima ea de re Synodica consultatio Carthagine habita est anno Christi 256. Decretum est, Hæreticorum baptisma nonnisi inane Sacramenti simulacrum esse: atque idcirco ab Hæreticis lustratos rebaptizandos esse, seu potius sim-

ſimpliciter baptizandos. Rebaptizationis quippe nomen Patribus Africanis inviſum ſemper fuit. *Nos*, inquit, S. Cyprianus, *Epiſt.* 71. ad Quintum, *dicimus, eos qui ab Hæreſi veniunt, non rebaptizari apud nos, ſed baptizari. Neque enim accipiunt illic aliquid, ubi nihil eſt; ſed veniunt ad nos, ut ſic accipiant, ubi & gratia, & veritas omnis eſt; quia & gratia, & veritas una eſt.* Extat hujuſce ſynodicæ conſultationis decretum, in Epiſtola ſynodica, quam S. Cyprianus, una cum Epiſcopis ſibi aſſidentibus, ſcripſit ad Januarium cæteroſque Numidiæ Epiſcopos, quæ inter ejus Epiſtolas 70. locum occupat.

Synodum alteram eodem anno Carthagine celebravit S. Cyprianus, ad quam Epiſcopi ſeptuaginta & unus convenerunt, ut quæ in priorem de baptiſmo hæreticorum minimè recipiendo ſancita erant, pleniore ſententia confirmarentur. Ex ea Synodo, S. Cyprianus una cum cæteris Epiſcopis, ſynodicam, ad Stephanum Rom. Pont. Epiſtolam dedit, qui cæteras inter illius Epiſtolas 71 eſt, qua ipſum de ſuæ Synodi actis certiorem fecit, utque illis præberet aſſenſum, atque auctoritatis ſuæ pondus adjiceret, efficere conatus eſt. Interim alteram ad Jubajanum Epiſtolam ſcripſit idem Cyprianus, *numero* 73. in qua multis argumentis ipſi perſuaſit, Baptiſma hæreticorum nullum, & irritum eſſe: Alteramque cæteris frequentiorem Synodum Carthagine celebravit, in qua 87. Epiſcopi Africani ſententiam de Hæreticorum iterando baptiſmate dixerunt, veriſimilibus eam rationibus confirmantes.

Stephanum Rom. Pont. vehementer improbaſſe S. Cypriani, & Africanorum antiſtitum ſententiam, ac Synodorum Carthaginenſium decreta, de Baptiſmo Hæreticorum iterando, certiſſimum eſt: tum ipſius Cypriani teſtimonio, tum cæterorum omnium Scriptorum auctoritate, tametſi reſcriptum ejus, quo acta reſcidit, temporum injuria perierit. Conſtat inſuper Firmiliani aliorumque orientalium Legatos, qui Synodorum acta Romam detulerant, duriùs illic exceptos eſſe, iiſdem negatum hoſpitium, negatum oſculum. Id quippe Firmilianus ipſe profeſſus eſt Epiſtola inter Cyprianicas 75. dubium tamen eſt, num orientales, ipſumque S. Cyprianum cum Coepiſcopis excommunicarit Summus Pontifex.

Acceptis Stephani Summi Pontificis Epiſtolis, quibus Synodorum Carthaginenſium Acta in irritum mittebat, & Hæreticorum baptiſma ritu Eccleſiaſtico miniſtratum validum aſſerebat, priſtinam ſententiam non depoſuit S. Cyprianus, nec ceſſit auctoritati Pontificiæ, quam ratione deſtitutam exiſtimabat. Qua de re ad Pompejum Epiſtolam direxit paulò duriorem, qua Rom. Pontificem duriùs exagitat, uti in errorem prolapſum, & Hæreticorum cauſæ patrocinantem: Quin etiam decretum ejus perperam acci-

piens, & in absonum sensum detorquens, eidem vitio vertit, quod omnium planè hæreticorum baptisma ratum ac validum statuisset, tametsi verbis Evangelicis collatum non esset. Vix dici queat quantum in Pontificem exarserit Cyprianus; erat enim animo acer, propositi tenax, flecti ac mollescere nescius, in ea maximè sententia propugnanda, quam Synodorum auctoritate communitam noverat: cæterum num tandem sub vitæ finem suum ipse castigarit errorem publico aliquo documento, dubium est. Id piè opinatus est Augustinus *Epist.* 48. non tamen constanter asseruit. *Correxisse Cyprianum istam sententiam non invenitur; non incongruenter tamen de tali viro existimandum est, quod correxerit, & fortè suppressum sit ab eis, qui hoc errore nimium delectati sunt*, (videlicet Donatistis) *& tanto veluti patrocinio carere noluerunt*. Episcopos alios Cypriani collegas, palinodiam tandem aliquando decantasse, monet S. Hieronymus *in Dialogo contra Lucifer. Cap. 8. Illi ipsi Episcopi*, inquit ille, *qui rebaptizandos hæreticos cum eo statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti, novum emisere Decretum*. (*a*) At quid ipse Cyprianus tandem egerit, ne verbulo quidem innuit.

Ut ut est, tametsi eo in capite graviter Cyprianus errarit, ejus nihilominus culpam multiplici ratione minuit S. Augustinus, in libris contra Donatistas elaboratis. Primò; Quia ita affectus erat animo, ut oppositæ consuetudini cederet, secundum quam ratus in Ecclesia Romana habebatur hæreticorum baptismus, modò Concicilii Oecumenici auctoritate confirmata esset, & graviori rationum pondere vindicata. Secundò; Quia absque dispendio unitatis, & pacis Ecclesiasticæ, suam de rebaptizandis hæreticis sententiam propugnabat. Tertiò; Quia quæstionem hanc disciplinæ duntaxat esse opinabatur, nequaquam tamen ad fidei capita pertinere. Quartò. Quia nævus ille in candore sanctæ Animæ, Charitatis uberibus tegebatur, ac tandem Martyrii falce penitus amputatus est: Porro quo tempore Orientales cum Firmiliano ab errore, qui eis cum Cypriano communis erat, resipuerint, controvertitur.

Post Cyprianum ad superos vocatum, sataque ultima ab iis Africanis Episcopis persoluta, imò post errorem in Conciliis Oecumenicis proscriptum, eumdem illum instaurarunt auxeruntque Donatistæ. Enim verò Cyprianus, & qui cum illo sentiebant, eos ceu hæreticos non habebant, qui hæreticorum baptisma ratum habebant; Donatistæ è contra, quotquot hæreticorum baptisma ratum existimabant, usque adeo velut hæreticos sugillabant, ut illos ipsos qui ab iis tincti fuerant denuo lustrarent. Id illis maximè vitio vertit Augustinus *libro de unico Baptismo cap.* 13. ubi Dona-

(a) *Apud Tournelii de Sacram. in genere Edit. Veneta Anni* 15.

Donatistas cum Cypriano ejusque Collegis conferens, *Rebaptizare hæreticos*, inquit, *quod illi fecisse dicuntur, tunc fuit humani erroris: rebaptizare autem Catholicos, quod adhuc isti faciunt, semper est Diabolicæ præsumptionis*. Rursus Cyprianus cæterique Collegæ, nullo antea Oecumenici Concilii audito judicio errorem temerè propugnarant: Donatistæ, post definitionem duorum Conciliorum generalium, Nicæni videlicet, & Constantinopolitani, utriusque nominis primi, eumdem illum audaciùs instaurarunt; quod hæreticorum proprium est. Hinc illos toties Augustinus Concilii plenarii authoritate exagitavit, quod millies in illorum faciem illisit: Tametsi nuspiam illud ex nomine designarit: Hincque historiæ tractatoribus dubium natum est, num Arelatense; num fortè Nicænum intellexerit SS. Doctor: Cyprianus demum & Afiani Præsules illud duntaxat baptisma iterandum opinabantur, quod extra Ecclesiam ab Hæreticis datum esset: Donatistæ non illud modò, quod ab hæreticis datum esset, sed quodcumque a malis Ministris, quorum impietas nota esset intra Ecclesiam, ministratum, denuo conferendum effutiebant. Imò non deerant, qui omnes omnino Ministros improbos, etiam occultos, eadem sorte involverent. Rei fidem locupletissimam facit Augustinus *libro* 2. *contra Crescorium cap.* 28. sed neque Donatistæ soli eo luto hæsere: Errorem hunc post annos admodum septingentos suscitarunt denuo Apostolici, Albigenses, Valdenses, aliæque hujusce farinæ pestes, queis Sacramenta a malis Ministris collata, nulla omnino visa sunt. Eumdem novo absurdo cumulavit Joannes Vuitclesus, qui non modò peccatores sive occultos, sive manifestos, nulla Sacramenta conficere commentus est; Verùm etiam, & illos qui cum in præsentia boni sint, mali tamen futuri sunt. Qua in re a Concilio Constantiensi *Sess.* 8. damnatus est.

Ut itaque dogma Catholicum, de fide Ministri ad baptismi integritatem inutili, vindicemus, cæterasque ad historiam attinentes difficultates eliquemus, varia nobis tractanda veniunt. Primò; Num Ministri fides ac probitas valido baptismo conferendo necessaria sit? Secundò; Num Stephanus Romanus Pontifex Cyprianum & Firmilianum cum Coepiscopis, ob errorem de rebaptizandis hæreticis excommunicarit? Tertiò; Num Stephanus idem in oppositum errorem decreto suo prolapsus sit, quorumcumque hæreticorum baptisma, tametsi verbis Evangelicis minimè collatum, ratum validumque definiendo. Quartò; Quo tempore Orientales ab suo illo errore resipuerint? Quintò; Quodnam illud Concilium plenarium sit, cujus auctoritatem tacito nomine urget D. Augustinus, adversus Donatistas rebaptizantium

errorem recudentes ? Ita fiet , ut celebrem illam controverſiam , cujus vobis in præſentia preſſiſſimam analyſim dedimus , in bono lumine collocemus.

Quare in ſequenti diſſertatione primùm de fide Miniſtri ac probitate , dogmaticam controverſiam volente Deo auſpicabimur.

PRÆ-

PRÆLECTIO XII.

Hæreticos Sacramentum Baptismatis validè posse ministrare ; nec Infidelitatem ministri valori Baptismatis officere, probatur atque defenditur.

ESt illa, quæ me de fide in baptismi Ministro minimè necessaria disputantem plurimùm movet Tertulliani digna Sententia *Veritati nihil præscribere potest ; non spatia temporum, non patrocinia personarum, non intervalla locorum.* Si quis enim error, aut vetustate temporum stabiliri, aut illustrium defensorum patrocinio tegi, aut locorum diffusione confirmari posset; is ille profectò esset, qui de fide in baptismi Ministro necessaria, tertio Christiani nominis Sæculo suscitatus est, a SS. Præsulibus Africanis, variisque Synodis confirmatus, ac toto penè Oriente diffusus.

Fidem enim verò in baptismi Ministro omnino esse necessariam, atque ita baptismum ab Hæreticis collatum nullum esse; hominesque ab iis lustratos, denuo tingi oportere, defendit omnium primus Agrippinus Episcopus Carthaginensis, totiusque Affricæ Primas, habitoque comprovincialium Concilio confirmavit anno 215. Agrippinum in eodem errore tuendo secuti sunt S. Firmilianus Cæsareæ in Cappadocia Episcopus, & S. Dionysius Alexandrinus; habitisque pariter Synodis Iconiensi nimirum & Synadensi comprobarunt. At nemo omnium errorem illum tenaciùs ardentiùsque defendit S. Cypriano, laudati Agrippini in Sede Carthaginensi successor: qui quatuor numerosas Carthagine Synodos habuit, ut eumdem errorem Coepiscoporum suffragiis, & authoritate communiret: primam quidem Episcoporum 50. alteram Episcoporum 71. tertiam Episcoporum 73. quartam Episcoporum 87.

Harum omnium Synodorum acta in irritum misit Stephanus I. Rom. Pont. erroremque tot illarum decretis Canonibusque firmatum proscripsit damnavitque jure primatus, quem in Universa Ecclesia Catholica obtinebat. Nos pro officii ratione, ac pro oppignerata jam fide, Catholicam veritatem, hacce præsenti exercitatione vindicandam aggredimur, quæ de tot magni nominis hostibus triumphavit. Hoc igitur erit præsentis exercitationis argumentum: Hæretici Sacramentum baptismatis possunt validè ministrare: Infidelitas Ministri non officit valori baptismatis, modò aliàs cum forma debita ministretur: atque adeo qui sunt ab Hæreti-

reticis baptizati, si ad Ecclesiam Catholicam venerint, non sunt denuo baptizandi; sed per manuum impositionem reconciliandi.

Ita planè vetus Ecclesiæ Romanæ traditio ferebat, cujus se propugnatorem ac vindicem præbuit, & Africanis opposuit Stephanus I. ita decernens, in celebri illo Pontificio Rescripto, quo suscitatam ætate sua controversiam diremit: *Si quis a quacumque hæresi venerit ad vos ritè, ac debitè baptizatus, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi tantùm imponantur ad Pœnitentiam*. Nihil scilicet ultra reconciliatoriam manuum impositionem, hæreticis ad Ecclesiam redeuntibus factitari solitum erat, ob id unum quod susceptum in ipsa quoque hæresi baptisma, ratum ac validum haberetur: procul hinc nova baptismatis initiatio. Lati decreti fidem faciunt, S. Cyprianus ipse *Epist.* 74. Eusebius *lib.* 7. *Hist. Eccles. Cap.* 2. S. Augustinus passim in libris contra Donatistas, & alii quotquot eo de argumento scripsere primis Ecclesiæ Seculis.

Stephani I. Judicium secuti Pontifices confirmarunt, Siricius, *Epistola ad Hymerium Tarraconensem Episcopum* Innocentius I. *Epist.* 2. *ad Vitricium Rothomagensem Episcopum Cap.* 8. Leo Magnus *Epist.* 77. ad *Nicetam*, Anastasius II. *in Epistola ad Anastasium Imperatorem*, quorum testimonia minutatim recensereo tiosi esset hominis, utpote quæ apud Polemistas nostros singulis prostent.

Suffragata sunt Oecumenica Concilia, totius orbis veneratione consecrata, & præcipuè Nicænum primum, cujus authoritatem toties Donatistis, Africanorum errorem recudentibus opposuit, Augustinus. Enim verò *Canone* 8. Novatianos, quos Catharos seu Mundos vocitabant ad Ecclesiam redeuntes, nequaquam iterato baptismate, sed cum sola manuum impositione recipi jubet Sacra Synodus: *Canone* verò 19. Paulianistas si fortè redierint, denuo lustrari præcipit: quod illi nimirum Novatiani baptisma ritu Ecclesiastico ministrarent; illi videlicet Paulianistæ, non item. Prioris Canonis verba sunt: *de his qui se nominant Catharos id est Mundos, si aliquando venerint ad Ecclesiam Catholicam, placuit Sancto & Magno Concilio, ut impositionem manus accipientes sic in Clero permaneant*. Canon alter his verbis expressus est: *De Paulianistis ad Ecclesiam Catholicam confugientibus, definitio prolata est, ut baptizentur omnimodis*. Ex quibus geminis Canonibus mutuò collatis, generalis regula deducitur: Illorum nempe Hæreticorum baptisma ratum esse, atque ita minimè iterandum, qui illud Canonico ritu conferrent; quale profectò Novatianorum baptisma fuit: Cæterorum verò debitam formam minimè servantium, uti Paulianistarum, irritum esse.

Cla-

Clariùs verò Concilium Arelatense I. *Can.* 8. *De Afris, qui propria lege utuntur ut rebaptizent, placuit ut si ad Ecclesiam aliquis de hæresi venerit, interrogent eum Symbolum: Et si previderint eum in Patre & Filio, & Spiritu Sancto esse baptizatum manus ei tantùm imponantur, ut accipiat Spiritum Sanctum. Quod si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur.* Ut hinc videas Hæreticos illos, qui baptismum verbis Evangelicis a suis Symistis accepissent, nequaquam esse baptizandos, sed per manuum impositionem reconciliatoriam in Ecclesia recipiendos.

Immensus sim, si Patrum idem statuentium suffragia congeram: ex quo enim veritas hæc in rem ab Oecumenicis Conciliis definitam abiit, nemo illorum unus fuit, qui ubi se dedit occasiò, in eam Sententiam velis remisque non venerit. Nonnullos indigitabo qui per otium legi possint. S. Augustinum, qui dogma Catholicum ex instituto defendit, libris septem adversus Donatistas elaboratis: S. Hieronymum, qui hoc idem contra Luciferanios speciali dialogo propugnavit. Optatum Milevitanum *libro* 5. *contra Parmenianum:* Gregorium Nazianzenum *Oratione de baptismo* & Cyrillum Hierosolymitanum *in Catechesibus*.

Momenta verò, quibus SS. Patres Catholicnm dogma vindicarunt, ista erant, alta mente defigenda. I. Ex prælaudata Ecclesiæ R. traditione petebatur. Nunquam enim Ecclesia R. hæreticos rebaptizare solita fuerat; eo solo nomine quod fuissent ab Hæreticis baptizati; Ea vero Traditio licet annorum duntaxat esset ducentorum & quinquaginta; (Si quidem tot a Christo D. anni duntaxat efluxerant) tantum tamen roboris & auctoritatis obtinuit, ut ob hanc unam S. Cypriani, & Africanorum præsulum caussa, nationalibus licet Conciliis confirmata, attonsa sit. *Consuetudinis robore*, inquit, S. Augustinus *lib.* 2. *de Baptis. Cap.* 9. *tenebatur orbis terrarum; Et hæc sola opponebatur, inducere volentibus novitatem*. Quo ex loco intelligant, ætatis nostræ Sectarii, Lutherani & Calvinistæ, quam procul a prisca illa & Sacra Ecclesiæ lege aberrent; qui mille & septingentorum annorum Traditiones floci faciunt, & ob unum alterumve Scripturæ locum præpostero sensu detortum, totius retroactæ antiquitatis ritus exsibilant: Cum contra Priorum Sæculorum Patres, ex una ducentorum ac quinquaginta annorum Traditione, Scripturæ contextus numero plures, Cypriani caussæ in speciem faventes, exponendos arbitrarentur.

Alterum ex scripto Dei verbo momentum desumebatur. Et verò, nihil Ministrorum Sanctitatem, fidem, ac Religionem Sacramentis ad valorem prodesse, haud obscurè significant sacræ Litteræ. Eæ quippe passim inuunt, non Petrum aut Paulum baptizare, sed Christum, *hic est qui baptizat in Spiritu S. Joan. I.*

Ne-

Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus, 1. *Cor.* 3. Quid ergo oberit baptismatis efficaciæ plantator aut rigator iniquus, si totam, quanta quanta est virtutem ac vim a Deo repetit Sacramentum? Rursus Ministrationum gratia, ad quam pertinet potestas ministrandi baptismatis, gratis data est, perinde ac Prophetia, & patrandorum Miraculorum potestas. 1. *Cor.* 12. Gratiis porro gratis datis commune est, ut cum infidelitate & impietate stare possint. Hinc Caiphas hominum scelestissimus prophetavit *Joan.* 14. Prophetavit & Balaam *Numer.* 13. Quin etiam impios multos in die Judicii fore monet Christus ipse *Matth.* 7. qui dicturi sint: *Domine non ne in nomine tuo prophetavimus & in nomine tuo Dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Ut hinc noverimus, gratias gratis datas, & ministrationes posse infidelibus etiam & impiis esse communes.

Tertium ab exemplis argumentum petebant Ecclesiæ Patres. Certè Christi Discipulos Magistro adhuc inter homines conversante promiscuè baptizasse legimus *Joan.* 4. At eos inter Judas erat, vir utique nequam & Dæmonis emissarius: nuspiam verò proditum est, Apostolos detecta tandem ac revelata Judæ nequitia, illos secundò tinxisse, quos ille lustraverat. Non absimiliter Samaritani, tanquam Schismatici atque Hæretici a Judæis habebantur: Nuspiam tamen legere est, Judæos secundò circumcidisse Samaritanos, ubi fortè ad illos relicto Schismate reverterentur. Rursus Dei verbum ab improbis pari efficacia nunciatur: quin etiam gaudebat Apostolus *ad Philip. I.* nunciari Dei verbum ab iis ipsis, qui ex secreta quadam æmulatione Sacrum Ministerium obibant: *Quidam*, inquit, *ex contentione Christum annunciant non sincerè, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis. Quid enim? Dum omni modo sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuncietur, & in hoc gaudeo sed & gaudebo*. Hujus quidem ratio una hæc esse potest, quod suadendi vis Dei verbo congenita sit, & a Ministri probitate nihil virtutis accipiat. Pari itaque sorte Improbi Sacramenta ministrare poterunt, vim eamdem ac virtutem habentia; utpote quæ illis, non a Ministro, sed ab Authore congenita est.

Quartum momentum ex ipsa Sacramentorum conditione ac fine desumebatur. Sunt hæc, uti notum est, ad sanctificandos homines instituta: Salutis & gratiæ pixides & apothecæ sunt. Næ igitur miseram hominis sortem, cujus salus penderet ab homine? pendere porro necesse est, si Sacramenta queis Salutem consequitur, nihil virtutis, ac virium habent, nisi à fidelibus ac religiosis hominibus conferantur. *Maledictus homo qui confidit in homine*, inquit

quit Deus; at confidere nos in homine opus esset, ex cujus fide ac pietate regenerationis nostræ gratia penderet ac salus.

Quintum momentum petebat Augustinus ex historia Synagogæ. Certè tametsi plerumque, cum universo populo Sacerdotes ipsi peccarent, Deique legem prævaricarentur, ac etiam in Idololatriam inciderent, uti tempore Judicum, & sub impiis Regibus sæpius accidit, rata nihilominus habebantur collata ab ipsis Sacramenta. Imò quo tempore Christum sibi præsentem, & prædicantem Sacerdotes illorumque principes persequebantur, usque adeo tamen ritè ac validè ministrabant Sacramenta sua; ut illos ipsos quos Christus lepra mundabat, ad Sacerdotes mitteret, ut offerrent pro se Sacrificium. *Quanto magis*, inquit Augustinus *lib.* 3. *de Baptismo Cap.* 19. *nos Sacramenta novi Testamenti, apud quoslibet hæreticos vel Schismaticos invenientes, non debemus ipsis tribuere, nec quasi non agnita reprobare.*

Iis Patrum momentis, quibus fidem ac religionem, ad Sacramenta validè conferenda, minimè necessariam demonstrabant, Scholæ rationem adjiciam. Ubi caussa princeps infinitæ virtutis & efficaciæ est, effectus a caussa ministra præpediri non potest: quia hæc ita sibi istius efficaciam subdit, ut nutui suo servire omnino faciat: maximè in iis effectibus producendis, qui naturæ vires excedunt: ii siquidem ab unius caussæ principis virtute derivantur. Sic porro Sacramenta se habent a Deo uno, uti caussa principe, infinitæ virtutis & efficaciæ Vim omnem accipiunt. Non itaque putandum est, Sacramenta ex Ministri improbitate effectu vacua esse posse.

Hinc profligatum arbitror, non modo Africanorum, Donatistarum, Apostolicorum, Albigensium, Valdensium errorem, quo nulla Sacramenta esse dictitabant, quæ ab infidelibus malisve Ministris conferuntur; Verùm etiam potiori jure elisum puto Joannis Vvitclefi delirium; qui uti externa luce præmonebat, non modò peccatores, sive occultos, sive manifestos, nulla Sacramenta conficere commentus est; sed & illos etiam, qui cum boni essent, dum Sacramenta ministrabant, postea tamen a fide & Sanctitate deciderunt. Certè si nihil Sacramentis obest præsens malitia ministrorum, uti jam multis ostendimus, longè minus futura oberit iniquitas. Quamquam & aliàs error ille Joannis Vvitclefi, novo atque inaudito absurdo laborat. Dicat enim quo pacto futuram Ministri malitiam valori Sacramenti antea ministrati obesse velit, an fortè eo sensu, ut dum re ipsa confertur ab homine in peccatum aliquando casuro, nullum sit atque irritum? at peccatum tunc nondum est, ut Sacramentum irritum faciat. An fortè eo sensu, ut nullum tunc tantum Sacramentum esse incipiat, dum postmo-

dum Miniſter incidit in peccatum? At jam jam effectum ſuum ſortitum erat Sacramentum: nec vim ut ita dixerim retrogadam habere peccatum poteſt, ut id irritet, quod initio integrum fuerat. Accedit alterum: futurum hominis peccatum non obeſſe, quo minus quis Deo gratus ſit, quo tempore nondum illud admiſit: uti nec futura hominis Charitas obeſt, quominus quis exoſus Deo ſit, quo tempore peccato ſordeſcit. Sic Saulus Deo exoſus erat, dum Eccleſiam perſequeretur, etſi poſtmodum vas electionis factus, Deo gratiſſimus fuerit.

Longè itaque minus futurum peccatum efficere poteſt, ut quæ quis geſſit in anteceſſum, nulla eſſent, dum gererentur.

In prælectione ſequenti Adverſæ partis argumentis, Deo volente, reſpondebimus.

PRÆ-

PRÆLECTIO XIII.

Adversariorum momenta resselluntur.

S. Cypriani cæterorumque Africæ Præsulum momenta, quibus baptisma ab Hæreticis collatum irritum contendebant, hodierna luce confutaturus; huic me muneri prorsus imparem profiterer, nisi in hacce obeunda provincia Augustinum alterum Africæ jubar præmonstratorem ac ducem haberem. Cum enim illum Africanorum Præsulum errorem, antiquatum licet, & Oecumenicorum Conciliorum Decretis obtritum, Donatistæ secutis temporibus suscitassent, Momentaque ab iis Episcopis ad illius defensionem aliàs excogitata, novis conatibus recudissent; Augustinus Doctor maximus Ecclesiæ caussæ tuendæ totus incumbens, totam illam argumentorum machinam suffodit, septem libris de baptismo adversus Donatistas elaboratis. Quare quod ego virium modicus atque inops tentare non ausim, Augustini viribus succinctus aggrediar; quodque mea tenuitas satis nequit; Sanctissimi Doctoris eruditio suppeditabit. Ad rem itaque veniamus ad hujus erroris defensionem.

Ipsa in primis S. Cypriani authoritas opponi nobis potest, hæreticorum baptisma irritum contendentis in Epistolis ad Quintum, ad Pompejum, & ad Jubajanum. Opponi perinde nobis possunt quattuor Synodi Carthaginenses, nec non etiam Iconiensis, & Synadensis; Quarum canonibus idem ille error sancitus est, assidentibus Episcopis magni nominis, ac numero pluribus. Quæ res magnos Donatistis fecit animos, ut antiquatum Africanorum errorem instaurarent.

Reponebat ad hæc Augustinus *lib. 2. contra Cresconium Cap.* 32. Cypriani authoritatem hoc in Capite ab Ecclesia minimè probari, pro qua Sanctissimus Martyr sanguinem fudit. Et quidem cum totam ab Ecclesia authoritatem accipiant Doctores ac Patres, necesse profectò est, ut iis in Capitibus authoritate sua excidant, in quibus ab Ecclesia probati non sunt. *Non crederem Evangelio*, inquiebat aliàs Augustinus, *nisi me Ecclesiæ commoneret authoritas:* quanto minus Cypriano credendum, Ecclesia tantum non commonente, sed prohibente? Non absimiliter Synodis Carthaginensibus, Iconiensi & Synodensi reponebat, *lib. 2. de Bapt. Cap.* 3. illas nimirum fervente controversia celebratas esse, animis in transversum actis: sed plenarii Concilii Nicæni I. authoritate fuisse subinde rescissas.

Accedit divi Hieronymi observatio *in Dialogo contra Luciferianos Cap. 8. Illos ipsos Episcopos, qui rebaptizandos hæreticos cum Cypriano statuerant, ad antiquam consuetudinem revolutos novum emisisse decretum*. Perperam igitur, ea illorum Episcoporum statuta priora in erroris patrocinium venditantur, quæ ipsimet novo subinde decreto resciderunt. Nemo quippe æquus rerum æstimator est, qui in eo variorum statutorum conflictu non intelligat, ei demum standum esse, quod re maturiùs expensa, ultimò tandem emissum est.

Jam quod attinet Affricanorum Præsulum momenta, quibus præconceptum errorem tuebantur, hæc ut sunt numero multa ad certa capita revocamus, quò faciliùs expediri queant atque resolvi. Horum pars maxima a baptismi effectibus petebatur, qui apud Hæreticos obtineri non possunt. Enim verò nemo apud Hæreticos Christum induit, nemo spiritualiter gignitur, nemo Spiritus S. donatur, nemo remissionem obtinet delictorum, salutem uno verbo nemo consequitur. Hinc consequens arbitrabantur Africani Præsules, ut nulla apud illos essent Sacramenta, quorum proprium est mirabiles illos effectus in suscipientibus edere. Totam illam argumentorum struem unica observatione diruit Augustinus *lib. 6. contra Donatistas Cap. I. Nec ob aliud*, inquit, *illis temporibus, quando ista quæstio contra veterem consuetudinem disputationibus salva caritate atque unitate altercantibus discutiebatur; visum est quibusdam etiam egregiis viris antistitibus Christi, inter quos præcipuè B. Cyprianus eminebat, non esse posse apud hæreticos vel Schismaticos baptismum Christi, nisi quia non distinguebatur Sacramentum ab effectu, vel usu Sacramenti. Et quia ejus effectus atque usus in liberatione a peccatis, & cordis rectitudine apud hæreticos non inveniebatur, ipsum quoque Sacramentum non illic esse putabatur*. Certè Sacramentum ab effectibus secernendum esse, ac sine illis stare revera posse, in ipsa Ecclesia Catholica infeliciter experimur. Quot enim verò apud nos Sacramenta suscipiunt, qui tamen minus æquè dispositi, salutares effectus minimè percipiunt? Porro quod in Ecclesia Catholica casu evenit, necessitate quadam apud hæreticos accidit; quippe cum ritè dispositi esse non possint, qui hæreseos luto hærent, summumque omnium Gratiæ suscipiendæ obicem ponant: vera nihilominus stant Sacramenta effectu licet ac fructu vacua. Præterquam quòd varios Sacramentorum effectus secernere opus est, quosdam a suscipientium dispositionibus pendulos, uti gratiam cæteraque Spiritus S. Charismata: atque illos quidem extra Ecclesiam recipere nemo potest, qui adultus ad Sacramentum accedit, ob repugnantem hæreseos maculam: Alterum ab omni suscipientium dispositione solu-

solutum, & ex ipsa Sacramenti necessitate derivatum, Characterem nimirum, certis Sacramentis proprium; cui recipiendo nulla iniquitas, nulla hæresis obesse potest.

Pars argumentorum altera ex Ecclesiæ dotibus & juribus petebatur: Hæc etenim, inquiebant Africæ Præsules, Sacramenta, uti propriam Dotem accepit a Christo; illorumque custos unica constituta est. Rem igitur alieni juris hæretici sibi arrogant, nostramque hæreditatem invadunt, dum Sacramenta nostra ministrant. Totum id ambabus manibus dabat Augustinus, *lib.* 3. *contra Donatistas Capite* 10. neque tamen inde consequens esse putabat, ut nulla extra Ecclesiam, nulla apud hæreticos Sacramenta essent. Aliud quippe est non habere aliquid, aliud non jure habere, vel illicitè usurpare; Aliàs & consequens esset, ut Sacras Scripturas hæretici non haberent, quia & has Ecclesia suscepit a Christo, illarumque custos unica constituta est. An fortè, quia Philistæi arcam deprædati fuerant, arca non erat? Imò erat, & apud Philistæos prodigia patrabat, non ad salutem illorum, sed ad exitium. Sit igitur ita, hæreditatem nostram invaserint hæretici, dum sibi Sacramentorum ministrandorum auctoritatem arrogarunt; sunt attamen Sacramenta, ubi semel Ecclesiastico ritu conferuntur. Peccent ii ob arrogata sibi aliena jura, non diffitemur: Ob id certè pœnas dabunt, uti Dathan, & Abiron qui alienum ignem Altaribus imposuerant. At non idcirco in cassum abeunt Christi Domini instituta, quòd ab alienis & prophanis tractentur: quodque ex ipsa sui institutione sortita sunt, Ministrorum nequitia non amittunt.

Momentum quoque ex hæreticorum notis ac titulis petebant Africæ Præsules. Ii quippe iniquiebant, Antichristi Ministri sunt, Diaboli membra, Judæ discipuli, veritatis hostes, quorum sermo serpit, ut cancer. Qua itaque sorte Christi Sacramenta tractabunt? Hæc cæteraque id genus argumenta in ipsos Africanos regerebat Augustinus *lib. 6. de Bapt. cap.* 18. 23. & 31. Eæ quippe notæ, ii tituli in quoscunque impios recidunt, seu intra seu extra Ecclesiam positi sint: Cum tamen ultrò faterentur Africani, Sacramenta ab impiis intra Ecclesiam ministrata, rata esse & integra. Quapropter observabat Sanctissimus Doctor, hæreticos propriæ quidem iniquitatis merito, Diaboli, & Antichristi membra esse; Divina tamen permissione, Christi ministerium obire; (non per verba sicut Cancer serpentia, sed per Evangelica Sacramenta, de Cœlesti fonte manantia.) Eo pari modo quo Balaam, propriæ iniquitatis perversitate Diaboli Minister effectus, Dei populo maledicturus venerat; qui tamen superno instinctu, Divinæ dispositioni serviens, benedixit.

Ultimum ex comparatione Martyrii cum Baptismate petebant Afri-

Africani. Potior quippe est, inquiebant, Martyrii vis quam Baptismatis: Nullum tamen extra Ecclesiam Martyrium esse potest, tametsi pro Catholici dogmatis defensione quis occidatur; quantò magis nihil homini proderit, si extra Ecclesiam baptizetur? Reponebat Augustinus *lib.* 4. *Cap.* 17. Extra Ecclesiam Martyrium esse non posse, quia extra Ecclesiam Fides & Charitas esse non possunt: His quippe duobus Martyrium maximè constat. Cæterum longè aliter in baptismate se res habet, in quo duo mutuò concurrunt, Sacramentum scilicet, fructusque Sacramenti. Fides & Charitas Sacramenti fructum comitantur aut sunt, nequaquam tamen indivulsa sunt Sacramento. Nullus ergo extra Ecclesiam Sacramenti fructus est, aut certè modicus, susceptus nempe caracter: Stat tamen extra Ecclesiam Sacramentum ipsum, fructibus & effectibus vacuum in adultis, qui fructuum percipiendorum inhabiles, propter erroris communionem efficiuntur. Quod & intra Ecclesiam, ut ajebamus, non semel accidit, non conferentis perversitate, sed vitio suscipientis.

Opponet fortè nonnemo Canonem 45. Apostolorum, ita decernentem: *Episcopum vel Presbyterum, qui hæreticorum baptismum vel sacrificium admiserit, deponi jubemus. Quæ enim conventio Christi cum Belial, vel quæ pars est fidelis cum infideli?* Quo nihil eliquatiùs videri potest. Verùm neminem criticæ scientiæ peritum reperire est, qui canones illos sub Apostolorum nomine quondam aliàs venditatos, uti spurios non exsufflet ac tam sacro nomini temerè suppositos, ab insulsis, & imperitis nebulonibus, ut incautis illuderent: & certè Miraculi loco habendum esset. Canon igitur ille pseudoApostolicus, ex Synodo Iconiensi desumptus est, ab imperito consarcinatore; cui satis eruditionis ac peritiæ non erat, ut agnosceret, Synodi Iconiensis acta, uti & cætera omnia a Præsulibus Africanis tentata sæculo tertio, a Stephano Summo Pontifice in irritum missa esse.

Difficiliùs fortasse fuerit nonnullorum Patrum testimonia interpretari; ne eidem Rebaptizantium errori savisse videantur, etiam ex quo tempore a Concilio Arelatensi & Nicæno proscriptus est. Athanasius in primis objici potest *Orat.* 3. adversus Arianos, cujus hæc verba sunt: *qui fieri potest ut prorsus vacuus ac inutilis non sit Baptismus, qui ab illis datur, in quo quidem insit Religionis simulatio, sed revera nihil ad pietatem queat conferre.* Verùm quæ subjungit Athanasius ipse difficultatem omnem amovent: addit etenim e vestigio: *nec enim Ariani in Patris, & Filii nomine dant Baptismum, sed in nomine Creatoris & rei creatæ, & effectoris, & rei factæ.* (*a*) Non ob id ergo Arianorum Baptisma irritum cen-

(b) *Tournelii pag.* 303. *de Sacram. in genere.*

censuit Athanasius, quod ab Hæreticis collatum esset, quasi sola Ministri infidelitas irritum redderet Sacramentum, quod in præsentia disputamus: sed quod præscriptam a Domino baptismatis formam violarent. Quo casu irritum evadere Sacramentum nemo negaverit.

Objicitur secundus in ordine S. Cyrillus Hierosolymitanus in præfatione Catecheseon ita scribens: (*a*) *Hæretici rebaptizantur, si quidem prius illud non erat baptisma.*

Tertius adducitur S. Basilius Magnus Epistola Canonica ad Amphilochium *Canone* 1. *&* *Epist.* 2. *Can.* 47. Ubi Hæreticorum omnium baptisma, nominatim verò Pepuzenorum, Encratitarum, Novatianorum, (*b*) Hydroparastatarum, & Apotactitarum, iterandum decernit: Tametsi nullo prioris ætatis monumento colligi possit, illos debitam baptismatis formam violasse. Verùm nec id miraculi loco habendum est; Cyrillus enim & Basilius Magnus, illorumque Ecclesiæ nondum planè veterem morem deposuerant, qui ab orientalibus Episcopis tertio sæculo inductus fuerat, Hæreticos rebaptizandi: partim quia Concilii Arelatensis, ubi disertè damnatus fuerat, auctoritatem non agnoscebant: partim quia eum errorem a Nycena Synodo Oecumenica per legitimam consequentiam damnatum esse, nec dum hactenus deprehenderant. Cæterum quod ea ætate subobscurum adhuc erat, orto subinde Donatistarum schismate, in publica orbis luce positum est.

Quo verò tempore, ab errore de rebaptizandis hæreticis, resipuerint Africani, cum S. Cypriano illorum duce, non ita facilè definierim. Et quidem D. Augustinus, qui istud argumentum fusè admodum pertractavit; occasione Donatistarum, *Epist.* 93. ad Vincentium de D. Cypriano disertè ait, *Correxisse autem istam sententiam non invenitur, non incongruenter tamen de tali viro existimandum est, quod correxerit.* D. autem Hieronymus *in Dialogo contra Luciferianos Cap.* 8. disertissimè scribit. *Illi ipsi Episcopi, qui rebaptizandos Hæreticos, cum Cypriano statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti, novum emisere decretum.* Undè colligo, contrarium illud Decretum Africanorum, vivente Cypriano, editum non esse, sed illo ad superos vocato: aliàs ex hoc ipso decreto, certò constaret D. Cyprianum priorem sententiam correxisse, quod tamen minimè constare, asserit Augustinus.

In sequenti lectione Historicam controversiam agitabimus: Num Stephanus Rom. Pont. S. Cyprianum & Firmilianum cum Coepiscopis, ob errorem de rebaptizandis hæreticis, excommunicarit.

PRÆ-

(a) *Tournelii pag.* 210. *de Sacram. in genere.*
(b) *Tournelii pag.* 201. *de Sacram. in genere.*

PRÆLECTIO XIV.

Num Stephanus I. R. P. Africanos Episcopos, & Asiaticos excommunicatione re ipsa petierit, ob errorem de rebaptizandis Hæreticis, quæritur.

QUantum Stephanus I. Ecclesiæ Romanæ Pontifex, rebaptizantium errorem exagitarit: quo zelo in S. Cyprianum & Coepiscopos Africanos exarserit: quo demum animi sensu, in Firmilianum, cæterosque Asiæ Præsules, pro veritate certarit, satis superque in superioribus demonstravimus. Amarissima controversia eo demum deducta est; ut Firmiliani & Orientalium Præsulum Legatos Romam missos, nec alloquio tectove recipere, nec dare illis osculum dignatus sit Pontifex. Scire nunc tandem juvat, num etiam Africanos Episcopos & Asiaticos excommunicatione re ipsa petierit, quòd hæreticos ad Ecclesiam reduces, novo baptismate initiandos existimarent; Et quidem Baronius Annalium Ecclesiasticorum Parens, numquam nobis sine laudis præfatione nominandus, illos omnes sacro anathemate percussos existimat. Ne verò fateri cogatur, sanctissimos viros sacris Ecclesiæ fastis adscriptos, extra Ecclesiæ Romanæ communionem objisse, subjungit, illos demum errorem de rebaptizandis hæreticis deposuisse, S. Dionysio Alexandrino vitam agente: hoc est, circa annum 250.

Nobis cum Eminentissimi Scriptoris bona venia longè videtur aliter: certòque persuasum est, Stephanum Romanum Pontificem, D. Cypriano cum Præsulibus Africanis, Firmiliano cum Asiaticis, excommunicationem quidem comminatum esse; ab iis abstinendum censuisse: sacrum nihilominus excommunicationis gladium nequaquam exeruisse, sed intra minas hæsisse. Quod nobis in præsentia probandum venit.

Et quidem quòd primam assertionis nostræ partem attinet, a nemine quod sciam vocatur in dubium. Excommunicationis comminationem testatur Augustinus *lib. de Unico Baptis. contra Petilianum cap.* 14. *Cum ergo Stephanus*, inquit, *non solum non rebaptizaret hæreticos, verùm etiam hoc facientes, vel ut fieret decernentes, excommunicandos esse censeret, sicut aliorum Episcoporum, & ipsius Cypriani litteræ ostendunt*. Eumdem Pontificem censuisse, ab Africanis & Asiaticis rebaptizantibus abstinendum esse, Cyprianus ipse profitetur *Epist.* 74. *ad Pompejum*, *Sacerdotes*

Dei,

Dei, inquit, *Veritatem Christi*, *& Ecclesiæ unitatem tuentes* (sic enim semetipsum & Coepiscopos vocat) *abstinendos putat*. Profitetur hoc idem Dionysius Alexandrinus *in Epist. ad Sixtum*; quam retulit Eusebius *lib.* 7. *Hist. Eccles. cap.* 4. *Stephanus antea scripserat Epistolam de Heleno, de Firmiliano, de omnibus Episcopis, qui erant ex Cilicia, Cappadocia, & Galatia, & ex omnibus gentibus, quæ erant finitimæ, quod neque cum illis quidem, ob eam caussam, omnino communicare vellet*. Quo nihil apertiùs desiderari a quoquam potest, ut commotum Pontificem demonstremus.

Ad alteram itaque assertionis partem, a Baronio oppugnatam, difficultas tota devolvitur: hæsisse Pontificem intra minas, nec re ipsa gladium excommunicationis eduxisse, hoc opus, hic labor est.

Rem planè conficere mihi visus est Augustinus, partim loco paulo ante laudato, ubi cum retulisset, Stephanum excommunicandos censuisse rebaptizantes, subjungit e vestigio, *tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permansit:* Partim etiam imò & maximè, *lib.* 5. *de bapt. contra Donat. cap.* 25. ubi odiosissimæ controversiæ exitum recenset in hæc verba *Stephanus autem etiam abstinendos putaverat, qui de suscipiendis hæreticis priscam consuetudinem convellere conarentur: Iste autem quæstionis ipsius difficultate permotus, & sanctis charitatis visceribus largissimè præditus, in unitate cum eis manendum, qui diversa sentirent. Ita quamvis commotiùs, sed tamen fraternè indignarentur, vicit tamen pax Christi, in cordibus eorum, ut in tali discrepatione nullum inter eos malum schismatis oriretur*. Hæc ille. Porro pax Christi inter Cyprianum, & Stephanum abrupta fuisset, si Cyprianum illique adherentes Episcopos anathemate confixisset Stephanus ipse: non itaque Anathematis gladium in Cyprianum reipsa distrixit.

Jam si non distrixit in Cyprianum, neque profectò in Firmilianum, distrixisse putandus est: Una enim utriusque caussa erat: Uterque rebaptizandos censebat hæreticos: pari uterque ardore, pari animi contentione, pari in Stephanum commotione sententiam suam tuebatur: Ut planè cum Cypriano, quam cum Firmiliano mitiùs se gerere jure non posset Stephanus Pontifex. Rursus Cyprianus cum Firmiliano perpetuò communicavit, frequentes ad illum dedit Epistolas, Carthaginensium Synodorum acta transmisit, caussam uno verbo cum ipso communem habuit. At minus æquè ista gessisset, si Firmilianum a Stephano, cum quo pacem servabat ipse, excommunicatum agnovisset, dirisque devotum.

Augustini suffragium confirmat D. Cyprianus, cui maximè standum est, *Epistola ad Jubajanum*, ubi sensus suos sincerè, & candidè aperit: *Nos*, inquit, *quantum in nobis est*, *propter hæreticos reba-*

rebaptizandos , cum Collegis , & Coepiscopis nostris non contendimus, cum quibus Divinam concordiam & Dominicam pacem tenemus, maximè cum Apostolus dicat: Si quis autem putatur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei . Servatur a nobis patienter & leniter charitas animi , bonor Collegii , vinculum fidei , & concordia Sacerdotii . Porro non servasset profectò Cyprianus concordiam Sacerdotii, & honorem Collegii, nec tenuisset Dominicam pacem, si excommunicatione Stephani insuper habita , atque contempta , sui ordinis ac dignitatis munia objisset. Non ignorabat enim , penes Rom. Pontificem esse potestatem alios Episcopos communione privandi: Siquidem ad eum scripserat non ita pridem, ut Marcianum Arelatensem Episcopum, qui ad Novatianos defecerat , excommunicaret , aliumque in ejus sedem sufficiendum juberet Episcopum. Non itaque verisimile est, S. Cyprianum a Stephano Rom. Pontifice Excommunicatione petitum esse.

Accedit observatio minimè contemnenda de S. Firmiliano . Is scilicet adfuit celebri Concilio Antiocheno, habito anno 264. Uti scribit Eusebius *lib. 7. Hist. Eccles. cap.* 22. Quo in Concilio sedebant celeberrimi Sanctissimique totius Orientis Episcopi, qui Apostolicæ Sedi Communione juncti erant . Ecquis verò sibi persuadeat passuros fuisse , ut sibi assideret Episcopus Ecclesiastica communione privatus ? Quid plura , secundæ Synodi Antiochenæ Patres anno 270. celebratæ in Epistola ad Alexandrum Romanum Pontificem Stephani successorem, Firmilianum *Beatæ recordationis virum* appellant. Mirum certè, quod sacri honoris titulos Episcopo excommunicato jam solemniter detulissent.

Ultimum huic nostræ opinioni sigillum ponit S. Dionysius Alexandrinus . Is certè apprimè noverat , quid in illa controversia Stephanum inter & Firmilianum gestum esset: imò in sententiam Firmiliani de rebaptizandis hæreticis concessit, scripsitque ea de re ad Sixtum Rom. Pont. proximum Stephani successorem teste Eusebio *lib. 7. Hist. Eccles. cap.* 4. quin & ad alios , plurimas pro rebaptizandis hæreticis litteras dedit, quæ S. Hieronymi ætate adhuc extabant, ut ipse testatur *in Cathal. de script. Eccles. cap.* 80. Incredibile autem est , S. Dionysium Alexandrinum , quem inter & Stephanum aliosque Romanæ Sedis Pontifices , mutua semper intercessit communio, sententiam illam amplexurum fuisse, ob cujus defensionem Cyprianum ac Firmilianum novisset excommunicatos.

His omnibus adducor, ut a Baronio recedam, credamque longè certius , Stephanum R. Pontificem excommunicationem quidem in Cyprianum cæterosque Rebaptizantes Episcopos intentasse , hæsisse nihilo-

nihilominus intra minas , nec re vera gladium anathematis exeruisse.

Unicum Firmiliani suffragium nostræ huic assertioni videtur officere. Ille enim data ad S. Cyprianum Epistola, semetipsum cum Coepiscopis pluribus , Cyprianumque cum Africanis , excommunicatos a Stephano , non leviter innuit . Ita quippe in Stephanum invehitur homo plus justo iracundus: *Peccatum verò quam magnum tibi exaggerasti , quando te a tot gregibus scidisti ? Excidisti enim teipsum: noli te fallere . Siquidem ille est verè Schismaticus , qui se a Communione Ecclesiasticæ unitatis apostatam fecerit: Dum enim putas , omnes a te abstinere posse , solum te ab omnibus abstinuisti.* (*a*) Scilicet uti cernitis Stephanum reum agit, quasi cæteros excommunicando, semetipsum excommunicarit.

Tum paucis interjectis , Stephani asperitatem nimiam sugillat , quod Episcoporum Asiæ Legatos , *nec ad sermonem saltem colloquii communis admitteret*: vetueritque *ne quis eos in Domum suam reciperet :* ac tandem jusserit , *ut venientibus non solùm pax & communio , sed & tectum , & hospitum negaretur* . At illi quorum Legatis non solùm pax & communio , sed etiam tectum, & hospitium negata sunt, re ipsa excommunicati censentur: Non itaque intra excommunicationis minas hæsisse videtur Stephanus, sed eamdem in Africanos Præsules distrixisse.

Equidem si unum hac in caussa Firmilianum audire fas esset , proclivior essem , ut Africanos & Asiaticos re vera excommunicatos existimarem . At cum Firmiliani suffragium cum aliis adductis a me monumentis conciliare sit opus , necesse profectò est , ut hominis irati verba temperemus . Dicam ergo quod res est , Firmilianum Stephani severitate commotum , minas ejus exageras-se , & intentatam excommunicationem , quasi re ipsa lata esset , atris Caracteribus descripsisse. Ea enim est iratorum hominum indoles , ut illatas sibi injurias , veras , aut præsumptas , scribendo augeant , ut æmulis suis odium concitent . Unde Tragicus *in Thyeste* præclarè cecinit *Iratus nil nisi monstra loquitur* . Firmiliano igitur , neque in hoc , neque in aliis , quæ acerbioris styli impetu in Stephanum Pontificem effudit , hac Epistola credendum est . Quis enim credat Stephanum fuisse Schismaticum & Apostatam , quia id Firmilianus effutiit ? Quis Stephanum cum Juda proditore comparandum existimet , quia illum hac in Epistola Firmilianus cum Juda contulit ? Quis audaciæ , insolentiæ , improbitatis , Sanctissimum Pontificem insimulet , uti Firmilianus insimulat? Cum itaque in his omnibus tam a veritate, ab æquita-

(a) *Apud Tournelii pag.* 222. *de Sacram. in Genere.*

te a Christiana charitate alienis fides Firmiliano denegetur : minus quoque in cæteris , de lata excommunicatione , credendum illi est, quod omnia præ nimio livore exaggerarit.

Quamquam autem Asiæ Legatis pacem , & communionem , tectum, & hospitium negasse Stephanus supponatur, non inde certò colligi potest, fuisse illos excommunicatos , lata in eos & in Firmilianum sententia. Id enim Oeconomiæ tantùm gratia factum fuit a prudente Pontifice , ut Orientales ab errore nascente revocaret : Ne scilicet Legatos benigniùs excipiens , errori favere videretur ; neve illic Romæ commorati hospites suos, aut maximam fraternitatis partem, speciosa , licet falsa Doctrina imbuerent. At severitas illa in Legatis excipiendis, ab excommunicatione plurimum differt. Sicut ergo nemo hucusque somniavit , S. Epiphanium Salaminæ Cypri Episcopum, excommunicasse S. Joannem Chrysostomum Constantinopolitanum Antistitem, licet Constantinopolim veniens, nec in Ecclesia cum illo orare, nec in ejus ædibus commorari, etsi humanissimè invitatus, voluerit ; sed S. Epiphanii cautioni id tribuunt omnes , in errore tamen facti fundatæ , quia se ab ejus consortio sejunxit , quem Origenistam arbitrabatur ; ne Origenismo tunc temporis grassanti patrocinari videretur; & ut ab Origenistarum patrocinio S. Joannem Chrysostomum revocaret : Ita licet jusserit Stephanus Pont. ut alloquium, tectum & hospitium Firmiliani Legatis Romæ negaretur, colligi inde non potest , illos excommunicatione petitos esse.

In sequentibus , quæstionem alteram agitabimus, num Stephanus idem , in errorem oppositum Decreto suo prolapsus sit , quorumcumque hæreticorum baptisma , tametsi verbis Evangelicis minimè collatum , ratum validumque definiendo ? Eumque ab impacta illi a quibusdam calumnia vindicabimus.

PRÆ-

PRÆLECTIO XV.

Stephanum R. P. in rebaptizantium errore profligando, nec errasse, nec juris & æqui metas prætergressum fuisse, contra Blondelum Calvinianæ Sectæ Professorem, nonnullosque Romanæ communionis Theologos, demonstratur. Et quo tempore Præsules Orientales errorem de rebaptizandis Hæreticis, retractarint, ostenditur.

DUplicem hodierna luce difficultatem eliquandam aggredimur; Apologeticam unam; Chronologicam alteram: Priori quidem Stephani Romani Pont. Vindicias adornabimus; posteriori retractati a Præsulibus Orientalibus erroris Epocham præfigemus. Stephano Rom. Pont. a Blondello Calvinianæ Sectæ Professore, nonnullisque Romanæ Communionis Theologis vitio datur, quod in rebaptizantium errore profligando, juris & æqui metas prætergressus sit: Nec modò baptismum hæreticorum debita forma ministratum approbavit; verùm etiam & illum qui neglecta Sanctissimæ Trinitatis invocatione quoquo pacto collatus esset. Suum illi præsidium omne *ex Epist.* 74. *D. Cypriani ad Pompejum* accersunt: ubi Stephani decretum hac in caussa datum refertur in hæc verba: *Si quis a quacumque hæresi venerit ad vos, nihil innovetur nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur ad pœnitentiam*. Cum enim hæreticos inter, ea ætate non pauci reperirentur, qui debitam baptismatis formam violarent; hinc consequens esse putant Stephani obtrectatores, ut informe quoque hæreticorum baptisma probarit, qui nullo discrimine posito, hæreticos omnes decreto suo complexus est, omnes sola manuum impositione, in Ecclesia recipi jubens.

Mihi quidem consecutio hæc spuria videtur, ne dicam insulsa. His enim decreti verbis *a quacumque hæresi venerit*, solas illas hæreses Stephanus intellexit, quæ aliunde baptismi formam integram inviolatamque servarent. Id Status ipse controversiæ plus satis indicat. De sola quippe Ministrorum infidelitate quæstio vertebatur Stephanum inter & Africanos, num scilicet baptismus ab infideli collatus, ratus esse potest & integer: Nulla prorsus de servanda baptismatis forma controversia feruebat, quam omnes necessariam fatebantur. Dum ergo a quacumque hæresi venientes, absque novo baptismate, solaque manuum impositione addibita, recipiendos decernit Stephanus Pontifex, id certò supponit, modò debi-

debita forma Sacro baptiſmate initiati ſupponantur. Et verò, ſi ea Stephani loquendi ratio tam ſiniſtræ, ut ii quidem obtendunt, interpretationi locum daret, nemo Patrum eſſet, qui violatæ etiam fidei incuſari non poſſet. Nullus quippe occurrit, qui eam generalem & indiſcretam loquendi rationem non pariter uſurparit.

Cæterum Stephanum certiſſimè ſuppoſuiſſe, in ea cum Africanis mota lite, baptiſmum verbis Evangelicis conferri debuiſſe, ut ratus eſſet, ex ipſo Firmiliano, S. Cypriani Collega colligimus *Epiſt.* 74. ubi Stephani mentem explicatiſſimis verbis exponit: *Illud quoque abſurdum*, inquit, *quòd non putant quærendum eſſe quis ſit ille qui baptizaverit; eo quod qui baptizatus ſit, gratiam conſequi potuerit, invocata Trinitate Nominum Patris & Filii, & Spiritus S.* (*a*) En apertam Stephani ſuppoſitionem, quæ Catholicum generalis propoſitionis ſenſum aperiat.

Id ipſum ex antiquis hujuſce controverſiæ tractatoribus apertiſſimè liquet, præſertim ex Auguſtino *in libris de Baptiſmo contra Donatiſtas*, ex S. Hieronymo *in Dialogo contra Luciferianos*, ex Facundo Hermianenſi *libro contra Marcionem*, Vincentio Lirinenſi *in Commonitorio* Euſebio *lib.* 7. *Hiſt. Eccleſ. Cap.* 2. (*b*) aliiſque benè multis, qui eo maximè nomine Stephani zelum commendant, quod Eccleſiæ Rom. & Catholicæ traditionem ſuo illo Decreto vindicarit. Niſi ergo Catholicam & Romanam Eccleſiam, in errorem lapſam concedamus, hoc alterum concedere nullatenus poſſumus, Stephanum ſuo illo decreto baptiſma abſque verbis Evangelicis collatum approbaſſe, ratumque dixiſſe. Quid plura? Compertum eſt, omnes illius ætatis Epiſcopos duas in partes ſciſſos fuiſſe, Cypriani nimirum aut Stephani; nulli rurſus dubium eſt, illos in errore verſatos eſſe, qui Cypriani partibus adhærebant. Jam inquio, ſi Stephanus non Catholicam veritatem, ſed errorem alterum è diametro oppoſitum lato Decreto, propugnabat, erroris itaque luto adhærebant qui cum ipſo ſentiebant Epiſcopi; atque ita univerſa illius ætatis Eccleſia in errore, circa Hæreticorum baptiſma verſabatur: Quod Chriſti Domini pollicitationi repugnat, qua futurum ſpopondit, ut nuſquam portæ Inferi adverſus Eccleſiam prævalerent.

Ceſpitavit itaque Benedictus XII. in Reſponſione ad Fraticellorum objectiones, dum ſcripſit, Concilium Nicænum extremos errores Cypriani & Stephani correxiſſe, mediumque inter utrumque iter arripuiſſe; fidem quidem in Baptiſmi Miniſtro minimè neceſſariam ſtatuens contra primum; Trinitatis invocationem neceſſariam definiens contra Secundum. Ceſpitavit, inquam, dum hæc ſcriberet Benedictus, neque verò id mirum, cum nec dum in Pontificiæ au-

(a) *Apud Tournelii pag.* 227. *de Sacram. in genere*. (b) *Apud eund. ibid.*

authoritatis culmine locatus esset, dum eas Fraticellorum objectiones de scripto uti privatus Theologus confutavit.

Sequitur altera difficultas eliquanda, quo tempore Præsules Orientales errorem de rebaptizandis hæreticis retractarint? Retractasse Baronius putat, Stephano Rom. Pont. adhuc in vivis agente: hujusque suæ Sententiæ fundamentum petit ex Epistola S. Dionysiii Alexandrini ad eumdem Stephanum data, apud Eusebium *lib.* 7. *Hist. Eccles. Cap.* 4. ubi Orientales Ecclesias antea dissentientes ad concordiam reductas esse profitetur. Quin & inter eos Episcopos & Ecclesias, quæ mutuam concordiam inierant, Firmilianum totamque Cappadociam recenset. Verùm non advertit Purpuratus historicus, S. Dionysium Alexandrinum non de controversia circa rebaptizantes agitata, sed de Novatiani Schismate locutum esse, quod cum in Orientem permeasset, tandem aliquando Stephani ætate sopitum est, Episcopis universis seu Novatiano faventibus seu Novatianum execrantibus, in mutuam concordiam adductis. Ita intelligendum Dionysium Alexandrinum Eusebius judicat, dum scribit, *hoc ipso in Capite: Dionysius igitur ubi longum Sermonem cum Stephano per Litteras de hac controversia contulit, tandem declarat, quo pacto persecutionis fluctibus sedatis, omnes ubique Ecclesiæ, nova ac perversa Novatianæ hæresis pravitate repudiata, pacem inter se conciliassent.*

Quam infeliciter calculum hac occasione posuerit Baronius, ineluctabili argumento colligimus ex eodem S. Dionysio Alexandrino cujus sibi patrocinium arrogavit. Is siquidem in Epistola ad Sixtum Rom. Pont. Stephani Successorem data, cujus fragmentum Eusebius exhibet *lib.* 7. *Hist. Eccles. Cap.* 4. errori rebaptizantium palam apertèque suffragatur: Concilia Iconiense & Synadense, ubi error ille sub Firmiliano definitus fuerat maximæ authoritatis Synodos vocitat. Qua verò fronte ita Sixto Stephani Successori scribere potuisset, si sedente Stephano ipso, errorem de rebaptizandis hæreticis Orientales revocassent; illasque suas pseudo-Synodos rescidissent? Non ergo sub Stephano, imò neque sub Sixto suum illum errorem Orientales ejurarunt.

Addam etiam nec addidisse pigebit, nequidem tempore Basilii Magni, hoc est anno circiter 360. errorem hunc ab Orientalibus fuisse revocatum. Is quippe Epistola I. Canonica ad Amphilochium, Firmiliani de rebaptizandis hæreticis opinionem amplectitur: Ecclesiamque Cappadociæ, cui idem ipse præerat, Catharos, Encratitas Hydroparastatos & Apotactitas etiamnum rebaptizare monet; quamquam ii omnes Evangelicam baptizandi formam integram custodirent. At si Firmilianus eique consentientes Episcopi errorem illum dudum ejurassent: qua ratione id ignorasset Basilius

lius Magnus, qui & ipse Cappadox erat, & Cæsareæ in Cappadocia Episcopus? Quomodo ex Ecclesiæ suæ monumentis palinodiam adeo solemniter decantatam compertam non habuisset? Quomodo consuetudini jam dudum antiquatæ fuisset obsecutus? Figmentum itaque est quod nobis Baronius obtrudit, de retractato sub Stephano Summo Pont. rebaptizantium errore, ab Episcopis Asiaticis.

Historicum Purpuratum fefellit factum singulare ab Eusebio relatum *lib.* 7. *Hist. Eccles. Cap.* 8. Hominis scilicet ab Hæreticis baptizati, neglecto Ecclesiæ Catholicæ ritu. Quem cum Dionysius Alexandrinus rebaptizare jure potuisset, quippe qui irrito baptismate fuerat initiatus, noluit tamen, donec Sixti Romani Pont. sententiam efflagitasset; ne videretur (sic enim consilia ejus Baronius interpretatur) vel levi aliqua suspicione perstare in Sententia de rebaptizandis Hæreticis. Quam agendi rationem minimè tenuisset, nisi prius in Sententiam Stephani descendisset. Hoc, inquam, factum Baronium fefellit, seu potius eo facto cæteros fallit Purpuratus historicus: Omnia quippe miscet, & in contrarium sensum detorquet, ut inde Sententiæ suæ præsidium petat. Non enim de viro ab Hæresi ad Ecclesiam novissimè accedente, quem certò constaret fuisse ab Hæreticis baptizatum neglecta Canonica forma, quæstio erat, dum S. Dionysius Sixtum Rom. Pont. consuluit: sed de scrupuloso quodam ac deliro sene, qui num fuisset ab Hæreticis debitè tinctus ambigebat, quique ad Communionem Ecclesiasticam, jam ante annos admodum multos, receptus fuerat, etiam ante Beatum Heraclam, cui in sede Alexandrina Dionysius proximè successerat. Quare quod illum inconsulto Sixto R. Pont. tingere Dionysius nollet, non ex conditione suscepti baptismatis oriebatur, sed quia jam dudum ad Communionem Ecclesiasticam a suis decessoribus receptus fuerat. Nolebat enim Sanctissimus Præsul in acta decessorum suorum inquirere, & quæ ab ipsis gesta essent rescindere; putabatque diuturnam illam Communionem, qua fuerat cum fidelibus sociatus ille Senex, satis habere virium ad ejus animum purgandum. Audi verba Dionysiii in ea ad Sixtum Epistola: *Nam qui gratiarum actiones audivisset, qui amen una pronunciavisset, qui adstitisset mensæ, qui manus ad Sanctum illud alimentum capescendum porrexisset, qui illud recepisset, qui tam longo tempore fuisset corporis & Sanguinis D. N. Jesu Christi particeps, ejus baptisma non audebam de integro renovare*. En quid scrupulum Dionysio moverit, non præconcepta sententia de valore baptismatis ab Hæreticis ministrati. Perperam igitur ex eo scrupulosi senis facto, extundere Baronius nititur; Asiaticos ætate S. Dionysiii Alexandrini, una cum ipso pristinam de rebaptizandis hæreticis Sententiam correxisse.

Quan-

Quandonam ergo, inquies correxerunt? Dicam breviter nullum diſtinctum tempus præfiniri poſſe; Veriſimilius tamen eſſe, correxiſſe circa annum 370. quod rebus inter ſeſe mutuò collatis extundere facile eſt. Non depoſuerant etenim anno circiter 360. quo Baſilius Magnus ſuas ad Amphylochium Epiſtolas dederat, ut oſtendimus: depoſuerant verò diu antequam Auguſtinus Donatiſtas ſcriptis exagitaret anno circiter 390. uti ex ipſa Donatiſtarum confeſſione colligimus apud Auguſtinum *lib. 3. contra Creſconium Cap. 2.* Ii ſiquidem fatebantur, *Majores ſuos judicium ſuum reſcidiſſe, quo eis placuerat de iſta baptiſmi quæſtione cum D. Cypriano ſentire.* Neceſſe igitur eſt, ut ea ætate temporum errorem correxerint Aſiatici, quæ a tempore Baſilii Magni ad Amphylochium ſcribentis, ad confutationem Donatiſtarum effluxit: ab anno videlicet 360. ad annum 390. Quamquam veriſimile ſit, errorem uno eodemque momento extinctum non eſſe, ſed ſenſim ſine ſenſu: prout Eccleſiæ Præſules, Canonum Concilii Nicæni 8. & 19. (*a*) ſenſum examinarunt; erroremque rebaptizantium per legitimam conſequentiam proſcriptum internoverunt.

In ſequenti curioſam quæſtionem agitabimus de Concilio plenario, cujus authoritatem Donatiſtis rebaptizantibus toties oppoſuit Auguſtinus: Num ſcilicet eo nomine Arelatenſe primum, an veriùs Nicænum intelligendum veniat?

(a) *Apud Tournelii de Bapt. pag.* 105. *Venetiis* 1739.

PRÆLECTIO XVI.

Quodnam fuerit Plenarium illud Concilium, cujus authoritatem Donatiſtis rebaptizantibus toties Auguſtinus oppoſuit, quæritur, explicatur.

CYpriano ac Firmiliano, cæteriſque Africanis & Aſianis Epiſcopis, qui hæreticos denuò baptizandos propugnarunt, vocatis ad ſuperos; ipſoque etiam errore a Concilio Nicæno & Arelatenſi reprobato; eumdem illum Donatiſtæ malo in Eccleſiam animo ſuſcitarunt. Eccleſiæ cauſſam egit D. Auguſtinus, pugnavitque pro aris & focis, libris ſeptem eo de argumento adverſus Orientis hæreticos adornatis. Porro inter innumera, quibus recuſum errorem exagitat, argumenta, Concilii cujuſdam plenarii authoritatem ſæpius urget, cujus Canonibus cauſſam hanc eliquatam dicit ac definitam; nuſpiam tamen ſuum illud Concilium plenarium, diſtincto urbis nomine nuncupavit. Hinc apud viros criticæ ſcientiæ peritos orta lis eſt, quodnam illud tandem eſſet. De duobus duntaxat quæſtio vertitur, de Nicæno videlicet primo, & de Arelatenſi itidem primo. Cum enim utrumque de hæreticis minimè rebaptizandis ſententiam dixerit, antequam cum Donatiſtis manus conſereret Auguſtinus, illud quidem *Can.* 8. *&* 19. iſtud *Can.* 8. alterutrum a Sanctiſſimo Doctore appellari neceſſe eſt. Cætera quippe Concilia, ante motam Donatiſtis litem illam celebrata, ut Conſtantinopolitanum I. & Sardicenſe, Controverſiam de rebaptizandis hæreticis nullatenus attigerunt, ut appellari ab Auguſtino potuerint.

Qua in re ut dicam ipſe quod ſentio, ita de celebri controverſia ſtatuo: Nomine Concilii plenarii, cujus authoritatem adverſus Donatiſtas toties urget Auguſtinus, Nicænum I. intelligendum venit, non Arelatenſe. Auguſtinus enim ſuum illud Concilium, in quo errorem rebaptizantium proſcriptum ait, non plenarium duntaxat vocitat, ſed *plenarium totius orbis Concilium, lib.* 1. *Contra Donatiſtas Cap.* 7. *Plenarium Univerſi Chriſtiani orbis. Lib.* 2. *Cap.* 3. *Plenarium univerſæ Eccleſiæ omniumque regionum Cap.* 4. At notæ illæ in Nicænum Concilium apprimè cadunt, quod generale & Oecumenicum fuit, ex univerſis totius orbis Epiſcopis congregatum, ut nemo neſcit: Minimè verò in Concilium Arelatenſe primum, cui potiſſimæ Concilii Oecumenici dotes defuere; utpote cui nec per ſeſe nec per Legatos præfuit Romanæ Eccleſiæ

Pon-

Pontifex; nec ex universo Orbe Catholico convocatum fuit, sed ex quibusdam duntaxat Provinciis Occidentis, ad caussam Cæciliani Carthaginensis Episcopi cognoscendam. Nicænum igitur, non Arelatense Concilium eo nomine intellexit Doctor Sanctissimus.

Et verò locis aliis benè multis, Concilii Arelatensis distinctè meminit Augustinus, maximè verò *Epist. 162. ad Eleusium*, *Epist. 68. ad Januarium*: *lib. 2. contra Litteras Petiliani Cap. 91. &* *lib. 4. contra Cresconium Cap. 7.* (*a*) Nusquam tamen Concilii plenarii nomen illi arrogat, sed Judicium Episcopale duntaxat appellat: quamquam illius instituto conduceret maximè, grandia illi nomina tribuere illiusque authoritatem amplificare; cum ejus suffragium adversus Donatistas, alterius quæstionis occasione, regereret. Sed neque id satis; non modò Concilii plenarii titulum Arelatensi Concilio nuspiam detulit Augustinus, verùm etiam Arelatense Concilium plenario Concilio opposuit *Epist. 162.* (*b*) Ubi Donatistarum obliquas artes sugillat, quòd a Romano Concilio sub Melchiade Rom. Pont. celebrato damnati, ad Imperatorem provocassent; qui caussæ illorum discutiendæ provinciam Concilio Arelatensi demandavit; cum potius ad Concilii plenarii judicium provocare debuissent. Quod certè nusquam dixisset aut exprobrasset Augustinus, si Concilium illud Arelatense, uti plenarium agnovisset.

Rursus Augustinus Concilium plenarium, cujus in Donatistas judicium urget in caussa de rebaptizandis hæreticis, tantæ authoritatis esse ait, ut ei dubio procul Cyprianus cum Conciliis suis Africanis, & Firmilianus cum Asiæ Conciliis, sine cunctatione cessissent: Ita ille *lib. 2. de baptismo Cap. 3.* (*c*) At si hoc plenarii nomine non Nicænum, sed Arelatense Concilium intellexisset Augustinus, vereor ut tot Asiana & Africana Concilia, quæ rebaptizandos hæreticos definierant, illius definitioni spontè cessissent: Utpote quæ tantæ, ne dicam majoris, pro numero confluentium Episcoporum, authoritatis erant. Ad ea quippe totius Orientis Præsules convenerant Cypriano ac Firmiliano suffragaturi; uti totius Occidentis Episcopi ad Arelatense convenerant. Verùm si plenarii Concilii nomine Nicænum intelligatur, nulla suboriri dubitatio potest, quin ejus judicio Africani & Asiani cessissent, cum illuc totius orbis Episcopi convenissent.

Opponunt qui contra sentiunt, Augustino familiare esse, Concilii plenarii nomen iis etiam Synodis attribuere, quas generales, & Oecumenicas nequaquam agnoscit. Sic Concilium Bagajense, quod a Donatistis celebratum est, ut ortum inter eos Schisma sedaretur, plenarium passim vocitat Augustinus, *lib. 2. contra Epist.*

(a) *Lugduni* 1559. (b) *ibid. ut sup.* (c) *Ædit. Lugduni* 1559.

Parmen. Cap. 5. *lib.* 2. *de Bapt. contra Donatist. Cap.* 7. *lib.* 3. *Cap.* 2. (*a*) quamquam illud Oecumenicum non agnosceret. Sic & in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ, Conciliis Nationalibus solius Africæ, plenariorum Conciliorum nomen adscribitur, *Num.* 19. 28. 117. 138. Quid ni igitur, (inquiunt) Arelatense Concilium, plenarii nomine intellexisset Augustinus, quamvis Oecumenicum re ipsa non fuerit; quia ad illud variarum Nationum Episcopi convenerunt?

Equidem id extundi utcumque posset, si Concilium Bagajense, aliaque id genus, quæ Oecumenica non esse constat, plenaria simpliciter, & absolutè dicere solitus esset Augustinus; aut etiam, quod rei caput est, si plenaria totius orbis, cunctarum gentium, omnium Ecclesiarum, solito nuncupasset: Quibus omnibus titulis Concilium plenarium, de quo in præsentia disputamus, ornavit. At longè aliter se res habet. Concilium siquidem Bagajense, non absolutè plenarium vocitat, sed plenarium Donatistarum, quia illuc totius Sectæ Præsules Schisma sedaturi convenerant. Non absimiliter Africana Concilia, plenaria totius Africæ nuncupantur, non absolutè ac sine temperamento. Cedo si vel unum ex Augustino vel ex Ecclesiæ Africanæ Codice locum proferant, ubi absolutè vocentur hoc nomine: Multò magis, si plenaria totius orbis, cunctarum gentium, omniumque Ecclesiarum nuncupata inveniantur Concilia aliqua, quæ Oecumenica re ipsa non fuerint.

Sunt qui Concilii Arelatensis I. dignitatem amplificent, ut Concilii plenarii nomen illi absolutè ab Augustino concedi potuisse, demonstrent. Illudque ex omnibus Mundi partibus convocatum probant, ex *Canone* 18. alterius Concilii Arelatensis. At illi mutant quadrata rotundis, remque manifestam inferunt veritati; Certè ex omnibus mundi partibus non fuisse convocatum Concilium I. Arelatense, ex ipsa Constantini Magni, a quo fuerat convocatum, Epistola *ad Christum Syracusanum Episcopum*, satis liquet. *Plurimos inquit ex diversis, & compluribus locis Episcopos in Arelatensium oppido, ad Calendas Augusti convenire præcepimus:* Ut ex græco Eusebii textu *lib.* 10. *Hist. Cap.* 5. a Sirmondo latinè redditum est. *Ubi diversa & complura loca, non universas mundi partes* numerat Constantinus, è quibus primæ Synodi Arelatensis Episcopi asciti sint. Liquet hoc idem ex ipsa Epistola Synodica Concilii ad Sylvestrum Papam, ubi se ex diversis Provinciis convenisse profitentur Episcopi: *Cum diversæ sint Provinciæ*, inquiunt, *ex quibus advenimus &c.* Non igitur ex universis Arelatem advenerant. Quod ita profectò notum exploratumque est; ut illos in historia Ecclesiastica hospites prorsus ac peregri-

(a) *Ædit. Lugduni* 1559.

grinos esse opporteat, qui aliter effutierint. Quod ergo *Canone* 18. alterius Synodi Arelatensis observatur, *ex omnibus mundi partibus* Episcopos convenisse, exaggeratione quadam dictum est, ut Ecclesiæ Arelatensis dignitas commendetur: Undè & hoc temperamentum addidere, *& præcipuè Gallicanis;* Quod minus congruè notaretur, si partes orbis universas intellexissent absolutè.

Alterum ex Topographia argumentum repetunt adversæ partis actores. Augustinus (inquiunt) *lib.* 2. *de Bapt. contra Donatistas cap.* 88. (*a*) Concilii plenarii nomine, in quo quæstio de baptismate hæreticorum finita est; Concilium aliquod *transmarinum* intellexit, hoc est Transmare celebratum. Scribebat porro Augustinus in Africa, cujus comparatione Arelatense Concilium Transmarinum est, minimè verò Nicænum. At id tam falsum est, quam quod maximè: Nicæam Urbem, Africæ quoque comparatione, Transmarinam esse, non modò Topographi notant, verùm etiam Augustinus ipse *lib.* 2. *contra Cresconium cap.* 37. (*b*) obliquè observat. Cum enim inter Ecclesias Transmarinas, quarum auctoritatem adversus Donatistas urgebat, Bythiniæ Ecclesias recenseat, Nicæa verò, quæ Nicæno Concilio nomen dedit, Bithiniæ civitatibus adnumeretur; consequens est, Nicænum Concilium Transmarinum fuisse Africanis; adeoque nomine *universalis & Transmarini Concilii*, ubi rebaptizantium profligatus est error, a S. Augustino intelligi potuisse.

Ultimam ex utriusque Concilii Canonibus impressionem faciunt Nicæni Concilii oppugnatores. Nullus, inquiunt, in Concilio Nicæno Canon extat, quo Donatistarum Anabaptismus damnetur, aut quo sanciatur, omnium hæreticorum baptisma ratum esse. Contra illos verò, in Concilio Arelatensi primo, Canon octavus disertissimus editus est: Plenarium itaque Concilium, in quo quæstio de hæreticorum baptismate finita fuit, Arelatense est, non Nicænum.

Quin adversùs errorem illum singularis Canon in Concilio Arelatensi sit editus, non imus inficias; Neque enim ea de caussa, ab Augustino appellari contra Donatistas potuisse, diffitemur. Cæterum nullo in Nicæno ea de re Canonem editum esse, hoc verò perfractè negamus. Etenim *Canone* 8. decretum est, Novatianos ad Ecclesiam reduces, cum sola manuum impositione reconciliatoria recipi oportere, nullo iterato baptismate; quod nempe Novatiani verbis Evangelicis, rituque debito suos tingerent: *Canone* autem 19. sancitum est, Paulianistas ad Ecclesiam confugientes, baptizandos esse, quod videlicet Evangelicum baptizandi ritum nullatenus observarent. An non, quæso, ex duobus illis Canonibus mu-

(a) *Lugduni* 1559. (b) *Edit. ut sup.*

mutuò collatis istud apertè conficietur, baptismum hæreticorum, ritum Evangelicum observantium, quales Novatiani erant, ratum esse, ac minimè iterandum: Eosque solos secundò tingendos esse, qui debitam baptismi formam, uti Paulianistæ, violassent?

Quorsum ergo, inquies, si veritas hæc in Concilio Nicæno decisa erat, Basilius Magnus Concilio Nicæno posterior *Epist. 2. Canonica ad Amphilochium* scribebat, opportere plures Episcopos simul convenire, & Canonem condere, an baptisma Encratitarum, Saccophororum & Apotactitarum probandum esset aut rejiciendum? Profectò cur ita scripserit, haud satis scio: hoc tamen mihi certum, idem argumentum in adversarios regeri posse: quorsum ita Basilius scripserit, si jam eliquata ac finita quæstio fuerat in Arelatensi Concilio, quod cunctarum gentium, totius orbis, omniumque Ecclesiarum vocaverit Augustinus? Non ergo perspicua neganda sunt, quia alia obscura sunt: Nec negandum, quæstionem hanc a Nicæno Concilio decisam esse, quia vix satis intelligi posset, cur novum ea de re Episcoporum Canonem Basilius postulaverit. Dicam tamen, id fortè Basilium postulasse, quod rebaptizantium error non distinctè ac nominatim in Concilio Nicæno damnatus esset, sed per legitimam duntaxat consequentiam *ex 8. & 19. Canone* derivatam. Fieri quippe potuit, ut S. Basilius ad eam consecutionem minus adverteret; quam Patres S. Basilio posteriores, quos excitata ab Donatistis controversia attentiores fecit, secutis temporibus observarunt.

In sequenti Prælectione, de Ministro necessitatis disputatio fiet. Num scilicet a Laicis ac etiam mulieribus baptismi Sacramentum instante necessitate conferri possit.

PRÆ-

PRÆLECTIO XVII.

Ecclesiam omnes ac singulos etiam de populo, mares ac fœminas, Hæreticos, Judæos & Ethnicos sufficientes baptismati conferendo Ministros agnoscere, ubi extrema necessitas urget, probatur atque defenditur.

DIximus in hanc diem de eo baptismatis administro, quem ordinarium Schola vocat, cui nempe ex Officii præscripto incumbit, sacrum lavacrum ordinario jure ministrare: Nunc tandem de Ministro necessitatis dicendum venit; De illo inquam, qui cogente necessitate, ubi alterius copia non suppetit, regenerationis Sacramentum conferre potest. De duplici porro personarum conditione movetur quæstio, possint ne Ministri necessitatis esse: de mulieribus scilicet, ac de infidelibus minimè baptizatis, Judæis scilicet atque Gentilibus? De illis enim dubitatum est olim, possint ne adigente necessitate, atque ubi non est ordinarii Ministri copia, Sacramentum baptismatis ministrare.

Quocirca Ecclesia Catholica neminem hujusce administrandi Sacramenti facultate destitutum existimat; sed omnes ac singulos etiam de Populo, mares ac fœminas, hæreticos, Judæos, & Ethnicos, sufficientes baptismati conferendo Ministros agnoscit, ubi extrema necessitas urget.

Ita tamen ut hunc inter illos servari ordinem velit: Ut nimirum absente Presbytero, cui jus illud assertum est, Diaconus si fortè cum aliis præsto sit, cæteris præponatur, in sacri baptismatis collatione, Clericus Laico; Vir Mulieri, Monogamus bigamo, fidelis infideli.

Fatendum nihilominus bona fide, omnes ac singulas hujusce Catholicæ assertionis partes, non æquè priscis Ecclesiæ Patribus innotuisse. De mulieribus enim, nec non etiam de iis, qui sacro baptismati tincti non sunt, ut Hebræi atque Gentiles, quæstio fuit olim, num ratum validumque baptisma conferre possent, Patribus nonnullis id perfractè negantibus?

Et quidem Tertullianus austeri supercilii vir, & mulieribus parum propitius, hanc illis facultatem baptizandi adimit, quantalibet necessitas urgeat, *lib. de baptis. cap.* 17. (*a*) neque enim audiendi veniunt Theologi illi, qui ut Tertullianum benigniùs exponant, eum de solemni baptismatis administratione locutum ajunt, quasi hanc

(a) *Apud Tournelii de Bapt. Edit. Veneta* 1739.

hanc unam mulieribus denegarit, non alteram, quæ præcisis solemnitatibus privatim cogente necessitate peragitur, futilis excusatio illa est. Enim verò, cum Tertullianus facultatem eo loci mulieribus denegatam, viris laicis largiatur, illasque istis opponat; certo certiùs est, eum non de solemni, sed de privata baptismatis collatione intelligendum esse. Aliàs æqua sorte Viros Laicos ac mulieres conferendi baptismatis potestate exuisse.

De Augustino explorata quoque res est, illum usque adeo subdubitasse, num baptismus ab homine non baptizato collatus, iterandus esset, atque adeo iritus esset habendus, ut Concilium Oecumenicum, ad hujusce quæstionis eliquationem, celebrandum optaverit, *lib. 2. contra Epist. Parmeniani cap. 12. & lib. 7. de bapt. cap. 53.* (*a*) Imò si genuinum integrumque est *Caput 94. libri 5. Capitularium Regum Francorum*, exploratum erit, usque adeo baptismum a viro non baptizato collatum nullum olim fuisse habitum in Galliis, ut etiam iterandus decerneretur, dum ab eo bona fide collatus erat, qui semetipsum baptizatum putabat, & in Ecclesiæ communione versabatur, qui tamen baptizatus re ipsa non erat. Ita quippe eo in capitulo sancitum est: *Si quis Presbyter ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur, & ordinetur iterum, & omnes quos prius baptizavit, baptizentur*. Verùm an integrum sit caput illud, ambigitur; quamquam enim iisdem omnino verbis legatur apud Burchardum *lib. 4. cap. 74.* & apud Ivonem Carnotensem *parte 1. cap. 268.* (*b*) Ea nihilominus verba, quæ rei summam conficiunt: *baptizentur omnes, quos prius baptizavit*, apud Gratianum expuncta sunt, *caussa 1. qu. 1. cap. si Presbiter*. Item *extra, de Presbytero non baptizato Cap. Siquis Presbyter*. Unde Antonius Augustinus, *in Notis, ad primam collectionem decretalium*, monet verba hæc rectè omissa esse a Bernardo Papiensi, & a D. Raymundo.

Ut ut est, Catholica veritas certa & indubitata est, posse mulieres, ipsosque etiam infideles non baptizatos, baptismi Sacramentum administrare, urgente necessitate; Iisque nititur fundamentis, quæ rem extra omnem dubitationis aleam ponent; Ex quo potissimum tempore, Concilium Oecumenicum, cujus definitionem ea in caussa desideraverat Augustinus, ultimum excitatæ olim controversiæ sigillum posuit. Utque de prima conclusionis hujusce parte dicam ordine primo.

Mulieres adigente necessitate Baptisma ministrare posse, plus satis evincit exemplum Sephoræ Uxoris Moysis, quæ periclitantem filium circumcidit *Exodi 4.* Cum enim non alia de caussa id sibi urgente periculo licitum fecerit Sephora, quam quia supremæ necessi-

(a) *Edit. Parisiis 1560.* (b) *Vide Tournelii.*

ceffitatis Sacramentum circumcifionis erat filiis Hebræorum; quidni pari jure miniftrare legitimè mulieres noftræ poterunt, cujus non æqua modò, fed multò gravior neceffitas nobis incumbit? Fruftra verò, ut illud argumentum elidat, reponit Calvinus, Sephoram ob iftud facinus attentatum, dediffe pœnas; quandoquidem *lib. 2. Mach. cap. 6.* duæ mulieres celebrantur, quod fervente perfecutione Antiochi filios fuos circumcidiffent.

Confirmatur hoc idem *ex Canone fuper quibus; cauffa 30. quæft.* 3. Ubi Urbanus Papa ita refpondet. *Super quibus confulit nos tua dilectio, hac videtur nobis ex fententia refpondendum, ut & Baptifmus ratus fit, fi inftante neceffitate fœmina virum in nomine Trinitatis baptizaverit.*

Addunt nonnulli quarti Concilii Carthaginenfis *Canonem* 110. Ubi ita legunt, *mulier baptizare non præfumat, nifi neceffitate cogente:* quafi mulieribus conferendi baptifmatis facultatem faciat S. Synodus, ubi neceffitas incumbit: Verùm exceptionem illam, *nifi neceffitate cogente*, non habent probati Conciliorum Codices, tametfi Gratianus eam exhibeat *Cap. Mulier dift. 4. de Confecr.* Undè objectionis loco potius habendus eft Canon ille, quam probationis. Feliciùs in hujufce veritatis confirmationem afferri poffunt veterum Conciliorum atque Pontificum decreta, nec non etiam SS. Patrum oracula: maximè verò S. Auguftini *lib. 2. contra Epift. Parmen. cap.* 13. S. Hieronymi *in Dialogo contra Lucifer.* Ifidori *lib. 2. de Offic. cap.* 24. Gelafii Summi Pont. *Epift.* 1. (*a*) Quibus omnibus vifum eft, baptifmum a quovis Laico collatum validum effe, nulla inter Laicos Sexuum diftinctione pofita: quod minus prudenter actum videri poffet, fi folis viris, non item fœminis facultas illa conveniret. *Et quidem in Chrifto non eft mafculus neque fœmina*, ut ait Apoftolus *ad Coloff.* 3. Sicut ergo mafculus Laicus baptizare poteft, quia Minifter Chrifti eft, de quo Joannes ait, *hic eft, qui baptizat*, ita etiam fœmina; Cum ea facultas a nullo Charactere, nulla inauguratione dependeat.

Rationem affignat Doctor Angelicus 3. *par. q. 67. Art.* 3. (*b*) Quia ad mifericordiam Dei omnes homines falvare volentis attinet, ut in his quæ funt ad falutem penitus neceffaria obtinendis, homo facilem viam habeat: nihil porro ad falutem neceffarium magis facro baptifmate: Divinæ mifericordiæ maximè congruebat, ut facillimam ad illud obtinendum pararet viam; quod alia ratione evenire non potuit, quam indifcretam omnibus facultatem baptifmatis conferendi concedendo, ubi neceffitas urget, nulla fexuum difcretione conftituta.

Pars catholicæ affertionis altera, quæ validum baptifma conten-

(a) *Apud Tournelii Edit. Venetæ* 1739. (b) *Lugduni* 1590.

dit, ab Infideli non baptizato, hoc est ab Hebræo vel Gentili collatum, æquè firmis stat fundamentis.

In primis enim, cum ea baptismi conferendi potestas a Charactere, aut a fide ministri minimè pendeat, uti occasione celeberrimæ controversiæ de rebaptizandis hæreticis a Concilio Nicæno, Arelatensi, Capuano, & Constantinopolitano I. sancitum est, perinde ab hebræo atque gentili conferri validè poterit, si modò Trinitatis invocationem verbis saltem adhibeat. Ita planè statutum est, *Cap. Romanus dist.* 4. *de Consec. Romanus Pontifex*, inquit, *non hominem, qui baptizat, sed Spiritum Dei subministrare gratiam baptismatis judicat, licet Paganus sit qui baptizat*. Et *cap. a quodam*, *eadem dist.* quod est Nicolai I. Responsum ad Consulta Bulgarorum. *A quodam Judæo, nescitis utrum Christiano an Pagano multos in vestra patria baptizatos asseritis, & quid de iis sit agendum consulitis: hi profectò si in nomine SS. Trinitatis baptizati sunt, constat eos non esse denuò baptizandos*. Hinc *lib.* 5. *Capitularium Regum Franc. cap.* 6. *Siquis baptizatus est a Presbytero non baptizato & S. Trinitas in ipso baptismo invocata fuit, baptizatus est; sicut Sergius Papa dixit: Impositione verò manus indiget. Gregorius Episcopus Romanus, & Joannes Sacellarius sic senserunt*.

Quæ cum ita sint, si quæ fortè occurrunt Decreta Pontificum, quibus ii secundò baptizari decernuntur, qui a paganis tincti fuerant; uti videre est *in Cap. quos a Paganis dist.* 4. *de Consecrat. Epist.* 1. Gregorii III. *ad Bonif. cap.* 5. *lib.* 7. *Capitularium cap.* 401. eo sensu accipienda veniunt, ut iterandum baptismum illum edixerint, in cujus collatione Trinitas invocata non fuerat: aut certè ita Oeconomiæ caussa sancitum est, quia gravissima suspicio suberat, ne ea invocatio omissa esset ab iis qui ejus fide nequaquam imbuti sunt. Id ni dicamus, secum ipsi pugnabunt Romani Pontifices.

Duo sunt quæ in oppositum regerit Joannes Calvinus. Primum; Christum Dominum solis Apostolis, non item Laicis dixisse *Matth. ult. docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Secundum; D. Epiphanium *hæresi* 42. quæ est Marcionis, illud inter cætera hæreseos illius capita numerare, quod Baptismum a mulieribus dari permitteret.

Nos utrumque facilè extricamus. Primum quidem: Christum Dominum solemnem baptismatis administrationem solis Apostolis demandasse, dicimus; tametsi privata ejusdem administratio, atque ubi necessitas urget, a Laicis perfici possit. Id ex duplici capite confirmatur. Primò; Quia Christus baptismatis collationem cum Divini Verbi Prædicatione conjungit, & utramque demandat Apo-

Apostolis : *Docete* , inquit , *omnes gentes baptizantes eos* : at id non obest, quominus privatis quibusdam in casibus, atque ubi necessitas incumbit , Dei verbum privatim nunciari a Laicis , atque etiam a mulieribus possit. Imò *Actorum* 18. 21. 26. fertur, Aquilam virum Laicum, & Priscillam Uxorem ejus, Dei verbum Appollini nunciasse, eidemque viam Domini exposuisse: quid ni quoque hoc idem de baptismo dicamus, salvo Christi Domini Oraculo? Secundò ; Quia si quævis baptismatis administratio etiam privata solis Apostolis demandata esset a Christo ; Non modo laicis interdicta esset, verùm etiam & omnibus, qui Episcopali , aut certè Sacerdotali inunctione destituti sunt : ii quippe duntaxat, Apostolis successisse dicuntur; At baptismum a Diaconis saltem ministrari posse testantur sacræ Litteræ. *Actorum* 10. & 13. Quin etiam tantùm abest , ut baptizandi munus solis Apostolis concreditum esset; ut potius id muneris aliis Apostoli delegarent , ut uni Prædicationi Evangelicæ incumberent . Unde Apostolus 1. *ad Cor.* 1. *Non mittit me Dominus baptizare*, *sed Evangelizare*. Ac quamquam universum orbem , Dei verbum disseminando , peragrarit ; neminem tamen sacro baptismate tinxit , præter Cajum , & Crispum, & Stephanæ domum.

Alterum ex D. Epiphanio petitum argumentum minus urget (*a*) Marcionitæ enim , quos ille meritò carpit , solemnem baptismatis administrationem mulieribus adjudicabant : atque idcirco severam Sanctissimi Doctoris animadversionem merebantur . Nos longè aliter , qui hanc eis conferendi baptismatis veniam facimus , ubi suprema necessitas incumbit ; atque ea etiam lege, ut a celebrandis cæremoniis ad solemnitatem attinentibus, sibi temperent , easque ordinariis Ecclesiæ Ministris, si per tempus liceat, adhibendas reservent.

Exoluta nunc tandem de baptismi Ministris tractatione, de suscipientibus dicemus in sequenti lectione; ac primò de parvulorum baptismo contra Anabaptistas disputabimus.

(a) *Apud Tournelii de Bapt. Edit. Veneta 1739.*

PRÆLECTIO XVIII.

Parvulos etiam recentes ab Utero, suscipiendo baptismati idoneos esse adversus Anabaptistas propugnatur; eorumdemque momentis occurritur.

DUm pro tuenda puerorum caussa, adversum Anabaptistas disputamus; multis clientibus, qui caussam suam orare non possunt, nostram advocationem accommodamus. In hoc enim Anabaptistarum situs est error, quod Pueros nondum rationis usum assecutos, suscipiendo baptismati minus idoneos dictitent; donec eam ætatem attigerint, qua fidei nostræ Mysteriis probè imbuti; regenerationis Sacramentum per se se ipsimet postulent. Errorem hunc jam a quinto Christiani nominis sæculo enatum esse indicat *Canon* 2. (*a*) Concilii Milevitani, ubi ita ab Ecclesiæ Africanæ Præsulibus sancitum legimus, *placuit ut quicumque parvulos recentes ab Uteris matrum, baptizandos negat, Anathema sit*. Cui quidem definitioni occasionem dedisse Nebulones aliquos, ita jam tunc mussitantes, verisimillimum est. Quare aberrant ii toto ostio, qui errorem hunc undecimo duntaxat sæculo disseminatum autumant, quo tempore a S. Bernardo confutatus est *Sermone 66. in Cantica*, nec non etiam *Epist.* 240.

Utcumque tamen de hujus erroris natalibus se res habeat, ex infaustis cineribus denuo suscitatus est error anno 1527. quo Balthasar Pacimontanus veterem crambem recoxit, suffragantibus ministris Transylvanis, qui pestifero per Germaniam vulgato libello, momenta triginta sex procuderunt, ut parvulos nondum rationis usum expertos, sacro lavacro initiari non posse demonstrarent. Quin etiam eos inter recentiores Anabaptistas, non pauci numerabantur, qui baptismum anno duntaxat trigesimo, ad Christi Domini imitationem, suscipi oportere dictitarent, quos inter Michael Servetus principem locum obtinebat. Errorem hunc sin minus aperto marte, saltem obliquè resoverunt Desiderius Erasmus, & Ludovicus Vives; Ille quidem *in Præfatione Paraphrasis in Matthæum*, ubi homines in infantia baptizatos, dum adoleverint, interrogandos esse docet, an ratum habeant, quod ipsorum nomine in baptismo promissum est, & si ratum non habeant, uti non baptizatos esse dimittendos. Alter *Annotatione in cap. 27. lib. 1. de Civit. Dei* audacter pronunciat, neminem olim, præterquam in adul-

(a) *Apud Tournelii de Bapt. Edit. Venetæ 1739.*

adulta ætate, baptizari consuevisse, qua & baptismum nosceret, ac per sese efflagitaret.

Nos pro Officii ratione, fidei nostræ Caput adversus Anabaptistas propugnandum aggredimur; Mutis animulis, quæ pro se loqui nesciunt, linguæ, ac vocis officium commodamus; uno verbo Infantulos etiam recentes ab utero suscipiendo baptismati idoneos demonstramus, simulque Anabaptistarum momenta convellimus. Facit in hujus veritatis probationem circumcisionis exemplum, quæ in veteri lege nostro baptismati respondebat: In ea quippe venturum Messiam Hebræi profitebantur, quemadmodum & nos Messiæ incarnati fidem in baptismo profitemur. At tametsi fidei professio in Circumcisione fieret, id non oberat quo minus pueri octo dierum circumciderentur parentibus scilicet illorum vice ac nomine fidem profitentibus: quid itaque vetat pueros baptismatis Sacramentum suscipere, fidemque Incarnationis in illius susceptione profiteri parentibus illorum vice profitentibus? Atque idcirco nutat potissimum Anabaptistarum argumentum. Ideo enim pueros rationis usum nondum assecutos, suscipiendo baptismati minus idoneos dictitant, quod fidem per sese profiteri non possint, quasi sit illud absolutè necessarium: nec satis abundè sit, si fidem suam gestantium & offerentium ore profiteantur: ut loquitur Augustinus.

Accedit Christi Domini Sententia *Joan.* 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. non potest introire in regnum Dei*: cujus rationem subjungit quia *quod natum est ex Spiritu, Spiritus est:* Quasi dicat, nemo eorum qui carnales ex carnali origine nati sunt, regnum Cœlorum obtinere potest, nisi Spiritualis evadat ex Spirituali regeneratione, quæ baptismatis beneficio obtinetur. Aut ergo dicendum, pueros Regni Cœlorum obtinendo incapaces omnino esse, aut esse baptismati suscipiendo etiam idoneos. Porro posse parvulos Regnum Cœlorum adipisci, etiam quo tempore nondum ratione utuntur, Christus ipse significavit *Matth.* 19. dum inquit, *Sinite parvulos, & nolite probibere eos ad me venire, talium est enim Regnum Cœlorum*. Quomodo enim Regnum Cœlorum adipisci non possent ii, quorum Regnum Cœlorum esse dicitur? Iis robur addit quod identidem in Actibus Apostolorum observamus, integras scilicet familias sacro baptismate tinctas esse. Sic *Cap.* 16. dicitur Lydia baptizata, *& Domus ejus tota*. Sic de Custode Carceris ibidem legitur *baptizatus est ipse, & omnis domus ejus continuò*. Similiter Paulus I. ad Cor. I. *baptizavi*, inquit, *Stephanæ domum*, at in integris domibus rarum profectò est, ut non sint Infantes aliqui, qui idcirco una cum cæteris lustrabantur.

Sacris Scripturarum Oraculis adstipulatur majorum traditio, jam

a pri-

a primis Ecclesiæ Sæculis, cujus testes omni exceptione majores proferuntur S. Irenæus *lib. 2. adversus hæreses Cap. 39.* S. Justinus *in Cohortatione ad Græcos*. S. Basilius *in oratione adhortatoria ad baptismum*, S. Chrysostomus *homilia ad Neophitos*, S. Hieronymus *Dialogo 2. contra Pelagianos*, qua quidem traditione memoriæ proditum est, primis Ecclesiæ Sæculis pueros baptizari solitos fuisse. Omnibus verò explicatiùs rem ipsam definiunt duo Ecclesiæ Grecæ & Latinæ lumina: Origenes nimirum, cujus hæc verba sunt *lib. 5. in Cap. 6. ad Rom. Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit, etiam parvulis dare baptismum*. Et Augustinus *lib. 10. de Genesi ad Litt. Cap. 23. Consuetudo Matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, nec ullo modo superflua reputanda; nec omnino credenda esset, nisi ex Apostolica traditione manasset*. Idem S. Cyprianus *Epist. ad Fidum*. (*a*)

Secundum hanc traditionem pronunciarunt Summi Pontifices, nec differendum in adultam ætatem Puerorum baptisma, latis Decretis statuerunt: Innocentius I. *Epist. 26. ad Concilium Milevitanum*, Leo I. *Epistola ad Episcopum Aquilejensem*, Gregorius I. *lib. 3. Epist. 9.* quæ est ad Joannem Calaritanum, Innocentius III. *Epistola ad Episcopum Arelatensem*, quæ habetur *capite majores de Baptismo* (*b*). Ex quibus colligere est, quam falsò ac temerè pronunciaverit Ludovicus Vives, a me paulò antea appellatus, neminem olim præterquam in adulta ætate baptizari consuevisse, dum & baptismum nosse posset; ac per semetipsum postulare. Imò unus tota retro antiquitate inventus est Tertullianus, *qui lib. de baptismo Cap.* 18. (*c*) adultam etatem expectari oportere significarit, ut baptismus dignè susciperetur. At tantùm abest, ut cæteris Patribus, atque Ecclesiæ probata fuerit ea Tertulliani Sententia, ut potius in Concilio Africano, ad examen vocata, proscripta sit, teste D. Cypriano, ipsius Concilii Præside, *Epistola ad Fidum*. Differendum ad triennium opinatus est S. Gregorius Nazianzenus *Sermone de Baptismate*. Verùm præterquam quod ea Sententia cum Tertullianica æquo jure damnata videtur, novo insuper, venia sit verbo, absurdo laborat. Si enim aliqua ratione differendus esset parvulorum baptismus, maximè ut ea expectaretur ætas, qua & baptismi virtutem nosse, & fidem in illius susceptione profiteri possent. Aut ergo in adultam ætatem, qua puer rationis est compos, differendus est, aut nullo pacto ad triennium differendus: quandoquidem nec tertio quidem ætatis anno, rationis usum puer habet, ut & baptismi virtutem nosse, & fidem profiteri per sese possit.

Ne-

(a) *Vide Natal. Alexand. de Sacr. Bapt. Cap. 7. Editum Venetiis* 1725.
(b) *Idem ibid.* (c) *Idem ibid.*

Neque leve est rationum pondus, quibus tota retro antiquitate Ecclesia nixa est, ad baptismum parvulis conferendum, & Anabaptistarum momenta refellenda.

Prima petitur ex periculo mortis, si baptismus in ætatem adultam differatur: quam quidem rationem usurpat Concilium Gerundense Sæculo septimo habitum *Can.* 5. Quot enim ante adultam ætatem ex hac luce præripiuntur, qui eo contra peccatum originale destituti remedio, ineluctabiliter damnarentur?

Secunda petitur ex necessaria aggregatione in Corpus Ecclesiæ, ad salutem adipiscendam. Extra Ecclesiam enim nulla Salus est, nec Ecclesiæ aggregatur aliquis, nisi suscepto baptismate, quod idcirco Ecclesiæ janua a Patribus nuncupatur. Aut ergo pueri salutis adipiscendæ sunt penitus incapaces, aut suscipiendo baptismati idonei sunt. Maximè verò, cum baptismatis fides, ac desiderium, quæ ejusdem vicem suppleant, in iis esse non possint, quamdiu rationis usu sunt destituti.

Tertia ratio petitur ex discrimine justificationis adultorum, & infantium: Quod illa fiat cum motu liberi arbitrii, propterea quòd meritoria sit: Ista sine motu, quia meritoria non est. Hinc quippe sequitur posse puerum baptismatis susceptione justificari, etsi nullius actus eliciendi sit capax: Contra quod Anabaptistæ contendunt: Qui idcirco pueros baptizari posse diffitentur, quòd nequeant actus elicere, qui necessariæ sunt ad justificationis gratiam suscipiendam dispositiones. Qua in re toto aberrare ostio convincuntur.

Quarta ratio ex effectu baptismatis delibatur; cui percipiendo uti sunt idonei pueri, ita & recipiendo baptismati. Ecquis enim effectus ille est? Non alius nisi infusio gratiæ & virtutum: gratiæ inquam habitualis & virtutum habitualium; neque enim, aut actualis gratia, aut virtutis actus infunditur. Habituum vero perinde Capaces sunt, qui liberi arbitrii usum habent, ac qui illo sunt destituti. Ut perspicuum fit in dormientibus, qui eosdem retinent habitus, quos possident vigilantes; Imò quibus possunt etiam inter dormiendum novi habitus infundi; uti profectò Salomoni dormienti infusa est sapientia.

Quinta ratio ex generali obligatione profitendæ Christianæ Religionis, quæ certè universis prorsus hominibus incumbuit ex divino præcepto, si velint utique salvi fieri. Undè potissima Anabaptistarum ratio enervatur; Ruit potissimum erroris fundamentum. Idcircò enim pueros ante adultam ætatem baptizari non posse contendunt Anabaptistæ, quia per baptismum contrahitur à baptizato obligatio profitendæ Christianæ Religionis; cum tamen (inquiunt illi) duram obligationem contrahere nemo possit ignorans

rans ac nesciens; multò minus rationis usum nondum habens: Porro totum id liquet esse futilissimum, & quidem ex duplici capite. Primò exemplo circumcisionis. Tam enim circumcisus contrahebat per circumcisionem, obligationem profitendæ Mosaicæ legis; quam baptizatus modò contrahat per baptismum obligationem profitendæ Religionis Christianæ: at eo nihil obstante, circumcidebantur pueri nescientes, ignorantes, usumque rationis nondum habentes: Itaque nihil vetat pueros, ante rationis usum baptizari, etsi per baptismum obligationem contrahant Christianæ Religionis profitendæ. Secundò: nulla cuiquam irrogatur injuria, dum ea illi imponitur obligatio, ad quam aliunde divino jure tenetur: at quicumque mortalium divino jure tenetur ad observantiam Christianæ religionis, imò & ad baptismum suscipiendum obligatur, si salvus fieri velit: *Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non intrabit in Regnum Cœlorum*: Nulla itaque vis infertur parvulis, nulla irrogatur injuria, dum ante rationis usum baptizantur.

Sexta ratio ex natura peccati originalis repetenda venit. Illud enim actu a nobis admissum non est, sed origine tractum; quique eo infecti sunt, aliena voluntate peccasse dicuntur, non propria. Quid ergo mirum, si ut eo mundentur pueri, satis illis est, si fidem aliena gestantium & offerentium voce, ac corde profiteantur, quod in illorum baptismate fit?

Septima atque postrema ratio, ex modo quo baptisma necessarium dicitur delibatur. Illud enim non modo necessitate præcepti, sed & necessitate medii necessarium est: Seu ut Clarius dicam, non modò necessarium est quia præcipitur; sed ideo præcipitur, quia unicum post Evangelicam legem publicatam necessarium remedium est delendi peccati originalis; Esto ergo pueri, implendi divini præcepti, quod de suscipiendo baptismate datur, sint penitus incapaces; utpote qui voluntatis actum exerere nequeunt; remedii tamen suscipiendi idonei sunt. Quidquid verò hac in parte, præcepti est, ab illorum parentibus impletur, atque tutoribus, qui illos Ecclesiæ baptizandos offerunt, fidemque illorum vice ac nomine spondent.

Iis fermè momentis Anabaptistarum error profligatur; quæ omnia idcircò fusè ac distinctè proferre libuit; quia iis ipsis momentis Anabaptistarum quoque Sophismata, Cavillationes, Strophæ, eadem opera refelluntur. Quæcumque enim vel ex sacris Litteris, vel ex Theologica ratione, ad muniendum errorem, summo studio congerunt Anabaptistæ, perpetuo illo laborant æquivoco, quod eamdem puerorum & adultorum conditionem esse putent, eamdem in omnibus justificationis rationem, dispositiones necessarias omnino

no pares, effectus planè similes arbitrentur. Quod quam falsum absonumque sit, satis me arbitror demonstrasse.

Antequam tamen finem dicendi faciam, inemendatam præterire omnino non possum nuperi cujusdam Scribillatoris Patavini insulsitatem, & ineptiam, qui in misera quadam Scriptiuncula, adversus D. Augustinum temerè consarcinata, velut erroneum suggillat, & cavillatur, quod SS. Doctor sæpius inculcat, quodque nos identidem insinuavimus: pueros scilicet baptismate tinctos credere, non per se ipsos quidem; sed per ora parentum, gestantium, & offerentium. *Quid hoc est?* clamat ineptissimus blatero, *Ut pueri salutem baptismate consequantur, necesse non est, ut qui illos gestant, & offerant, credant: Cum tam multi casu, & sine solemnitatibus baptizentur, qui a nemine gestantur & offeruntur ad baptismum*. Vah insulsum Augustini reprehensorem, ineptumque argutatorem? Ignorat scilicet, quod in Sacris Christianæ Religionis institutionibus docentur pueri: Illos scilicet parvulos, qui sine Sacramenti solemnitatibus, nullisque fidelibus parentibus aut patrinis offerentibus, casu aliquo baptizantur, Ecclesiæ, cui tunc aggregantur, ore & corde perinde ac cæteros credere: Ipsamque Ecclesiam iis in casibus, fidem pro iis parvulis profiteri, parentumque, ac patrinorum offerentium, atque tutorum vices omnino gerere. Quin etiam parentes quoscumque patrinosque fideles, qui pueros offerunt baptizandos, fidemque pro iisdem in baptismate profitentur, ipsius Ecclesiæ nomine pueros offerre fidemque profiteri, adeo ut illos veriùs Ecclesia offerat, quam vel ipsi parentes tutores atque patrini: *Offeruntur*, inquit Augustinus *Epist.* 23. (*a*) *ad Bonifacium*, *ad percipiendam Spiritalem gratiam*, *non tam ab eis quorum gestantur manibus*, *quam ab universa Societate Sanctorum atque fidelium*. *Ab omnibus namque offerri rectè intelliguntur*, *quibus placet quod offeruntur; Et quorum Sancta & individua Charitate*, *ad Communionem Sancti Spiritus adjuvantur*. *Tota ergo Mater Ecclesia*, *quæ in Sanctis est*, *pueros gestat*, *& offert*, *quia tota omnes*, *tota singulos parit*.

In quocumque ergo baptismate credunt pueri per ora gestantium atque parentum; in iis tamen qui casu ac sine solemnitatibus baptizantur, aut qui parentibus infidelibus nati sunt, Ecclesia ipsa gestantium, offerentium, atque parentum officium præstat; Sicque stat inconcussa Augustini Sententia, ab inæpto Scribillatore temerè vellicata: *Pueros per ora gestantium*, *& offerentium Deo credere*. Quod sanè eo minus sugillari debuit, & reprehendi, quod & Sacrorum Conciliorum & Romanorum Pontificum sententia sit. Concilii scilicet Carthaginensis Anno 418. habiti, Gelasii R. P.

(a) *Vide P. Natal. Alexand. de Bapt. Cap.* 7. *Editum Venetiis* 1725.

in Epistola ad Episcopos per Picenum constitutos, Cœlestini I. *Epistola ad Gallicanos Episcopos*. Quibus omnibus communis est Phrasis illa Augustiniana, Pueros sacro baptismate tinctos per ora gestantium, & offerentium Deo credere, Christique mandatum hoc saltem pacto pueros implere: *Qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit &c.* Ut planè nemo possit, hanc Augustini Sententiam reprehendere, nisi parem Sacris Conciliis, Summis Pontificibus totique Ecclesiæ calumniam importet: Christique mandatum iis in parvulis irritum faciat.

Sed hæc ad promulsidem tantùm adversus ineptum Augustini reprehensorem in præsentia dictum volo. In sequenti nova conditura aviditatem satiabo: pertractata quæstione altera, quam adversus eundem SS. Doctorem nimia quorumdam curiositas movit, de pueris in uteris Matrum inclusis; num & ii baptizari possint ac debeant.

PRÆ-

PRÆLECTIO XIX.

Baptisma Puerorum, in Matrum Uteris omnino & ex integro inclusorum, impossibile, illicitum, & contrarium Ecclesiæ, probatur atque evincitur.

Quæstio nobis hodierna prælectione tractanda venit, quam qui de summa facie duntaxat spectaverit, apertiorem fortassis existimabit, quam ut nostram in ea explicanda diligentiam desideret ac laborem; qui verò introspicere curiosiùs velit, comperiet sanè, multas in illius profundo difficultates delitescere; plusque habere in recessu, quam in fronte promittit. Quæstio sic habet: Num puer in Utero Materno, omnino atque ex integro inclusus, baptizari possit, urgente periculo? Puer inquam omnino atque ex integro inclusus in Utero; Si enim aliqua sui parte prodeat, instetque mortis periculum, nihil profectò dubitandum, quin hac ipsa in parte sit baptizandus. Ita Concilium Lingonense anni 1404. & Senonense anni 1524. Ita Rituale Romanum anni 1585.; Institutiones S. Caroli Borromæi, titulo *de his quæ Parrochus curare debet, cum timetur de partu.* (*a*) quibus præluserat Doctor Angelicus *in 4. Sent. dist. 6. quæst.* 1. *art.* 1. Hoc tamen discrimine posito, ut si fortè, capite prodeunte sit baptizatus puer, & præter expectationem felici tandem exitu nascatur ex Utero, non ultra sit baptizandus, quem liquet fuisse validè baptizatum: Si verò prodeunte duntaxat vel pede, vel manu fuerit aqua lustratus, secuto subinde feliciter partu, sub conditione saltem rebaptizetur: de quo dubium esse potest, fuerit ne validè baptizatus iis in partibus.

De puero ergo in matris utero omnino concluso dum loquimur, quærimusque, sit ne eo in statu baptizandus, non est nobis cum Juliano Pelagiano controversia, qui hujusmodi puerum baptizari posse contendebat, eo ipso baptismate quo Mater illius tingeretur. Quem quidem errorem refellit data opera D. Augustinus *lib. 6. contra Jul. Cap.* 5. ea maximè ratione, quod puer in Utero Matris quantumvis inclusus, illius pars minimè censeatur; atque ita abluta Matre, puer nullatenus abluatur; quod tamen ad verum ratumque baptisma necessariò postulatur.

Neque movet in oppositum, quod puer in Utero Matris inclusus, Martyr evadat, ea ipsa morte, qua Mater, si pro Christi

Kk 2 fide

(a) *Apud Natal. Alexan. Editum 1725. De Bapt. Cap. 7.*

fide occideretur. Ecquis enim non videat, idcirco tunc Martyrem puerum fieri, quia moriente gravida Matre pro Christo, moritur & puer; at abluta Matre, non perinde puer abluitur, quod ad baptismum necesse est.

Iis itaque longè missis, de quibus nulla est difficultas, nobis est cum nonnullis recentioribus Theologis controversia, qui puerum Utero Matris prorsus inclusum baptizari posse putant, baptismate utique proprio, quo & verè abluatur, & regeneretur in Christo. Quam Sententiam à Ludovico Scilderio *lib. de principiis conscientiæ tract. 6. c.* 2. & a Georgio Gobatio Societatis Jesu Theologis præformatam *Tom.* 1. *Tract.* 2. *de baptismi materia Sect.* 2. Joannes Clericatus *Decisione 39. de baptismo*, novam in lucem induxit; ac tum demum Scriptor pseudonymus Patavinus, satis tamen aliunde notus, defendit acriter, omnibus quibus potuit phaleris ac pigmentis obduxit; Mulieres obstetrices, per quidquid Sacrum & Sanctum est, obtestatus, ut si quando periclitantem in Utero puerum noverint, eumdem non expectato partu satagant baptizare; hujusce rei tentandæ artem non incuriosam illis insinuans.

Nobis longè videtur aliter, baptismumque pueris in Matrum Utero omnino reclusis ministratum, impossibilem dicimus, illicitum, Contrarium Evangelio, Patribus, ac Canonibus, totiusque Ecclesiæ Catholicæ praxi.

Ac primo quidem, Baptismus ex natura sua spiritualis est regeneratio, & secunda nativitas, *Joannes* 3. *Opportet vos nasci denuò &c. Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* Repugnat porro regenerari eum, & secunda nativitate donari, qui nondum est natus, nondum est genitus; puer igitur nondum natus, sed Materno in Utero omnino, & ex integro inclusus, baptizari non potest salva natura baptismatis.

Eamdem illam consecutionem ex hoc ipso principio intulit D. Augustinus *Epist.* 57. *ad Dardanum*, & baptismum in Utero collatum, cassum, futilem, impossibilem pronunciavit; cui adhærere satiùs est, quam recentioribus Theologastris mala novandi prurigine laborantibus. *Nemo nascitur*, inquit Augustinus, *nisi operante concupiscentia carnali, quæ tracta est ex primo homine, qui est Adam; & nemo renascitur, nisi operante gratia Spirituali, quæ data est per secundum hominem, qui est Christus. Nec renasci quisquam potest antequam natus.* Quibus non absimilia habet *lib.* 2. *de peccatorum meritis c.* 27. (*a*).

Ita pariter D. Isidorus *lib.* 2. *Originum*. *Qui natus adhuc secundum Carnem non est renasci secundum Christum non potest. Ne-*

(a) *Apud P. Natal. Alex. de Bapt. Cap. 7. Editum Venetiis* 1725.

Neque enim dici regeneratio in eo poterit, quam generatio non præcessit.

Ita D. Thomas *in 4. sent. dist. 6. quæst. 1. art. 1. Baptismus est quædam regeneratio spiritualis: ergo prius homo carnali, & animali nativitate nasci debet, quam baptizetur.*

Ita pariter Magister Sententiarum *eadem dist. Illud etiam ignorandum non est, quod in materno Utero nullus baptizari potest.*

Unde & ea Ecclesiæ lex lata est, *Canone, qui in maternis: dist. 4. de Consecr. apud Gratianum: Qui in Maternis Uteris sunt, baptizari non possunt: quia qui natus adhuc secundum carnem non est, regenerari secundum Christum non potest.*

Quid ad hæc contrarii sistematis Architecti? A D. Augustino, a D. Isidoro, a D. Thoma, a Magistro Sententiarum, adhuc autem & a Jure Canonico se se alienos profitentur: seque longè feliciùs, & baptismi naturam, & Christi D. verba intellexisse gloriantur.

Quare reponunt, geminam esse nativitatem seu generationem carnalem; Unam quidem in Utero, quæ ipsamet conceptio est; de qua *Luc. 2.* dicitur, *quod in ea natum est, de Spiritu S. est*: alteram ex Utero, qua videlicet foras prodit, quicumque gignitur: de qua ibidem dicitur, *quod nascetur ex te Sanctum*; qua posita distinctione subjungunt, renasci ac regenerari posse sacro baptismate, qui prius non sit natus genitusque in Utero, etsi nondum sit natus ex Utero.

Pervidit hoc novatorum effugium Doctorum Aquila Augustinus, & in antecessum occupavit: *Epistola ante laudata ad Dardanum 57. Quod si quis dicat, jam natum esse hominem, etiam cum adhuc est in Utero matris, quia dictum est de prægnante Virgine Dei Matre, quod in ea natum est, de Spiritu S. est: atque ita huic primæ Nativitati, quæ in Utero facta est, succedere secundam nativitatem, dum quis baptizatur in Utero; caveat ne ancipiti locutione decipiatur.* Ita porro præcluditur, ac reffellitur hoc effugium: quia tametsi ex Scholæ formula conceptio dici possit nativitas seu generatio in Utero, quia est origo viventis a vivente conjuncto in similitudinem naturæ: nihilominus ex familiari loquendi usu, etiam in sacris Litteris usurpato, conceptio nativitas dici non debet. Primò; Quia si conceptio nativitas diceretur, homo natus ex utero, renatus ac regeneratus dicendus esset, utpote qui jam duplicem nativitatem habuisset, in Utero unam, ex Utero alteram. Secundò; Quia si sic esset, homo solito more baptizatus postquam scilicet ex Utero natus est, non renatus aut regeneratus dicendus esset, ac *denuo natus*, ut loquitur Scriptura, sed tertiò natus; utpote qui ante nativitatem Spiritualem, quæ bap-

ptismo confertur ; duplicem nativitatem carnalem sortitus esset : Tertiò ; Quia ex usu Sacrarum Scripturarum , homines concepti duntaxat dicuntur non nati, uti de Jacob & Esau in Utero Rebeccæ jam conceptis , dicitur *Rom. 9. Cum nondum nati fuissent* . Adeo verum est conceptionem pro nativitate non computari . Cum igitur Christus D. familiarem loquendi modum usurpaverit , baptismi legem indicendo : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* , conceptionem pro nativitate non computavit : adeoque exigendo , ut antea natus sit homo , quam baptizetur , voluit utique ut antea natus esset ex Utero, non solùm conceptus in Utero.

Accedit & altera animadversio D. Bonaventuræ , meo quidem judicio, decretoria. Ut quis baptizari possit, necesse est ut sit natus , non utcumque , velut individuum humanæ naturæ , quod fit per conceptionem , sed etiam renatus sit veluti membrum societatis visibilis; Siquidem baptizatur, ut fiat Ecclesiæ membrum, quæ societas visibilis est. Porro donec homo nascatur ex utero, humanæ quidem naturæ individuum est , propter conceptionem , quam jam in Utero sortitus est ; at societatis visibilis membrum nondum est.

Neque obest locus Evangelicus de Virgine prægnante , *quod in ea natum est*, *de Spiritu S. est*. Arbitraria quippe versio illa est, qua parte Christus conceptus in Utero , *natus* dicitur ; maximè cum Græca phrasis ambigua sit, & anceps; τὸ γὰρ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν, ἐκ Πνεύματος ἐστὶν ἁγίου : hoc est, *quod in ea conceptum est*, *formatum est*, *factum est* , *animatum est*, *de Spiritu Sancto est* , hæc etenim omnia perinde sonat vox Græca γεννηθέν.

En primariam D. Augustini , cæterorumque Patrum rationem , ab ipsa sacri baptismatis natura & institutione petitam, ab importunis Novatorum Suffragiis , & Cavillationibus optimè vindicatam.

Succedit altera Doctoris Angelici ratio , quæ sacri baptismatis administrationem pueris in Utero occlusis , prorsus impossibilem evincit 3. *p. q.* 68. *art.* 11. & *in* 4. *sent. dist.* 6. *q.* 1. *art.* 1. Baptismus ex natura sua est ablutio corporis externa : at puer omnino & ex integro inclusus in Utero, ablui re ipsa non potest. Os enim Uteri teste Galeno, & Hypocrate, imò experientia ipsa magistra, tam arctè clauditur, ac glutinoso, viscoso, & subflavescente humore intimè obsignatur , ut ne aeris quidem , ne dicam aquæ aditum admittat : quo itaque pacto poterit occlusus intus pupulus ablui?

Audite nunc , rogo vos ingeniosum Novatorum nostrorum responsum , inventum planè mirabile. Instante partu, reponunt illi , Uterus mulieris parituræ paululum incipit aperiri ; ac tunc quidem,

dem, beneficio certi cujuſpiam inſtrumenti, a recentioribus Chirurgis adinventi, poteſt os Uteri ita dilatari, ut manus etiam intromitti queat: quo caſu poteſt obſtetrix tenuem ſpongiolam aqua gravidam inducere, comprimere; eoque pacto parvulum latitantem abluere, verbis Evangelicis pronunciatis, quibus baptiſmatis forma conſtat. Aut certè, ſubjungunt, ſi tanta non eſt oris uteri capacitas, ut manus intromitti queat; Cliſteridio ſaltem admoto, tenuive fiſtula, tanta intus ſtillari poterit aquæ copia, quanta ablutioni faciendæ ſufficiat.

Gratulor recentiorum iſtorum ingenii felicitati, quarum tanta induſtria factum eſt, ut Sacramentum baptiſmatis, Cliſteridio miniſtrare didicerimus; nihil tale Auguſtinus Doctorum Aquila, nihil tale Thomas Scholarum Angelus excogitaverant, adinvenerant.

Ego quidem Medicis, & Chirurgis judicandum relinquo, num ita inſtante partu os Uteri dilatetur, ut vel manus intromitti, vel ſaltem Cliſteridium admoveri facilè poſſit: mihi viro Theologo ac religioſo, non licet eſſe tam curioſo. Sit ita tamen, ut volunt curioſi iſti exploratores: hoc dico tamen, ne ſic quidem ablutionem ad baptiſmum neceſſariam fieri poſſe: ac triplici quidem ex capite. Primò; Quia aqua per ſpongiolam inducenda, aut per fiſtulam & Cliſteridium ſtillanda, a continuis humoribus, & liquoribus, majori copia ex Utero tunc defluentibus, impeditur. Facultas enim, viſque naturæ tota tunc expulſioni intenta, extraneum quemcumque liquorem reſpuit, ac propulſat. Secundò; Si qua fortè immitti aqua poteſt, hæc abundantioribus, ac circumquaque profluentibus ex Utero fœtidis humoribus ita commiſcetur, inficiturque, ut jam lotionis faciendæ ſit incapax. Tertiò; Idque maximè, quia tametſi aqua pura, ac munda, ad internam uſque Uteri cavitatem immitti, ſtillarique poſſet, numquam tamen illic occluſum puerum immediatè tangeret ablueretque, quod ad baptiſmalem lotionem deſideratur; ſed ut ut maximè tangeret ablueretque ſecundinas atque membranas, quibus fœtus tam arctè incluſus eſt, ut nec externus liquor penetrare intus poſſit, nec ſi quis intus eſt, effluere valeat. Iis autem membranis ac ſecundinis numquam exuitur fœtus, niſi dum extra Uterum emittitur. Imò iis adhuc involutus fœtus, quandoque foras elabitur, dum videlicet tanta orificii & coxendicis anguſtia non eſt, (quod futuræ felicitatis indicium reputatur.) Itaque vel ob id ſolum, etſi alia nulla impedimenta eſſent, numquam puer in Utero adhuc incluſus, ſufficienter ablui poteſt, ut illi baptiſma conferatur. Ac quemadmodum ex conſenſu Theologorum, homo ſacco coriaceo involutus atque incluſus, baptizari nequit, quòd aqua perfundi abluique non poſſit; ita nec puer membranis ac ſecundinis in utero involutus.

Re-

Reponet fortasse non nemo, posse membranas ac secundinas in ipso quoque Utero dilacerari, atque ita ablui puerum. Sit ita; fieri illud possit, non licet tamen non licet, ob periculum suffocationis pueri, qui eo solo naturæ præsidio, contra circumjacentes humores protegitur, communitur. Nec enim sunt facienda mala, ut eveniant bona, nec violanda naturæ lex est, ut Evangelica impleatur.

Nec est quod mihi quispiam obtrudat, ex duobus malis minus esse eligendum; minus autem malum est suffocari puerum, quam baptismatis Sacramento privari; periculum igitur suffocationis adeundum est potius, quam puer sine baptismate reliquendus. Non id inquam obtrudi potest. Tunc enim effatum hoc *ex duobus malis minus est eligendum*, veritatem habet, dum electioni locus est, quod in malis pœnæ quandoque contingit, non in malis culpæ, ubi nunquam est optio. Porro puerum suffocare peccatum est, quod eligere nemini licet. Aliàs pari quoque argutia inferri posset, licitum esse gravidam matrem occidere, ut puer qui periclitatur in Utero, educatur, & baptizetur: quia mors temporalis matris, minus malum est, quam mors spiritualis pueri; ex duobus autem malis minus est eligendum: quod tamen nemo dixerit prudens. Occisio quippe matris, malum culpæ est, de quo non datur electio.

At inquiet mihi aliquis: Satis est, si secundinæ ipsæ atque membranæ, quibus involutus est puer in Utero, abluantur, ut ipse baptizatus censeatur; Sic enim, sin minus immediatè, at certè mediatè puer censeatur ablutus. Eo sane modo, quo in ordinatione præsbyteri, satis est, si Calix qui apud Latinos immediatè tangitur, mediatè saltem tangatur ab Ordinando; Uti Græci factitare solent, qui altare duntaxat contingunt, cui est superpositus Calix.

Verùm & id planè frivolum est; Contactum enim aquæ immediatum Theologi postulant universi, qui idcirco hominem Sacco Coriaceo inclusum, baptizari posse diffitentur. Cujus rei ratio est; quia in baptismo illud corporaliter debet ablui, quod spiritualiter emundatur; puer autem spiritualiter mundandus est, non secundinæ, in quibus nullum est originis vitium. Pueri verò corporalis ablutio non fit, quem aqua immediatè non tangit. Longè verò dispar est Ordinationis ratio: Contactus enim Calis externum duntaxat signum est collatæ potestatis, sacrificii Dominici offerendi; Ea vero potestas perinde significatur, seu Calicis immediatè, seu mediatè tangatur: Tam enim contactus Altaris, quam contactus Calicis eam denotat potestatem. At nisi aqua immediatè contingat perfundatque hominem, non abluitur homo.

Quam-

Quamquam quid ego cum larvis depugno ? Si vera sunt, quæ ab iis novatoribus suffugia quæruntur, ut puerum in Utero materno prorsus inclusum baptizare posse defendant: ab ipso quæstionis statu desiliunt, aliudque probant quam quod illis probandum incumbit. Si enim instante partu os Uteri ita apertum est ac dilatatum, ut manus de facili possit intromitti, fœtusque attrectari: si secundinæ, aut naturæ impetu, aut etiam ante dilaceratæ sunt: tunc certè puer non censetur verè ac propriè inclusus in Utero, sed in actu potius egrediundi ex Utero. Uti profectò reus non censetur clausus in Carcere, dum stat ad ostium Carceris apertum ut egrediatur, quamquam nondum pedem foras extulerit. Non porro de pueris in Utero matris prorsus inclusis in præsentia disputamus, num ne eo in statu baptizari possint, inquirimus: a statu itaque quæstionis procul abscedunt.

Momentis ab auctoritate Patrum ex ipsa Sacramenti baptismatis natura petitis hactenus depugnavimus, Ut pueros matrum Uteris inclusos nulla ratione baptizari posse evinceremus. Nunc ad ea momenta gressum facimus, quæ ex Ecclesiæ praxi & disciplina, ac ipsis etiam prudentiæ legibus petuntur; ne quid intentatum prætermittamus, ad figmentum illud penitus evertendum.

Et certè, tametsi publica Ecclesiæ Catholicæ praxis, *ex Canone, qui in maternis, dist. 4. de Consecratione*, in antehabitis laudato, satis in aperto posita videatur: patescit multò magis praxis communis Ecclesiæ *ex libris ritualibus Romanis*, *anni* 1585. *part.* 1. *tract.* 1. *cap.* 6. *anni* 1598. *cap.* 3. *de baptismo*, *anni* 1618. *sub Paulo V. cap.* 4. *de baptizandis parvulis*. Ubi distinctis verbis, de pueris in Utero periclitantibus sic habetur: *Puer in Ventre matris existens, nec apparens extra, non est baptizandus. Si autem appareat pes vel manus, etsi varia sit Doctorum opinio, debet tamen baptizari; sed si vixerit infans, est baptizandus sub conditione*. En quid Ecclesiæ Romanæ rituales libri disertissimè ferunt. Quæ igitur novatorum illorum audacia est, ut Ecclesia disertè statuente, *Non esse puerum baptizandum, si ita in Ventre matris existat, ut nulla sui parte foras prodeat*; baptizandum tamen audacter effutiant ? Augustini digna profectò sententia est, *si quid universa per orbem frequentat Ecclesia an ita faciendum sit disputare, insolentissimæ dementiæ est*.

Quamquam non est, cur supremam Ecclesiæ auctoritatem advocemus, ubi ex ipso prudentiæ sensu, res ipsa dignoscitur. Administratio quippe Sacramenti prudenter fieri debet, adeoque in subjecto Ecclesiæ noto, quod ad ejus forum pertinere possit. Fœtus autem quandiu in Utero matris inclusus est, maximè suis illis membranis ac secundinis involutus, Ecclesiæ notus esse non potest,

nec esse de illius foro ; Imò nec pars est societatis civilis , atque visibilis, ut Sacramentum Ecclesiæ particeps esse possit.

Ecquis etiam tunc certò sciat, quid in Utero, quid in membranis illis , ac secundinis delitescat , ut Sacramentum illi prudenter impartiat? Unicus ne homo sit , an fortè multiplex ? Vivat ne , an sit extinctus? Verus ne homo sit , an fortè monstrum? Et cujus generis monstrum? Non ergo nisi imprudentissimè baptizaretur, quamquam adhibita arte, aqua lustralis in ipsam Uteri cavitatem stillari posset.

Quid ni quoque imprudentiæ atque audaciæ plenum dicatur in re Theologica , systema cudere , ab universo Theologorum ordine prædamnatum ? Nemo enim tota retro ætate inventus est unus , qui ea proposita quæstione , *liceat ne puerum materno in Utero tingere ?* non disertè apertèque negarit ; donec unus & alter nostris demum temporibus affirmarint. Quanta eo in capite Theologorum moderatio semper fuerit , ex hoc altero facilè intelligitur . Quæstionem agitare solent , quodnam in Lege Mosaica remedium esset contra peccatum originale pro iis parvulis , qui ante octavum diem ex hac luce præripiebantur , dum nondum illis administrari poterat circumcisio? Respondent verò concordi sententia, actum fidei protestativum Parentum ipsorum, remedii loco illis fuisse, atque ita eos fuisse justificatos, atque salvatos in fide parentum ipsorum , quo pacto etiam in lege naturæ pueri salvati creduntur, dum nondum instituta esset circumcisio. Subjungunt tamen , remedium illud non perinde valuisse pro parvulis illis , qui in matrum Uteris moriebantur: quia ut ajunt, *in Uteris matrum non censentur capaces remedii quod per homines , & modo hominibus accommodato , applicari debet , cum nondum in hanc lucem editi sint, ac vix cadant sub cognitionem humanam*. Ita planè universa Theologorum natio; Et nunc, si superis placet, Chirurgica instrumenta nobis novatores obtrudunt, violentam Uteri dilatationem, Spongiolas, fistulas, adhuc autem & Clisteridia, ut nondum natis pueris contra Originale peccatum occurratur; quibus ne interno quidem parentum fidei actu succuri posse, cæteri Theologi pronunciarunt!

Sed age videamus, quæ demum gravia momenta, novi systematis fabricatores impulerint , ut commentum omnibus retro sæculis ignoratum, obtruderent.

Non repugnat , inquiunt , puerum in Utero baptizari : nec ex parte subjecti baptizandi, quia puer in Utero licet inclusus , substantialiter homo est , peccato Originali infectus : Nec ex parte Sacramenti, quod est pro omnibus Adæ filiis institutum ; Nec ex parte Ministri, qui præsens adesse potest, cujusvis demum sexus ille sit.

Con-

Contra inquio ego, repugnat omni ex capite. Ex parte subjecti baptizandi, quia licet substantialiter homo sit, Originali peccato infectus, nec dum tamen corporaliter natus est, ut renasci possit, nec societatis visibilis, qualis est Ecclesia, membrum esse potest, nec suscipiendæ corporalis lotionis est capax. Repugnat ex parte Sacramenti, quia licet pro omnibus Adæ filiis institutum sit, non tamen quocumque in statu, sed in eo duntaxat, in quo lotionis recipiendæ capaces sunt. Repugnat ex parte Ministri, quia tametsi sit præsens, ministerium tamen suum exercere omnino nequit in eum, qui nequidem Ecclesiæ notus est.

At nonne, inquiunt illi, sanctificari quis in Utero potest? Nonne sanctificatus est Jeremias? Nonne Joannes? Nonne Deipara? Ecquis nesciat! at a solo Deo sanctificati illi sunt; nullo accedente ministerio Ecclesiastico, nullius beneficio Sacramenti. Cum enim Deus hominem, quocumque in statu versetur, probè norit, & in eum virtutem exercere suam perinde possit, nil mirum si & illum quovis in statu sanctificare queat. At cum Ecclesia non perinde quocumque in statu novit hominem, nec perinde quocumque in statu sacro baptismate tingere potest.

Opponitur a nonnullis factum S. Ludovici Gonzaga, quem materno in Utero prorsus inclusum, ab obstetrice baptizatum dicunt, dum ejus mater in extremo periculo, pariendo versaretur. Cujus baptismatis occasione, ita cecinit Poeta non ingratus.

Astra prius Lodoice vides, quam lumina terræ.
Ante Deum cernis, quam videare puer.
Sic dum non visus sacrato fonte lavaris.
Non vivis terris, vivis at ipse polo.

Gratulor elegantiæ poeticæ, at licentiam detestor, & execror; Non est ita, ut fingitur. Tantum enim abest, *ut non visus*, seu totus in Utero occlusus Ludovicus, sacro fonte lotus sit, ut potius jam magna corporis sui parte foras extra Uterum prodiisset, dum ab obstetrice sacro baptismate tinctus est. Legatur hac de re Virgilius Ceparius Societatis Jesu Scriptor diligentissimus, *de Vita Divi Ludovici Gonzaga: Antequam*, inquit, *ex Utero prodiret ex integro, ab obstetrice baptizatus est*: Ex parte ergo prodierat. Legatur etiam Annibal Marchettus, alter ejusdem Societatis Scriptor. *Ubi corpusculi partem foras emisit, qua sacri baptismatis fonte tingi posset, obstetrix lustralibus aquis abstergere maturavit*. Quid ergo nobis Poeta mendax occentat: *Non visus sacrato fonte lavaris?* At Poetis familiare est, res suas in majus augere, historiasque in fabulas vertere: dum enim syllabarum; Vo-

cumque sonum, & numeros quærunt, veritatem ut plurimum deserunt.

. Grandiores subinde tibias inflare, nempe totam ex alto petere sibi visus est, qui ante paucos annos pro eo tuendo commento Patavii scripsit, dum hocce in Veteres Theologos argumentum instruxit . Plus Christi D. redemptio hominibus profuit, quam nocuerit Adæ peccatum: at nisi gratia baptismatis, pueris in Uteris matrum inclusis conferri posset; longè minus hominibus prodesset Christi gratia, quam nocuerit Adæ peccatum; quandoquidem pueris illis noceret Adæ peccatum, vitiata origine tractum, quibus Christi gratia sacro baptismate conferri non posset. Potest igitur illis baptismi gratia communicari.

Egregiè profectò atque subtiliter! Velim tamen festivum argutatorem paulisper sui suorumque dictorum esse memorem, ne suo se gladio jugularet. Concedit enim ille ultrò citròque, puerum materno Utero conclusum, prioribus saltem graviditatis mensibus, baptizari non posse; Utpote cum nondum tunc uteri os incipiat aperiri, ut vel obstetricis manus immitti, vel Clisteridium induci queat. At nonne quæso, prioribus illis graviditatis mensibus, dum fœtus est animatus, originis vitio infectus est? Illi ergo jam nocet Adæ peccatum, cui tamen, ipso fatente, Christi gratia conferri non potest. Suo se itaque gladio petit ineptissimus Cavillator.

Quod itaque in objecta argutia principii loco ponitur, nempe plus Christi D. Redemptionem hominibus profuisse, quam nocuerit Adæ peccatum, tribus modis exponi potest. Primò: ut plus profuerit intensivè, ut Schola loquitur, non extensivè; hoc est, majoris esse efficaciæ Christi gratiæ beneficium, quam peccati Adamici nocumentum, tametsi non ad omnes extendatur beneficium, ad quos protenditur nocumentum: *Non omnes enim Christi mortis beneficium accipiunt:* Verba sunt Concilii Tridentini *sess. 6. de Justif.* Nemini itaque mirum videri debet, si Pueris Utero matrum inclusis nocuit Adæ peccatum, quibus gratia baptismatis prodesse non potest. Uti profectò non prodest aliis tam multis in lucem editis, qui fatali aliquo casu sacro baptismate non donantur; de quibus Augustinus ait, *aliquando festinantibus ac currentibus parentibus, Ministris quoque paratis, ut baptismus parvulo detur, Deo tamen nolente non datur, qui eum in vita non tenuit, ut daretur.*

Secundò; Si quis Christi gratiam plus etiam extensivè profuisse velit, quàm Adæ peccatum; dicendum plus profuisse, quatenus Christi gratia in Angelos etiam effusa est, in quibus locum non habuit Originale peccatum: in Angelos, inquam, effusa est, non ad consecutionem gloriæ essentialis, sed accidentalis: quo sensu de Chri-

Christo D. ab Apostolo dictum est *ad Coloss.* 4. *Pacificavit per Sanguinem crucis suæ sive quæ in terris, sive quæ in Cœlis sunt.* Et *Joan.* 1. *de plenitudine ejus omnes accepimus :* quod non de hominibus tantum, sed & de Angelis dictum monet D. Thomas, in suo ad locum illum Commentario.

Tertiò. Si quovis tandem modo major Christi gratia censeatur, tam intensivè quam extensivè, quam Originale peccatum; non illico consequens erit, posse eam pueris in Utero Matrum inclusis communicari, beneficio sacri baptismatis; sed a Deo solo sine beneficio Sacramenti, uti profectò Jeremiæ, & Joanni Baptistæ, sine ullo Sacramento collata fuit; mole itaque sua ruit momentum illud, quo sibi Cœli convexa tetigisse digita videbantur.

Paris futilitatis est Novatorum istorum momentum alterum, ex generali salutis omnium hominum voluntate petitum, quam Deo inesse Catholica Fides docet; quasi verò colligi inde possit, pueris in Utero Matrum inclusis salutis adipiscendæ remedium præsto esse. Quæsierim enim ego, velit ne Deus puerorum illorum salutem, quibus saltem primis Maternæ graviditatis Mensibus baptisma ministrari non posse concedunt? Si dixerint velle Deum salutem illorum; tunc qua ratione hanc Dei voluntatem, cum suscipiendi baptismatis impotentia conciliant novatores; eadem & ego facilitate, in quibuscumque parvulis, Uteris Matrum inclusis, conciliabo. Si dixerint, nolle Deum puerorum illorum salutem, reponam & ego, nolle Deum salutem istorum: (quæ sanè nonnullorum Theologorum, ac præsertim Gabrielis Vasquesii Sententia fuit:) nec enim illorum, quàm istorum dispar est ratio, si perinde baptizari nequeant.

Neque tamen ulla est difficultas, in concilianda generali illa Dei salutis omnium hominum voluntate cum ea suscipiendi baptismatis impotentia, qua pueri illi laborant, quamdiu in Matrum suarum Uteris recluduntur.

Ut enim salutem puerorum illorum velle dicatur Deus, satis est, si & ipsis salutis adipiscendæ remedium destinaverit, præparaverit; is enim voluntatis antecedentis effectus est; tametsi secretiori voluntatis consequentis Consilio paratum destinatumque remedium denegetur ab eo, qui pueros illos extra Uterum prodire non sinit: Qua parte nulla est repugnantia, contradictio nulla: uti nec ulla repugnantia est, si quem Princeps aut Judex generali voluntate vult vivere, ut est Reipublicæ membrum, eumdem suspendi jubeat, ut sceleftus homo est, ac Reipublicæ noxius; nova scilicet spectata ratione. Qua de re plura diximus ex hoc loco, dum de voluntate Dei antecedente ex instituto ageremus, ad tritam illam, vulgatamque difficultatem elidendam.

In

In hunc planè sensum intelligendum venit Innocentii III. rescriptum Arelatensi Archiepiscopo datum, *Cap. Majores*, *de baptismo: Absit ut universi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur: quin & ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod medium procuraverit ad salutem*. Procuratum quippe salutis remedium intelligit Innocentius Sacri baptismatis institutionem pro parvulis justificandis, quemadmodum & pro adultis generaliter factam. Quæ tamen generalis institutio baptismatis non efficit, ut & iis quoque re ipsa conferri possit, qui in Uteris Matrum inclusi, Ministrorum operationi subesse non possunt, ut loquitur Doctor Angelicus *in 4. dist. 6. quæst. 1. art. 1.* Nec Ecclesiæ innotescere, & ad illius forum pertinere valent, ut scribit Seraphicus Doctor, *in eamdem Magistri distinctionem*. Ita enim Christus Dominus sua pro universis hominibus Sacramenta instituit, ut ea tamen certis in circumstantiis conferri velit, extra quas & illicita, & plerumque etiam impossibilis est illorum administratio.

Asserto jam, & contra Novatorum argutationes vindicato doctrine capite, restat ut nonnihil de allata toties ratione dicamus, qua nimirum pueros in Utero baptizari non posse demonstravimus; quia renasci ac regenerari repugnat aliquem, antequam generetur atque nascatur. Ea quippe ratio, ab Augustino licet allata, cæterisque Theologis universis, nutare videtur, imò ruere; propter Jeremiam, & Joannem Baptistam, qui singulari Dei privilegio, in Uteris matrum sanctificati creduntur; atque adeo renati sunt, antequam nati, regenerati antequam geniti: Eorum quippe Sanctificatio regeneratio quædam fuit: Aut certè conceptio, quæ illorum Sanctificationem præcessit, generatio nativitasque in Utero reputatur, ut regenerari ac renasci per gratiam in Utero potuerint, antequam ex Utero nascerentur. Ruit itaque (inquio) ratio toties a nobis adducta, non posse renasci aliquem, antequam nascatur ex Utero.

Eo ut sese nodo exoluant Veteres aliqui, Jeremiam & Joannem Baptistam sanctificatos in Matrum Uteris diffitentur, ne illos renatos agnoscant, antequam natos. Quapropter quod de Jeremia legitur *Capite 1. libri ipsius*, *antequam exires de vulva sanctificavi te*, non de Sanctificatione propriè dicta, quæ gratiam Justificantem & peccati remissionem importet, interpretantur; sed de Sanctificatione impropria, quæ juxta Scriptararum usum, dedicationem duntaxat, & consecrationem importat: Quo Sensu *Exodi* 13. ait Deus, *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam, tam de hominibus, quàm de jumentis*: hoc est, dedica mihi, consecra mihi: nec enim jumenta, gratia sanctificante atque justi-

justificante donari possunt. Non absimiliter quod de Joanne Baptista legitur *Lucæ I. Spiritu S. replebitur adhuc ex Utero Matris suæ:* De Spiritu prophetico dictum volunt, quo repletus in Utero Elizabethæ, Christum Utero adhuc virgineo gestatum agnovit, ac præ gaudio exultavit. Verùm repugnant cæteri plerique Patres, maximè verò Athanasius, Cyprianus, Cyrillus Alexandrinus, Ambrosius, Gregorius Magnus, Bernardus, qui Joannem saltem vera in Utero sanctitate atque justitia donatum agnoscunt. Sed etsi ea uterinæ Sanctificationis exempla non essent, quis Virginem Deiparam vertat in dubium? quam sanctificatam in Utero, certò tenet Ecclesia, seu eam Sanctificationem in ipsa sui conceptione sortita sit, seu post conceptionem, juxta varias Theologorum opinationes. Stat ergo integra difficultas, renasci posse aliquos, nondum licet ex Utero natos, ipsa scilicet conceptione, pro nativitate computata.

Eo itaque misso responso, repono ego; stare planè inconcussum D. Augustini principium, quo & nos pro asserenda veritate usi sumus; repugnare scilicet, renasci aliquem atque regenerari, antequam generetur atque nascatur ex Utero; Stare inquam principium; ubi agitur de regeneratione, humano more, Ecclesiastico ministerio, per baptismatis collationem procuranda, de qua nobis quæstio est; Et si fortasse nutet principium, ubi de regeneratione miraculosa sermo esset a Deo solo, sine Ecclesiastico Ministerio, ac sine Sacramento facienda, ut in Virgine Deipara, in Jeremia, in Joanne Baptista videre fuit. Ingens enim discriminis ratio est. Puer siquidem ex quo primùm materno in Utero conceptus est, Deo est notus, ad illius pertinet forum, divinæque operationi subest, adeoque potest ab eo & sanctificari & regenerari: quæque in illo conceptio præcedit, utpote occulis Dei nota, pro nativitate computatur; atque ita non renascitur, nisi jam natus in oculis Dei. At non perinde puer conceptus in Utero, Ecclesiæ Ministris est notus, non perinde ad illorum pertinet forum, non perinde illorum operationi subest; adeoque non perindè ab iis sanctificari ac regenerari potis est; quæque in illo conceptio præcedit, Ecclesiæ oculis nondum nota, pro nativitate moraliter loquendo computari non potest. Atque ita, si sacro baptismate tingeretur, (quod tamen fieri omnino non posse, plus satis ostendimus) renasceretur, Ecclesiæ oculis nondum natus: quod meritò diximus repugnare: Stat igitur inconcussa D. Augustini ratio, toties à nobis adducta, quæ tamen si fortè rueret, non illicò nutaret principalis assertio nostra tot aliis inconcussis principiis ac fundamentis immixta.

PRÆ-

PRÆLECTIO XX.

Quanam & qualis Baptismi necessitas sit, præcepti ne duntaxat, an etiam medii, proponitur, explicatur.

BAptismi necessitatem, de qua mihi est in præsentia disserendum, nemo, quod sciam, vertit in dubium, qui Evangelio fidem adjungit. Usque adeo enim aperta est Christi Sententia *Joan.* 3. ut inficiari nemo possit. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. non intrabit in regnum Cœlorum.* Quin imò ipsi etiam Pelagiani, quamquam originale peccatum inficiarentur, Christi tamen Sententiam reveriti, baptisma necessarium fatebantur, sin minus, ut originis vitium tolleret, at certè, ut Regni Cœlorum januam aperiret. Verùm illud maximè vocatur in controversiam, quænam & qualis baptismi necessitas sit, præcepti ne duntaxat, an etiam medii? Seu ut clariùs dicam, sit ne necessarium baptisma, quia præcipitur; an potius ideo præcipiatur, quia se ipso necessarium est; tamquam unicum, in Evangelica lege, Originalis peccati delendi remedium, unicum æternæ salutis adipiscendæ subsidium; tum in pueris, tum in adultis. Qua in re enormiter Calvinus erravit.

Et quidem Calvinus *lib.* 4. *Instit. Cap.* 16. *& in Antidoto contra Concilium Trident. ad Cap.* 5. *Seff.* 6. fidelium, & justorum filios baptismate non egere docet, tanquam unico salutis adipiscendæ medio; imò illos sine baptismate, natalium veluti jure salvari posse contendit; & si ita sine baptismo moriantur, re ipsa salvari: tum quod peccatum Originale ex parentibus justis minimè contrahant: tum quod si fortè illud contrahant iis tamen nequaquam imputetur, ob excellentia Parentum merita. In quo quidem errore confutando nostram hodie diligentiam exercebimus; probabimusque, nullam in parentum justorum filiis hæreditariam ab ortu sanctitatem atque justitiam dari: quæ baptismum ipsis minimè necessarium faciat in remissionem peccatorum. Eo in opere non est nobis admodum desudandum: Patet enim Calvini error ipse per sese. Primò quidem ex universalitate peccati originalis in omnes homines transfusi, a quo tamen Justorum filios Calvinus facit immunes; Rom. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc Mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* 2. Cor. 5. *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Nulla

illic

illic puerorum exceptio legitur, qui ex parentibus fidelibus ac justis prognati sunt, quasi ii jure natalium Sancti nascantur. Secundò: Patet error idem, ex generalitate legis a Christo D. latæ *Joan.* 3, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. non intrabit in regnum Cœlorum*. Quotquot ergo Sacramenti regenerationis exsortes sunt pueri, qualescumque illi sint, certò damnantur. Tertiò: Exemplo illorum qui parentibus licet justissimis nati fuissent, se ipsos tamen cum originali peccato natos, ultrò citròque fatebantur; Sic David, viri Sanctissimi Jesse filius, *Psal.* 50. de se ait. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*. Esau filius Isaaci perinde Sanctissimi, a Deo odio habitus dicitur, antequam nasceretur *Rom.* 9. antequam quidquam mali egisset. Quid verò in illo Deus odio tunc habuisset, nisi originis vitium? Apostolus etiam ad *Ephes.* 2. de Judæis universim ait. *Eramus natura filii iræ, sicut & cæteri;* Natura, inquam, hoc est, ab ipsa nativitate, ac jure natalium. *Si autem filii iræ, itaque filii vindictæ, filii pœnæ, filii gehennæ*, colligit Augustinus *tract.* 44. in Joannem. Tales itaque sunt fidelium justorumque filii, nisi sacro baptismate regenerentur in Christo. Iis momentis nixa Synodus Trid. *Sess.* 5. *Can.* 4. Illis anathema dixit, qui dicerent filios ex regeneratis parentibus ortos, non esse baptizandos in remissionem peccati. Quomodo autem fieri possit ut parentes fideles, ac justi, originale peccatum, quo jam ipsimet mundati sunt, transfundant in filios, eleganter pro more suo explicat Augustinus *lib.* 2. *de peccat. merit. Cap.* 27. *Quia*, inquit, *sacro baptismate renovati parentes, non ex primitiis novitatis, sed ex reliquiis vetustatis carnaliter gignunt. Idcirco de baptizato non justus nascitur, sed injustus, quia eum non generat pater, unde ipsemet regeneratus est, sed unde genitus est*. Seu ut loquitur D. Thomas Augustini dignus interpres 1. 2. *q.* 81. *a.* 3. *ad* 3. *Peccatum Originale per baptismum aufertur reatu, in quantum Anima recuperat gratiam, quantum ad mentem; remanet tamen peccatum originale actu, quantum ad fomitem, qui est inordinatio partium inferiorum animæ & ipsius corporis. Et ideo baptizati traducunt in filios originale peccatum, quia non generant mente, secundum quam renati sunt, sed carne, secundum quam retinent aliquid de vetustate peccati Originalis*.

Hæc si novisset Calvinus, ac seriò perpendisset, numquam suum illud Systema perabsurdum evulgasset, de fidelium justorumque parentum filiis, jure ipso natalium justis, ac sanctis, quibus idcirco baptisma delendi Originalis peccati, & salutis adipiscendæ medium necessarium non sit.

Novæ reformationis architectum in eo errore procudendo, delusit

lusit Apostoli locus perperam intellectus, 1. *Cor.* 7. ubi filios fidelium *Sanctos* appellat qui alioquin, *immundi* censerentur: *Sanctificatus est enim*, inquit, *vir infidelis, per Mulierem fidelem, & Sanctificata est Mulier infidelis, per virum fidelem: Alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem Sancti sunt*. Quid hoc est rogo vos *filii fidelium Sancti sunt?* Apostoli institutum observare sat est, ut obscuræ periodi sensus retegatur. Scilicet cum gentilium benè multi Matrimonio juncti, Christianæ tunc fidei, ac religioni nomen darent, relictis in errore conjugibus; quæsitum fuerat ab Apostolo, liceret ne tunc conjugum alterutri ad fidem converso, cum altero in infidelitate relicto, cohabitare? Respondit Apostolus, licere prorsus, ac etiam bonum esse, modò tamen qui in infidelitate relictus erat, cohabitare cum altero vellet, absque injuria Creatoris. Idque duplici de caussa. Primò: quia spes est, ac etiam sæpe contingit, ut ex ea mutua consuetudine atque convictu, infidelis traducatur ad fidem: Secundò: quia spes est, ac etiam sæpe contingit, ut filiis ex illo Matrimonio natis, Religiosa educatio detur; & baptismus a parente fideli procuretur, eoque pacto sancti ac justi fiant, qui aliàs infideles & immundi perirent. En quid sibi laudata Apostoli verba velint: *Sanctificatus est vir infidelis &c. Nunc autem Sancti sunt*: id est, cura, educatione parentum ad fidem conversorum, maximè verò baptismatis procuratione sunt sancti, non jure natalium. Quemadmodum ergo priora illa Apostoli verba, *Sanctificatus est vir infidelis, per mulierem fidelem*, nemo sic intelligit, ut virum eo solo titulo Sanctum putet, quod mulierem fidelem habeat: ita postrema illa, *filii vestri Sancti sunt*, nemo sic debet intelligere, ut filios eo solo titulo Sanctos existimet, quod a parentibus fidelibus prognati sint: sed uti ex convictu cum fideli conjuge speratur sanctitas viri; ita ex educatione & cura parentum fidelium, speratur Sanctitas filiorum.

Alterum minus moror Genesis locum, quo perinde delusus est pseudo Reformator, ad baptismatis necessitatem in justorum filiis negandam & oppugnandam, locum inquam Genesis 17. Ubi Deus pactum cum Abrahamo pepigit hisce verbis, *Ero Deus tuus & seminis tui*. Promisit scilicet, se non modò Abrahami, sed & semini ipsius fore Deum: Undè consequens esse voluit Calvinus, injuriam divinæ huic promissioni fieri, nisi hæc ad salutem sine baptismo sola sufficiat Abrahæ filiis, seu filiis Justorum atque fidelium, qui omnes Abrahæ filii censentur.

Quis horrendam consecutionem non videat, non execretur? Secundum quam non modo baptismi, sed & ipsius divinæ gratiæ, virtutumque omnium necessitas exploditur, si sola Dei promissio Abra-

Abrahæ filiis est satis. Videndum igitur quid re ipsa Abrahæ, ejusque semini promiserit Deus, dum eum ita est allocutus, *Ero Deus tuus & seminis tui*.

Certè Dei pactum cum Abrahamo initum, quo se & ipsius, & seminis ejus Deum fore adpromisit, vel litterali sensu Calvinus accipit, vel Spirituali. Si litterali, nihil est quod præsens institutum nostrum ulla ratione contingat. Deus enim nec gratiam super naturalem, nec æternam felicitatem Abrahæ filiis adpromisit; sed peculiarem protectionem, gubernationem, tutelam, fælicitatem temporalem. Si spirituali sensu accipi mavult, felicitatem quidem æternam Abrahæ filiis adpromisit: at filiis, non Carnali, sed Spirituali generatione editis; filiis non ex fæmore, sed ex fide; *Non enim*, ut inquit Apostolus ad Galatas 3. *qui filii carnis*, *hi filii Dei*, *sed qui ex fide sunt*, *ii sunt filii Abrahæ*. Quale profectò incipiunt esse pueri, dum credunt, adeoque dum Sacro baptismate initiantur: *Credere enim in infantibus est baptizari*, *non credere*, *non baptizari*, ut loquitur D. Augustinus *lib.* 1. *de peccat. meritis Cap.* 27. Tantum igitur abest, ut ex facta Abrahæ promissione colligi queat, non esse pueros fidelium filios baptizandos, ut salutem æternam consequi possint; ut ob id potiùs debeant baptizari; Cum solo suscepto baptismate, & fideles, & veri Abrahæ filii secundum Spiritum fieri queant.

Paris futilitatis est, quod in sui præsidium erroris Calvinus obtrudit ex Apostolo ad Rom. 11. *Quod si delibatio sancta est*, *& massa*, *& si radix Sancta*, *& rami*: quasi dicat filios ex Sanctis parentibus ortos, veluti ramos e radice sancta surgentes, natalium jure Sanctos esse, quibus idcirco necessarium omnino non sit baptismatis Sacramentum. Momenti hujusce futilitas in ipsos incurrit oculos: nec enim de Christianis atque fidelibus agit Apostolus eo loci, sed de Judæis, qui tanquam rami è radice Sancta, seu ex gente Deo devota atque dilecta prodierunt. Ecquis verò ita desipiat ut hinc colligere audeat, Judæos omnes jure natalium Sanctos fuisse, qui ex Patriarchis SS. prodierunt? cum & de se ipso, & de universis Judæis, idem Apostolus dicat, *ad Ephes.* 2. *Eramus & nos natura filii iræ*, *sicut & cæteri?* Certè nec Calvinus quidem id velit, qui hæreditariam illam Sanctitatem, atque justitiam, puerorum duntaxat, e regeneratis justisque parentibus nascentium, privilegium esse contendit.

Quid ergo, inquies, ea comparatione, sibi vult Apostolus: *Si radix Sancta & rami Sancti?* Istud unum; nempe ostendit, Judæos potiori quadam ratione Evangelicæ gratiæ participes fieri debuisse, quàm Gentiles; eo quod parentes eorum Sancti fuerint, & divinas promissiones acceperint. Quia cum per educationem, &

institutionem evenire soleat, ut posteri eamdem cum suis majoribus religionem colant & pietatem; Consentaneum videbatur, ut Judæi e Sanctis parentibus orti, eorum sanctitatem æmularentur, qua Evangelicæ gratiæ percipiendæ aptiores fierent atque paratiores; non quod sanctitatem stricto natalium jure perciperent, adeo ut sancti re ipsa posteri nascerentur. Quamquam longè aliter Judæis evenerit, quam evenire congruum videbatur. Quia eorum multi, tanquam rami inutiles, ab arbore, cui naturaliter adhærebant, propria sua iniquitate præcisi, a majorum Sanctitate ac religione desciverunt. Uno verbo, *Sanctos ramos* dixit Apostolus, *ex radice Sancta*, Sanctos, inquam, dispositione, aptitudine propensione, non actuali Sanctitate, ortu ipso quæsita ac reportata.

Quid ni etiam, si locum illum Apostoli, ad filios fidelium regeneratorum, trahere lubet, cum Augustino dicamus *Epist.* 106. ad Sixtum, fidelium filios Sanctos esse, *non propagatione carnali*, *sed communione Sacramenti*, & similitudine fidei: quatenus prognati ex parentibus fidelibus atque justis, eodem ac illi baptismate initiantur, eamdem ac illi fidem in Ecclesia Catholica profitentur.

In eumdem fermè sensum intelligenda veniunt nonnulla Scripturarum Oracula, quibus homines nonnulli ab ortu ipso, atque ab ipsa natura, boni justique dicuntur. Ut *Sapient.* 8. Salomon de se ipso loquens, *Sortitus sum*, inquit, *Animam bonam: Ecclesiastici primò: Timor Domini cum fidelibus in vulva consecratus est*. *Job.* 31. *Ab infantia mea crevit mecum miseratio; & de Utero Matris egressa est mecum*. Id scilicet sibi volunt unum Oracula illa; habere nonnullos ab ortu ipso dispositionem quandam, & propensionem, ad certa quædam virtutum officia; habereque nonnullos ab ortu animam bonam, bonitate indolis, non bonitate moris & gratiæ justificantis: Virtutes enim dantur a Deo, cui dicimus, *Domine Deus virtutum converte nos;* non trahuntur origine.

Difficultatem parere videtur aliquam, quod Isaac secundum Spiritum natus dicatur *ad Galatas* 4. ad distinctionem Ismaelis, qui secundum carnem genitus dicitur: *Qui secundum carnem natus fuerat*, *persequebatur eum*, *qui secundum Spiritum*. Unde consequens esse voluit Calvinus, electos omnes, Divinæ promissionis filios, eo Isaaci typo præsignatos secundum Spiritum nasci, hoc est, justos, ac sanctos, quod idcirco in remissionem peccatorum baptizari, necesse non sit. At si sic est, inquio ego, non itaque Natalium jure sanctitatem illam atque justitiam, electi filii sortiuntur, quòd ex parentibus justis ac sanctis originem trahant, uti Calvino visum est: Cùm Ismael secundum carnem natus, eodem parente

te Abrahamo sit genitus, ac Isaac, qui secundum spiritum natus dicitur: Isaac igitur, loco dato ad *Galatas* 4. *secundum Spiritum natus*, dicitur ab Apostolo, hoc est, per miraculum, & supra naturalem carnis virtutem, quia ex matre sterili, & nonagenaria in lucem editus est: Cum contra Ismael, *secundum carnem* hoc est, vegeta utriusque parentis carnali virtute prognatus esset. Quare perperam ad præsens institutum detorquetur Apostoli dictum, cum quo nihil planè commune habet.

At ecce dum Calvinum Ecclesiæ Romanæ professum hostem impetimus, absolutam baptismatis necessitatem (hæreditariæ sanctitatis obtentu) in plerisque pueris abnegantem; in arenam contra nos descendit Emin. Cajetanus, Ecclesiæ R. Princeps purpuratus, hanc ipsam baptismi necessitatem, alio excogitato commento, prorsus evertens, zelo ut quidem arbitror longè optimo, ac cum bona purpuræ venia dixerim, minus cauto, atque prudenti. Ea quippe summo viro stetit opinio, tantam non esse pueris de vita periclitantibus baptismi necessitatem, quin illis, alio contra peccatum originale adhibito remedio, succurri possit: Nempe fide ac pietate parentum, Deo periclitantem puerum offerentium, sacro quodam signo ad arbitrium adhibito, cum SS. Trinitatis invocatione. Quo vel uno, puerum aqua Salutari minimè tinctum, ab Originali peccato mundari, & æterna felicitate donari contendit, si non adsit Baptismatis opportunitas.

Hujus porro figmenti confutationem, utpote quæ nostram omnem industriam desiderat, ac laborem, in sequentem lectionem mittimus, Deo dante perficiendum.

PRÆLECTIO XXI.

Cardinalis Cajetani commentum de puerorum, seu in matris Utero, seu extra Uterum de vita periclitantium, baptismo, refertur, & confutatur.

POrtentosum Cardin. Cajetani commentum, in cujus confutatione nostra hodie desudabit industria, eo potissimum capite continetur, quod putet, puerum, seu in matris utero, seu extra Uterum, de vita periclitantem (ubi non adest suscipiendi baptismatis opportunitas,) perinde sine sacro baptismo, ab originali peccato mundari, & æterna fælicitate donari posse, alio nimirum remedio opportuno adhibito. Quonam illo? Fide inquit ille & pietate parentum, Deo periclitantem puerum offerentium, sacro quodam signo ad arbitrium adhibito, cum SS. Trinitatis invocatione. Sic certè Cajetanus novum adversus peccatum originale commentus est Sacramentum, in locum baptismatis, dum instat necessitas, subrogandum.

Quam infeliciter ea purpurato Theologo cesserit alea, inde vel maximè patet, quod ea ejus assertio ad examen vocata, *sess.* 7. Concilii Tridentini, unum Seripandum Augustiniensium Ordinis Præpositum Generalem defensorem invenerit, cæteris omnibus in damnationis sententiam conspirantibus; a qua tamen ferenda abstinuere Tridentini Patres; propterea quod ad Lutheranos & Calvinianos errores, ea Cajetani opinatio minimè pertineret, ut scribit Card. Pallavicinus *lib. 9. Histor. cap.* 8. Secutis tamen temporibus eadem illa Theologi purpurati sententia, ex ejusdem in D. Thomam Commentariis expuncta est, jussu SS. Pontificis Pii V. *ad articulum* 2. *&* 11. *q.* 68. 3. *p.* Quamquam tamen Pontificiam censuram nihil morati, Thomas Campanella, & Joannes Caramuel eamdem subinde sententiam novis conatibus instaurarint. At ut sunt illi portentosarum opinionum Magistri, adeo non est id Cajetano perhonorificum, ut dedecori cedat potius & ignominiæ, non alios illum præter Caramuelem & Campanellam, sequaces, & adstipulatores habuisse. Cæteri quippe Theologi omnes sententiam hanc temerariam, & errori proximam dicunt: nonnulli etiam hæreticam vocant, uti Dominicus Soto; nec injuria:

Primò; Quia universa Patrum traditio, Christi D. verba *Joan.* 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S....* Sic semper intellexit, ut ne pueros quidem voluerit excipi, quos tamen urgen-

te

te necessitate excipit Cajetanus. Sic D. Ambrosius *lib. 2. de Abraham Patriarcha cap. ult. Utique nullum excipit Christus, non infantem, non aliqua præventum necessitate*. Sic Augustinus *lib. 3. de anima cap. 9. Noli credere, noli dicere infantes antequam baptizentur morte præventos, pervenire posse ad indulgentiam peccatorum, si vis esse Christianus*. Et *Epist. 28. Quicumque dixerit in Christo vivificari posse parvulos sine ejus participatione, id est sine baptismo, de hac vita exeunt, hic & contra Apostolorum prædicationem loquitur, & totam condemnat Ecclesiam*.

Secundò; Quia ubi constat de Lege aliqua generali frustra obtenditur privilegium, nisi probetur; aliàs quamcumque legem eludere facilè esset. At quod obtenditur puerorum periclitantium privilegium, ut sine baptismate, sola parentum fide, votoque salventur, nec ex sacris Litteris, nec ex Traditione probatur; Cum illud primus omnium expressè atque distinctè somniaverit Cajetanus: frustra igitur privilegium illud obtruditur.

Tertiò; Quia D. Augustinus sexcentis in locis, mota quæstione de parvulis periclitantibus, quibus sacro baptismate succurri non potest, quamquam diligentiam omnem & Ministri sacri, & parentes adhibeant, illos inevitabiliter damnari pronunciat; eaque in parte Divinorum judiciorum inscrutabilem profunditatem agnoscit adorat; Uti videre est *lib. de dono persf. cap. 12. lib. de corrept. & gratia cap. 8. lib. de grat. & libero arb. cap. 22. Epist. 105. ad Sixtum, & 107. ad Vitalem*. At si parentum fides ac votum, baptismi vicem ea in occasione supplere posset; Non utique inevitabiliter damnarentur: nec quod damnentur, ad inscrutabilia Dei judicia refundendum esset; sed ad parentum oscitantiam, qui fidei actum, in sua semper potestate positum, etiamdum in Uteris moriuntur parvuli, non emiserint; nec votum uti poterant nuncuparint, nec externum aliquod signum pro arbitrio applicarint.

Quid quod Augustinus, eadem illa mota quæstione, respondet, nihil pueris illis, ita sine baptismo morientibus, prodesse posse, pietatem religionemque parentum, ut salventur? *Aliquando Deus adoptat in filium suum, quem formavit in Utero impurissimæ fœminæ, & non vult esse filium suum, quem formavit in Utero filiæ suæ. Atque ita ille in cujus potestate sunt omnia, facit esse in Christi consortio, quem formavit in Diaboli Domicilio, & non vult esse in regno suo, quem formavit in templo suo*. Porro pueris illis prodesse plurimum posset parentum pietas, in ea ministrandi baptismatis impotentia, si fidei actus, votumque, Deo nuncupatum, baptismatis vices præstare illis posset, ut salvarentur.

Quid etiam quod D. Prosper *in Carm. de ingratis*, pueros illos ex hac vita sublatos, absque baptismatis suscipiendi opportunitate,

tate, nulla parentum cura, studio nullo posse salvari, disertissimè docet? *Cum videas multos, sanctis genitoribus ortos, nullo salvari studio potuisse suorum*. Possent autem salvari in systemate Cajetani; per actum scilicet fidei, votumque Deo Opt. Max. nuncupatum. Valeat ergo malenatum commentum illud, in injuriam Evangelii, totiusque Ecclesiasticæ traditionis excogitatum.

Cajetanum in eum errorem induxit puerorum exemplum in veteri testamento; quos in fide parentum salvari potuisse Theologi docent, si ante octavum diem, non habita suscipiendæ Circumcisionis opportunitate, ex hac luce præriperentur. Idem enim de pueris novi Testamenti sentiendum existimavit Theologus purpuratus; parentum scilicet fide votoque & illos salvari posse. At quis disparem rationem non videat? Circumcisio quippe ante octavum diem, Deo legislatore ita mandante, conferri non poterat: *Infans octo dierum circumcidetur in vobis:* Quare si qui forte pueri, ante id temporis, ex hac vita rapiebantur minimè circumcisi, non casu duntaxat id eveniebat, sed ex ipsa Divinæ legis dispositione, quæ vetabat Circumcisionem ante id temporis ministrari. Ideoque, ne per ipsam legem damnarentur, ad legislatoris providentiam pertinebat, de altero illis remedio providere toto illo septiduo præcedenti; id verò non aliud erat, nisi pia parentum fides, illis providè applicata. At baptismus ex ipsa sui institutione, quovis tempore dari potest, pueris ab Utero recentibus, ac rubentibus. Ac si qui fortè ex hac vita decedunt, sacro lavacro minimè tincti, non ex Christi legis dispositione id accidit (per legem enim Christi D. tingi possent) sed casu tantum fatalique caussarum naturalium concursu, quem Deus impedire non tenetur, tametsi possit. Adeoque ad Christi D. providentiam minimè pertinebat, de altero pueris illis remedio providere, qualecumque fingatur esse, seu parentum fides, seu votum a quocumque alio nuncupatum. Sed nec illud prætereundum: Cajetanum exemplum illud puerorum veteris Testamenti, non modò instituto suo perperam accomodare, verùm etiam ultra metas extendere: In veteri quippe Testamento parentum fides, natis duntaxat ex Utero pueris, prodesse poterat ad salutem, si primo illo septiduo morerentur; Cum contra Cajetanus in novo Testamento, pueris etiam in Utero morientibus, parentum fidem, ac votum prodesse, contendat.

At ecce Cajetano suppetias affert Caramuel præfidentis ingenii Theologus, argumento isto altiùs exaggerato, quo Theologos omnes naso sibi visus est suspendisse. Baptismus, ait ille, legis Evangelicæ privilegium est, supra Mosaicam legem; puerosque novi fœderis meliorem in sortem evehit, quam in veteri fuerant. At si pueri nunc, non habita opportunitate baptismatis, fide parentum

sal-

salvari non possent, quemadmodum, non habita opportunitate circumcisionis, parentum fide salvabantur olim. Non esset baptismus, legis Evangelicæ supra Mosaicam privilegium, sed gravamen; nec melioris nunc sortis essent pueri, sed pejoris; Quippe cum altera illa obtinendæ salutis via iis minimè suppeteret, quæ aliis suppetebat; possunt itaque pueri deficiente baptismate parentum fide salvari; quemadmodum olim deficiente circumcisione parentum fide salvabantur.

Rideo argutantem, ac eo maximè rideo, quod putet cœli convexa digito tetigisse, cùm ne ipsam quidem difficultatem attigerit. Do lubens, ultroque fateor pejorem modò fore puerorum sortem, si in cæteris pares essent baptismus & circumcisio; si, inquam, quemadmodum in veteri testamento, ex ipso præscripto legis, ante octavum diem, nequibat fieri circumcisio; ita & in novo, ante diem aliquem præfinitum, baptisma conferri non posset: sic enim lex baptismatis cederet in gravamem, puerique deterioris sortis essent, si deficiente ante præfinitam diem opportunitate baptismatis, parentum fides, tanquam altera salutis via, præsto non esset, quemadmodum deficiente per septiduum Circumcisionis opportunitate, parentum fides succurrebat. At longè aliter se res habet, ut notum est: Imò in eo potius legis Evangelicæ supra Mosaicam privilegium positum est, meliorque conditio fit puerorum novi fœderis, quàm antiqui; quòd olim nonnisi octavo die, remedium illis contra originale peccatum dari posset, nunc verò statim atque ex Utero prodeunt. Ut sileam majora alia baptismatis, quam circumcisionis commoda, & privilegia. Ut quod uberiorem conferat gratiæ copiam; quod justificet ex opere operato, quod imprimat caracterem, quod faciliùs ministretur, & alia, quæ commemorare longum esset, quæ Christianam sortem meliorem faciunt, quam Hebræorum.

Sed ais fortasse mihi; quo casu saltem aquæ copia non suppetit, ut baptismus parvulo conferatur, tunc certè si parentum fide defectus ille suppleri non potest, deterioris sortis est puer, quam fuisset in veteri testamento, ubi circumcisionis defectum parentum fides supplevisset; at erras tu ipse, vir bone, si putas parentum fidem, in veteri Testamento, circumcisionis defectum, quacumque occasione, quocumque tempore supplevisse. Quod certè tam falsum est, quam quod maximè. Supplebat enim duntaxat toto illo priori septiduo, quo ex Dei mandato nondum poterat circumcisio conferri: alio verò tempore, aliave occasione non supplebat: sed omnis anima cujus præputii caro incircumcisa erat, peribat de populo Dei. Quare dum nunc baptismi defectum, ex aquæ penuria, aliove casu contingentem, parentum fides non supplet, non est

eſt puer deterioris conditionis, quam fuiſſet in veteri Teſtamento, ſi quo fortè caſu, poſt primum illud ſeptiduum circumcidi non poſſet; Nam & tunc parentum fides ſupplere non poterat.

Nihilo meliùs Cajetani ſententiam juvat adultorum exemplum; qui tametſi generali Chriſti lege teneantur, *Niſi quis renatus fuerit*; deficiente tamen opportunitate baptiſmatis, fide, deſiderio, votoque baptiſmi juſtificantur, atque ſalvantur. Quod quidem baptiſma flaminis Theologi dicunt. Neque enim, inde conſequens eſt, ut & parentes, filios ſuos fide votoque perinde juſtificent, quemadmodum juſtificantur & ipſi. In primis enim quod legis hujus Evangelicæ generalitatem ſpectat, Traditio Eccleſiaſtica, quæ Divinarum legum interpres eſt abſolutiſſima, eam ſic ſemper a primis ſæculis intellexit, ut *renaſci ſpiritu*, re ipſa ſemper oportuerit; *aqua* verò *renaſci* neceſſe fuerit, vel re, ſi adſit opportunitas; vel voto, ac deſiderio, ſi non adſit; Voto tamen, ac deſiderio proprio: uti docent D. Ambroſius *Orat. in obitu Valentiniani*, & D. Auguſtinus *lib. 4. de bapt. contra Donat. cap. 22.* At numquam ſic legem illam intellexit Eccleſia, ut ſatis ſit baptiſmatis votum ac deſiderium alienum, nempe parentum, ut quis ſine baptiſmo actu ſuſcepto ſalvetur. Secundò: actus fidei ac deſiderii, iis duntaxat prodeſſe poteſt, a quibus elicitur, non item aliis, niſi Deus, ut ita proſit, ordinaverit. Cum igitur in novo Teſtamento, nulla Dei lege ſtatutum ſit, ut fidei ac deſiderii actus à parentibus elicitus, filiis etiam proſit, niſi ſit baptiſmo conjunctus, nil mirum ſi ſolis ad ſalutem parentibus proſit, non item filiis, ut in veteri contingebat, ubi parentum fides filiis quoque proderat ad ſalutem: Neque propterea conſequens inde eſt, veteris Teſtamenti fidem, efficaciorem fuiſſe novi. Quod enim hæc prodeſſet etiam aliis, nempe filiis ad juſtitiam, non ex majori illius efficacia contingebat, ſed ex Divina deſtinatione; Deo ſcilicet ita volente, quia ante octavum diem, pueri circumciſionis beneficio juſtificari non poterant, uti poſſunt nunc juſtificari pueri per baptiſmum.

Gemino alio exemplo Cajetani ſyſtema juvari poſſe aliqui putant. Primum iſtud eſt: Si gravida mater martyrio afficiatur, & pro Chriſto D. mortem oppetat, martyr habetur & filius utero ejus incluſus: cur non ergo, matre fidei actum eliciente, votumque concipiente, filius quoque credere reputatur?

Alterum iſtud eſt: Parentibus atque patrinis, fidem pro puero profitentibus in baptiſmo, cenſetur puer fidem profiteri & credere, atque ita juſtificatur: quid ni ergo extra baptiſmum idem perinde contingit?

Neutrum tamen exemplum quidquam evincit. Ideo enim gravida matre martyrio affecta, ac pro Chriſto moriente, filius quoque mar-

martyr evadit; quia tunc una cum matre moritur & filius: at fidei actum eliciente matre, non perinde actum fidei elicit filius.

Similiter parentum patrinorumque fides prodest puero baptizato, non ratione sui, sed ratione baptismatis, vi cujus aggregatur Ecclesiæ, & habitus fidei cæterarumque virtutum puero infunduntur. Idcirco extra casum baptismatis nihil parentum fides prodest filiis ut ejus ope salventur.

Superest ultimum Campanellæ & Caramuelis momentum, quo Cajetani Commentum pietatis specie cohonestare sibi visi sunt. Nempe, inquiunt illi, si pueris illis de vita periclitantibus, quibus baptisma conferri nequit, succurri aliunde non posset, per actum fidei votumque parentum, Deus sinceram de illorum salute voluntatem nequaquam haberet, quandoquidem de nullo illis medio ad salutem obtinendam sufficienti providisset Deus. At hoc ego momentum Citharædis & tibicinis linquo. Trita quippe cantilena est, cuilibet scenæ serviens: Cui etiam ante diem alterum, dum de pueris in Vtero baptizandis dicerem, cumulatè respondi. Hoc dico tantum: Si Deus sinceram de puerorum illorum salute voluntatem non haberet, quibus piorum parentum fide succurri non posset, ostendat si potis est Cajetanus, qua tandem ratione, puerorum illorum salutem velle censendus est Deus, qui inter parentes gentiles, & hebræos de vita periclitantur; quibus certè, nec per sacrum baptisma succurri potest, deficientibus nempe ministris, qui baptismum conferre sciant, aut velint; nec per fidei actum, votumque conceptum, cui eliciendo concipiendoque parentes infideles sunt penitus impares. Quidquid ad hæc responsi dederit Cajetanus, ut sinceram Dei de salute omnium voluntatem in tuto ponat; & hoc idem in ea, quæ modo fit difficultate, respondebo.

Cajetani commento a nobis hactenus confutato suffragari utcumque videtur, quod habet Joannes Gersonius *Sermone de Nativ B. Virginis*, habito in Concilio Constantiensi, ubi consilium dat parentibus, quorum filii in matris Utero, sine baptismatis Sacramento proximè morituri sunt, ut Christum Dominum orent, quo pueros illos proximè morituros, baptismo saltem Spiritus S. initiare dignetur absque aquæ lavacro; additque spem esse, ut Deus hujusmodi præcationem exaudiat. Parentum itaque fide præcibusque, sine aquæ baptismo, salvabuntur pueri illi, si Gersonio fides est.

At nec id quidem suffragatur Cajetano. Quod enim pro certo ponit Cajetanus puerum scilicet parentum fide votoque, sine baptismo salvari posse, id uti rem omnino dubiam incertamque Gersonius innuit *Quis scit*, inquit, *si fortè exaudiat Deus?* Quamquam & illud Joannis Gersonii Consilium imprudens omnino est, ex zelo quidem profectum, sed non ex scientia, utpote Christi senten-

tiæ in Evangelio latæ palam apertèque contrarium : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non intrabit in regnum Cœlorum*. Parentibus eo in casu orandum est potius, ut quia sine baptismo salus nulla periclitantibus pueris speranda est, dignetur Deus eosdem in vita servare, donec in lucem editis, aqua salutari ablui possint. Sic orabat illa mulier, cujus mentionem ingerit, Augustinus *serm.* 33. *de Diversis*, cujus infans sine baptismo extinctus fuerat: Orabat, inquam, pro eo, non ut salvaretur sine baptismo, sed ut vel ad momentum revivisceret, quo sic baptizari posset : quod etiam ingenti portento factum est. *Revixit*, inquit Augustinus, *filius ejus, continuò tulit illum ad præsbyterum, baptizatus est, sanctificatus est, unctus est, imposita est ei manus, completisque omnibus Sacramentis, assumptus est*. Orandum igitur pro parvulis periclitantibus, non ut sine baptismo salventur, quod absurdissimum est, sed ut ad baptismum perveniant.

Qua in re, si non exaudiuntur parentes, intelligant Dei voluntatem esse, ut non perveniant ad salutem ; quemadmodum & alii tam multi, qui sine Sacramento regenerationis ex hac luce rapiuntur apud barbaras gentes, & a Christi fide alienas, quibus nulla ratione succurri potest.

Ruit igitur ab imo Card. Cajetani commentum, statque inconcussa indubitataque baptismi necessitas ; necessitas, inquam, non præcepti modo, sed medii, cujus vices nulla parentum vota, fides nulla, observatio nulla in parvulis suppleant. Num verò in adultis saltem defectum baptismatis, ubi illius obtinendi deest opportunitas, ardens desiderium, fidei & Charitati conjunctum supplere possit, futuræ prælectionis argumentum erit.

PRÆ-

PRÆLECTIO XXII.

Baptismi defectum desiderio votoque suppleri, ubi non adest suscipiendi opportunitas.

IN ea quæ mihi nunc agitanda venit gravissima controversia: Num baptismatis desiderium ac votum, ejusdem vices suppleat in adultis, ut salutem sine baptismate consequi possint, ubi illius suscipiendi non est opportunitas; tota fermè, ad unius Oraculi Evangelici criterium, devolvitur difficultas: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non intrabit in regnum Cælorum. Joan.* 3. Si enim cætera fermè omnia consulamus Sacrarum Scripturarum Oracula, perspectum est, promissam esse salutem, regnumque Cœlorum iis esse assertum, qui Fide, Spe, Charitate in Deum conversi fuerint, nulla baptismatis suscipiendi mentione facta, (in ipsa etiam lege Evangelica, ut de veteri taceam); *Sic Matth. 7. Omnis qui invocaverit nomen Domini salvus erit. Lucæ 2. Omnis qui credit in illum non confundetur. Rom.* 10. *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quia Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris*. Nulla est illic, ad salutem obtinendam, imposita suscipiendi baptismatis obligatio. Verùm ubi ad laudatum Christi oraculum ventum est, *nisi quis renatus fuerit &c.* ad illud, tanquam ad scopulum illidi videntur omnia: quippe quod, præter internos illos virtutum actus, baptismatis susceptionem, ad salutem necessariam, apertè declarat.

Illud ergo ad propositæ quæstionis eliquationem expendere necesse est, quem sensum Christi D. Oraculum habeat, numne exceptionem patiatur aliquam. Si enim palam ostendero, Christum iis verbis baptismum aquæ, vel re, vel voto, seu desiderio suscipiendum indixisse; re quidem, si adsit opportunitas, voto ac desiderio si non adsit, resoluta ac definita quæstio erit, apertèque constabit, Baptismum aquæ in adultis desiderio votoque suppleri posse; Id verò multis evinco, multis ostendo.

Ac primò quidem ex Sacris Litteris, in quibus generalis lex illa est, *hominem videre ea quæ apparent, Dominum autem intueri cor*, ut legitur 1. *Reg. Cap. 16.* Qui ergo intimo corde desiderat per baptismum regenerari ex aqua & Spiritu S. corde jam regeneratus est, in oculis Dei, licet non corpore, & in oculis hominum; sicut & Apostolus ait *Rom.* 11. *quod circumcisio cordis est*

in

in Spiritu, *non Littera*, *cujus laus non ex hominibus*, *sed ex Deo est*. Ac quemadmodum in malis voluntas pro facto reputatur; adeo ut *qui viderit mulierem ad concupiscendum eam*, *jam mechatus sit eam in corde suo*, *Matt.* 5. ita in bonis; adeoque qui baptismate renasci sincerè voluerit, jam in corde renatus est. Hinc in Actibus Apostolicis, quo tempore baptismus in præcepto jam erat; Spiritu S. donatos, atque ita justificatos legimus benè multos, antequam jubente Petro, aquæ baptismate lustrarentur; justificatos inquam solo baptismatis desiderio votoque; *Numquid aquam* inquit Petrus, *quis probibere potest*, *ut non baptizentur hi*, *qui Spiritum S. acceperunt*, *sicut & nos? & jussit eos baptizari in nomine Domini Jesu*. Nempe spiritu regenerati jam erant, antequam tingerentur, ob ardens scilicet baptismatis desiderium. Quin & Christus ipse, cum *Matthæi ultimo* dixisset, *qui crediderit & baptizatus fuerit*, *salvus erit*, subjunxit e vestigio, *qui verò non crediderit condemnabitur*; minimè tamen addidit, *qui verò baptizatus non fuerit*, *condemnabitur:* ut innueret, ex defectu quidem fidei, damnari semper homines, non semper tamen ex defectu baptismatis; dum nimirum non est suscipiendi baptismatis opportunitas, suppletque votum ac desiderium.

In eumdem planè sensum, Christi Domini baptismum indicentis oraculum intellexit Patrum traditio: ut nempe re quidem baptisma sit recipiendum si adsit opportunitas, voto autem ac desiderio si non adsit. Sic D. Cyprianus *Epistola ad Jubajanum* proposita sibi quæstione, possint ne ii salvari, qui in Christi Ecclesia conversantur bona fide, putantes se esse baptizatos, qui tamen re ipsa baptizati non sunt; Respondet, posse omnino salvari, & ab Ecclesiæ muneribus non separari; *Potens est Dominus Misericordia sua indulgentiam dare*, *& eos qui ad Ecclesiam simpliciter admissi in Ecclesia dormierunt ab Ecclesiæ suæ muneribus non separare*. Supponit ergo, eo in casu, ardens baptismatis desiderium quo fervet ille, qui ita bona fide in Ecclesia conversatur, aquæ baptismum omnino supplere. Luculentiùs verò D. Augustinus *lib.* 4. *contra Donatistas Cap.* 22. producta D. Cypriani authoritate, *Diu multumque* (inquit) *considerans*, *invenio etiam sine regenerationis lavacro*, *ipsam fidem*, *conversionemque cordis satis esse*. Et interposito latronis exemplo, quem desiderio baptismatis spiritualiter renatum existimat, subdit; *sed tunc impletur invisibiliter*, *cùm Mysterium baptismi*, *non contemptus religionis*, *sed articulus necessitatis excludit* (*a*). Quocirca tamen observare necesse est SS. Doctorem *lib.* 2. *Retract. Cap.* 18. agnovisse tandem, ultroque fassum

(a) *Apud Gonet. Tom.* 5. *disp.* 3. *de suscipientibus Baptismum pag.* 121. *Antuerpiæ* 1733.

ſum eſſe, Latronis exemplum, minus ad rem probandam fuiſſe appoſitum, cùm quo tempore penderet in cruce, nondum Chriſti baptiſma in præcepto eſſet; attamen dogma ipſum firmiter atque conſtanter tenuiſſe. Omnium verò diſertiſſimè S. Ambroſius *Oratione in obitu Valentiniani Imperatoris*. Cum enim baptiſmum expetiſſet Imperator, ſed certas ob cauſſas diſtuliſſet, volens a Sanctiſſimo Præſule baptizari, priuſquam ad eum perveniret præcipiti morte in itinere ſublatus eſt. Ad quod intendens D. Ambroſius inquit *laudata in oratione*: *Ventrem meum doleo, ut prophetico utar eloquio, quoniam quem in Evangelio eram generaturus, amiſi. Sed ille non amiſit gratiam, quam popoſcit*. Et poſt pauca converſo ad populum ſermone, *audio vos dolere, quòd non acceperit Sacramenta baptiſmatis. Dicite mihi, quid aliud in nobis eſt niſi voluntas, niſi petitio? Atque etiam dudum hoc voti habuit: ut & antequam in Italiam veniſſet, initiaretur, & proximè baptizari ſe a me velle ſignificavit; & ideo præ cæteris cauſſis me accerſendum putavit. Non habet ergo gratiam quam deſideravit? non habet quam popoſcit? Certè quia popoſcit, accepit. Undè illud eſt: Juſtus quacumque morte præventus fuerit, anima ejus in refrigerio erit. Cap. 4. . . . Si Martyres ſuo abluuntur ſanguine, & hunc ſua pietas abluit, & voluntas*. Deinde poſt multa, ad ipſum Imperatorem Valentinianum converſo Sermone: *Non quicumque te, ſed Chriſtus illuminavit gratia Spirituali. Ille te baptizavit, quia humana tibi Officia defuerunt. Plus adeptus es, qui minora te amiſiſſe credebas*. Quibus proferri nihil luculentiùs poteſt, ut aquæ baptiſmum ejuſdem deſiderio votoque ſuppleri, ubi deeſt opportunitas, demonſtretur.

Idcirco undecimo vertente ſæculo, mota inter viros nonnullos eruditos hac ipſa quæſtione: poſſet ne quiſpiam ſalvari, ſine aquæ baptiſmo re ipſa ſuſcepto, quem tamen cum vera fide & contritione cordis expetiiſſet, conſultus ea de re D. Bernardus, reſpondit *Epiſt.* 77. quæ eſt ad Hugonem Victorinum SS. Auguſtini & Ambroſiii auctoritate fretus, *ſi quis voluerit, & petierit baptizari, & mortis præventus articulo, fortè obtinere nequiverit, dum non deſit fides recta, ſpes pia, Charitas ſincera, huic ego ob ſolam aquam, ſi defuerit, nequaquam omnino poſſum deſperare ſalutem, nec vacuam credere fidem, nec confundere Spem, nec excidere Charitatem; tantum ſi aquam non contemptus, ſed ſola ut dixi prohibeat impoſſibilitas*. Idem docet D. Thomas 3. *p. q.* 68. *art.* 11. *Poteſt*, inquit, *Sacramentum baptiſmi alicui deeſſe re, ſed non voto, ſicut cum aliquis baptizari deſiderat; ſed aliquo caſu prævenitur morte, antequam baptiſmum ſuſcipiat: & talis, ſine baptiſmo actuali ſalutem conſequi poteſt, propter deſiderium baptiſ-*

ptismi, quod procedit ex fide per dilectionem operante, per quam Deus interiùs hominem sanctificat, cujus potentia Sacramentis visibilibus non alligatur.

Secundum hanc Patrum traditionem pronunciavit Innocentius III. *Cap. debitum, extra de baptismo*, occasione Judæi non verè baptizati, sed tamen vehementi baptismi desiderio flagrantis: *Si continuò*, inquit, *decessisset, ad patriam protinus evolasset, propter Sacramenti fidem, non propter fidei Sacramentum;* Et *Cap. Apostolicam* de Præsbytero non baptizato, sed cum bona fide suscepti baptismatis, ex hac vita sublato, respondet idem Pontifex, eum, *quia in sanctæ matris Ecclesiæ fide, & Christi nominis confessione perseveravit, ab originali peccato solutum, Cœlestis patriæ gaudium esse adeptum*. In eumdem sensum pronunciavit pariter Concilium Tridentinum, *Sess. 6. de Justif. Cap.* 4. decernens, *post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut ejus voto, justificationem fieri non posse*. Solo itaque voto, seu desiderio potest homo regenerari.

Quæ cum ita sint, intelligere facile est, quid sibi velint laudati Ecclesiæ Patres, Ambrosius & Augustinus: ille quidem *libro de iis, qui mysteriis initiantur, Cap.* 4. dum ait, *credit Catechumenus, sed nisi baptizatus fuerit, remissionem non potest accipere delictorum*. Quasi fides non sufficiat sine baptismo actu suscepto: Iste vero *tractatu* 13. *in Joannem*, dum inquit, *quantumcumque Catechumenus proficiat, adhuc tamen Sarcina iniquitatis suæ portat; nec illi dimittitur, nisi dum venerit ad baptismum: Et lib. de peccatorum meritis Cap. 36. Sanctificatio Catechumeni, si non fuerit baptizatus, non ei valet ad intrandum regnum Cœlorum, aut ad peccatorum remissionem:* Certè nisi secum ipsi apertè pugnarint Ambrosius & Augustinus; de Catechumenis illic agunt, extra necessitatis articulum; vel qui tanto non feruent suscipiendi baptismatis desiderio; imò qui suscipere negligunt, differuntque de industria, ad provectam ætatem. Hunc enim abusum in Ecclesia occidentali irrepentem Sæculo IV. & V. coercere studuit D. Ambrosius, uti in Orientali represserant S. Basilius, Gregorius uterque, Nissenus & Nazianzenus: ut legere est, apud Baronium, *in annalibus ad annum* 377. Sicubi verò laudati Patres, aliique fortè nonnulli docent, non aliam esse salutis viam, nisi *aut baptismum in Christo, aut mortem pro Christo*. ut S. Augustinus *lib.* 1. *de anima, & ejus origine Cap.* 9. *lib. contra mendacium Cap.* 20. *lib.* 13. *de Civitate Dei Cap.* 7. & S. Fulgentius *lib. de Fide ad Petrum Cap.* 3. seu etiam, si quandoque inuunt, neminem baptismatis lege solutum esse, ut S. Ambrosius *lib.* 2. *de Abraham Cap.* 11. S. Joannes Chrysostomus *Homil.* 24.

in

in Joan. Si certè generali baptiſmatis nomine, utrumque ſimul intelligunt, aquæ nimirum & deſiderii, fluminis ut ajunt & flaminis; quorum alterutrum, præterquam in caſu Martyrii, homini ad ſalutem eſt neceſſarium: aut etiam ſecluſo neceſſitatis caſu loquuntur. Id ni velint, ſecum ipſi pugnabunt; qui alibi neceſſitatis caſum excipiunt.

Æquè facilis eſt intellectus Canonis *Catechumenum diſt. 4. de conſecratione; Catechumenum quamvis in bonis operibus defunctum, vitam æternam habere non credimus, excepto martyrio.* Senſus quippe eſt, ut monet Doctor Angelicus 3. *p. q. 68. art.* 2. Catechumenum in bonis operibus defunctum, ſtatim quidem & illico ad vitam æternam pervenire non poſſe; quia baptiſmi deſiderium tametſi ſufficiat ad ſalutem, ab omni tamen reatu pœnæ hominem non liberat; cùm plena hujuſmodi, & univerſalis liberatio, a culpa ſimul & pœna ſit effectus baptiſmi re ipſa ſuſcepti, atque martyrii: non ſtatim ergo ad vitam æternam pervenit Catechumenus, pervenit tamen ſoluta pœna. Quamquam nec illud ſilendum puto, Canonem illum ſpurium eſſe: Tribuitur quippe Auguſtino apud Gratianum *diſt. 4. de Conſecratione.* Cum tamen liber *de Eccleſiaſticis Dogmatibus*, ex quo deſumptus eſt, Auguſtini non ſit, ſed Gennadii Viri medullitùs Semipelagiani.

Sed oppones fortaſſe mihi, in gratiam adverſæ Sententiæ: tam eſt generalis lex iſta baptiſmum indicens *Joan.* 3. quam altera lex quæ cordis contritionem, Fidemque, Spem, Charitatem exigit ad ſalutem: Quemadmodum ergo ab illa diſpenſatio non datur, qualiſcumque fingatur neceſſitatis caſus; ita nec ab iſta diſpenſatio eſt, tametſi neceſſitas urgeat. Reſpondeo inter utramque legem, geminum eſſe diſcrimen. Primò enim; lex Fidem, Spem, Charitatem poſtulans ad ſalutem, cordiſque contritionem ad veniam, actus internos exigit ab homine, qui ſemper cum Dei gratia in hominis poteſtate eſſe dicuntur: lex verò baptiſmum indicens, externi ritus perceptionem injungit, quæ ſemper in hominis poteſtate non eſt, ſed ab externo agente ſeu miniſtro dependet. Secundò: Prior illa lex, ita eſt poſitiva, ut tamen ex lege naturæ æquitatem habeat, quæ certè dictat, ut venia non detur niſi pœnitenti; Salus non niſi credenti, ſperanti, diligenti concedatur. Ex adverſo baptiſmatis lex ſimpliciter poſitiva eſt, ex ſolo Dei nutu pendens, naturali æquitate minimè exigente, ut homo non niſi tinctus aqua ſalvetur. Quare nil mirum, ſi hæc diſpenſationem admittat aliquam, non itidem illa.

Eccur ergo, inquies, non eadem pueris, quæ adultis conceditur diſpenſatio, ut & ipſi ſine baptiſmate re ipſa ſuſcepto ſalutem obtineant, ubi illius ſuſcipiendi copia non adeſt? Reſponſio in promptu

ptu est ? Quia in pueris nihil est quod defectum baptismatis suppleat, non fides in illis est, non votum, non desiderium: qualia tamen ad supplementum veniunt in adultis. Nec est quod reponas, posse alios saltem pro parvulis credere votumque concipere, uti pro illis credere dicuntur susceptores atque patrini, dum baptizantur. Aliena quippe fides non est apta prodesse parvulis: si prodest dum baptizantur, ratione tantum baptismatis prodest. Adeoque dum illis non adest copia baptismatis, nec adest illis alienæ fidei copia, quæ defectum baptismatis suppleat. *In Infantibus enim*, ut loquitur Augustinus, *credere est baptizari, non credere non baptizari.*

Quandoquidem autem desiderium in adultis baptismatis vicem supplere, jam satis ostendi, & contra impugnantes probè defendi, faciam nunc operæ prætium, si paucis exposuero, quale quantumque desiderium illud esse debeat, ut supplendi vim habeat; ac vicissim quale quantumque sit supplementum, quod desiderio dicitur obtineri.

Quocirca de primo breviter dicam, ad sufficiens desiderium votumque baptismatis, satis profectò non esse, si baptisma nec contemnatur, nec negligatur: quandoquidem ipsa quoque confirmationis & Extremæ Unctionis Sacramenta, citra culpam contemni ac negligi non possunt; quæ tamen non perinde ac baptismum dicimus necessaria: Sed verò proprioque actu desiderari, optari, efflagitari debet baptismatis Sacramentum, dum haberi re ipsa non potest, quandoque quidem distinctè atque expresè, quandoque verò generatim atque confusè, pro mensura scilicet cognitionis & fidei, quæ de Christiana Religione habetur. Pone etenim E. G. mihi aliquem, cui primus duntaxat fidei & cognitionis supernaturalis radius affulgeat, quo noverit Deum natura unum, personis trinum esse, personarum ex iis alteram factum esse hominem, novamque legem instituisse: Is certè sufficienter baptismum desiderare censeretur, si generatim optaret implere omnia, quæ Christi lege jubentur; inter quæ profectò baptismus est, de quo tamen nec dum tunc distinctam notitiam haberet. At si alterum mihi dederis, cui plena & integra sit Christianæ Religionis notitia, quique suscipiendi baptismatis legem, a Christo latam distinctè noverit; is nisi distinctè atque expresè baptismum velit & optet, quamquam sit in augustiis positus, sufficiens ad supplendas baptismatis vices desiderium habere minimè reputabitur. Eo quippe modo desiderare debet, quo novit esse necessarium: novit autem expresè atque distinctè; distinctè ergo atque expresè debet desiderare; quod ni faciat, non modò desiderij sui fructum non percipit, verùm etiam neglecti contemptique baptismatis reus est.

Qua-

Quale verò quantumque sit baptismatis supplementum, quod desiderio obtineri demonstravimus: Num scilicet desiderium omnes baptismatis effectus suppleat in adulto, remissionem culpæ, infusionem gratiæ, relaxationem pœnæ, Characteris impressionem; altioris inquisitionis est, ac laboris. Idcirco in sequentem lectionem mittimus, Deo volente, explicandum.

PRÆLECTIO XXIII.

Quid specialiter suppleat desiderium, demonstratur.

Baptismi defectum desiderio votoque suppleri, ubi non adest suscipiendi opportunitas & diximus sæpe, & probavimus luculentur: Verùm quinam specialiter baptismi effectus desiderio votoque obtineantur, & quomodo, ne leviter quidem insinuavimus. Cum ergo non unus sit baptismatis effectus, sed quadruplex; deletio videlicet culpæ, insusio gratiæ, relaxatio pœnæ peccato debitæ, characteris impressio, quos omnes effectus ex opere operato baptismus producere dicitur; illud in præsentia superest explicandum, num omnes illos effectus, eodemque modo producat desiderium, ac votum, an aliquos tantum ex illis.

Et duos quidem primos baptismatis effectus deletionem culpæ, & infusionem gratiæ, desiderio votoque produci, arbitror manifestum. Cùm enim duo illi effectus indivulsè conjuncti sint, (repugnat enim remissionem culpæ, absque gratiæ infusione fieri), aut nihil planè desiderium votumque producit, aut si quid producit, (quod jam fecimus manifestum) utrumque illum producit effectum, remissionem scilicet culpæ, & infusionem gratiæ.

Verùm de tertio baptismatis effectu, relaxatione scilicet pœnæ peccato debitæ, longè aliter statuo; Nempe usque adeo desiderio votoque non produci, ut si quis eo solo renatus desiderio, non item aqua, ex hac vita decederet, adhuc in altero sæculo debitas peccatis pœnas lueret; non illas quidem æternas, sed temporaneas; quod tamen in renatis aqua baptismatis, si statim ex hac luce rapiantur, non contingit.

Sic sanè Doctor Angelicus 3. *part. quæst. 68. art. 2. ad 2. Si quis*, inquit, *Cathecumenus sit, habens desiderium baptismi, talis decedens non statim pervenit ad vitam æternam, sed patietur pœnam pro peccatis præteritis: ipse quidem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*; hoc est per ignis purgatorii pœnas.

Eam ob caussam D. Ambrosius, hac ipsa in oratione habita in obitu Valentiniani Imperatoris, ex hac vita sine baptismo sublati, quem summè optaverat; postquam illum *suo ipsius voto ac desiderio baptizatum*, suaque ipsius *pietate ac voluntate ablutum*, dixit, commendavitque: populum tamen admonet, ut pro illo secum oret, inquiens; *Requiem ejus pio poscamus affectu:* Et iterum *Ani-*

mam

mam piam nostris oblationibus prosequamur. Et Innocentius III. *Cap. Apostolicam* de præsbytero non baptizato, qui fide votoque regeneratus fuerat atque salvatus, *juges pro illo preces hostiasque Deo offerri jubet:* quæ sanè frustra moverentur, ac juberentur, nisi & Valentinianum Ambrosius, & Præsbyterum illum Innocentius, pœnis purgarorii in altera vita detentos existimarent.

Quare quod de eodem Valentiniano paulò ante eadem in Oratione dixerat D. Ambrosius, eum *Vita æterna jam frui*, *plusque adeptum fuisse*, *quàm amisisset*; non de actuali fruitione, qua beatæ mentes in Cœlo gaudent, oportet accipere, sed de fruendi jure, quod animis pœnas igne purgatorio luentibus, assertum est. Nec plus gratiæ sine baptismo adeptum Valentinianum significat D. Ambrosius, quam cæteri per baptismum actu susceptum accipiant; sed ejus in eo prærogativam & excellentiam ponit, quod cum alii baptizentur a Christo per hominis ministerium, hic sine hominis ministerio sit baptizatus a Christo, baptismo videlicet Spiritus; *Ille te baptizavit, quia humana tibi officia defuerunt: plus adeptus es, qui minora te amisisse credebas*. Ambrosii verba sunt, extinctum Valentinianum in Oratione panegyrica compellantis.

Quod verò laudatus Innocentius III. habet *cap. debitum; extra de baptismo & ejus effectibus;* Judæum quempiam invalidè baptizatum vehementi tamen baptismi desiderio flagrantem, (quippe qui se ipsum, non habita ministri copia, baptizaverat imprudens) *ad Cœlestem patriam, si ita decederet, protinus evolaturum fuisse:* Id ob charitatis ipsius, ac desiderii excellentiam, dictum est. Tanto quippe Judæus ille flagrabat baptismi atque salutis desiderio, quanto ad pœnam simul & culpam delendam, satis esset. Quod sanè ubi contingit, non negamus, pœnam, non secùs ac culpam expungi: At non quid præter ordinem, ac veluti prodigialiter accidat, expendimus hìc, sed quid ex lege Divinæ Providentiæ solito fiat.

Quartus baptismatis effectus Characteris nimirum baptismalis impressio, longè minus desiderio obtinetur & voto. Seu ut expeditiùs dicam, adultus solo desiderio votoque regeneratus in Christo, non idcirco Charactere baptismali insignitur. Characteris enim impressio, Sacramentalis initiationis effectus est proprius. Hinc sacri Canones, hominis solo desiderio votoque regenerati ordinationem, (si fortè subinde facta sit) irritam dicunt ac planè nullam, *cap. si quis*, & *cap. Veniens*, *extra de presbytero non baptizato*: ea sanè de caussa, quod baptismali Charactere non insignitus, cæterorum Sacramentorum incapax censeatur. Non absimiliter hominem solo desiderio votoque regeneratum aqua baptismali lustrandum decernunt

nunt Ecclesiæ Patres, ubi semel opportunitatem nactus fuerit; ea maximè ratione, ut notat Doctor Angelicus *in 4. sent. dist. 6. q. 1. art. 1. Ut Characterem recipiat, quo adnumeretur populo Dei, & ad cætera Sacramenta percipienda deputetur*. Id ergo pro certo supponunt Ecclesiæ Patres, Canonesque, nullum baptismate flaminis ac desiderii imprimi Characterem.

At inquiet mihi aliquis, contra primam assertionem a nobis positam de culpæ deletione, & infusione gratiæ; quo pacto fieri potest, ut qui jam desiderio votoque justificatus est, tum infusione gratiæ, tum culpæ deletione, aquæ baptismate subinde lustretur, si detur occasio, cum hujusmodi baptisma in eo locum habere subinde non possit? hæc enim verba, *ego te baptizo*, non modo externam & materialem, ut ajunt, sed & internam & spiritualem ablutionem a peccato significant, quæ cum antea desiderio votoque facta sit, fieri ultra non potest.

Imò, inquio ego, potest maximè fieri: eo sanè modo, quo quis perfecta contritione succensus, ad pœnitentiæ Sacramentum accedens, Sacerdotalem absolutionem percipit, his verbis expressam, *ego te absolvo a peccatis tuis*, a quibus tamen vi contritionis jam supponitur absolutus: Quia absolutionis illius tunc sensus est, impertior tibi gratiam remissivam peccati, seu quæ de se capax est remittendi peccata, si illis pœnitens ligatus inveniatur; quamquam per accidens non dimittat, quia dimissa supponit. Ita ea baptismatis verba, *ego te baptizo*, spiritualem lotionem significantia, in homine per desiderium spiritualiter jam renato, hunc sensum habent, *ea te lotione perfundo, quæ peccati cujusque abstergendi capax est*, etsi per accidens non abstergat, quia illa supponit abstersa. Addo, abstergi atque mundari spiritualiter posse, non solùm qui sunt infecti peccato, sed & qui illo mundati jam sunt; per augmentum videlicet gratiæ sanctificantis, quæ magis magisque hominem retrahit a statu peccati: juxta illud *Apocal.* 22. *qui justus justificetur adhuc; & sanctus, sanctificetur adhuc*.

Superest nunc explicandus modus, quo desiderium & votum priores illos baptismatis effectus producere dicitur. Quocirca constanter affirmo, effectus illos ex opere operantis duntaxat, non ex opere operato produci. Vis enim & efficacia delendi culpam, & gratiam infundendi ex opere operato, Sacramentorum duntaxat est propria, ex Concilio Tridentino *sess.* 7. *Can.* 8. Desiderium autem Baptismi tametsi ardentissimum, nusquam ad Sacramenti dignitatatem assurgit. Et certè, idcirco Sacramenta gratiam conferre dicuntur ex opere operato, quia eam per se se conferunt vi Dominicæ Passionis, non vi suscipientium dispositionis. Non quod dispositiones in suscipientibus esse non debeant, sed quòd illæ ipsæ

non

non sint principium, & mensura productionis Divinæ gratiæ. At desiderium baptismatis vices supplens, unicum principium est, mensura unica productionis Divinæ gratiæ justificantis; imò desiderium nil nisi opus operantis est: Non igitur ex opere operato, sed ex opere operantis gratiam producit hujusmodi desiderium.

Iis de desiderio votoque baptismatis, ejusdem vices supplente, cumulatè probatis, bonoque in lumine positis, alterum inde necessarium consectarium sponte fluit, de quo mihi est in præsentia disserendum; Baptismi scilicet vices, Martyrio perinde suppleri; ac meliori etiam jure, tituloque. Si enim a Regno Cœlorum non excluduntur, qui recta in Deum fide conversi, a desiderato baptismate necessitate aliqua externa impediuntur: quanto magis non secludentur ii, quorum tanta Fides est, Charitas tanta, ut pro Christo etiam mortem oppetant? Idcirco, omni retro ætate in Ecclesia Catholica creditum est, martyrium non modò supplere baptismum, verùm etiam baptismi genus esse, longè præstantius, digniùsque: Uti legere est apud Tertullianum *lib. de baptismo cap.* 16. S. Cyprianum *Epist.* 13. *ad Jubajanum*, & *in præfatione libri de exhortatione baptismatis*, S. Cyrillum Hierosol. *Catechesi* 3. S. Basilium *lib. de Spiritu S. cap.* 16. S. Augustinum *lib.* 13. *de Civitate Dei cap.* 7. & D. Ambrosium *Orat. in obitu Valentiniani Imperatoris*.

Cujus rei ratio duplex est. Quia baptismus aquæ fit in mortem Christi, seu in illius mortis imitationem, juxta illud Apostoli *ad Rom. Quicumque in Christo baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus:* martyres autem Christi Domini mortem, non in figura tantum, sed & veritate referunt, & imitantur; cum Christo scilicet, & pro Christo morientes; adeoque non aqua quidem, sed suo sanguine baptizati dicuntur. Secundò; Quia Christus in Evangelio vitam æternam adpromisit, mortem pro ipso oppetentibus: *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*. Matth. 16. *qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo*: *cap.* 10. idque summo jure; martyrium enim heroicæ charitatis actus est, qua major dari non potest. *Majorem charitatem nemo habet, ut Animam suam ponat quis*. Seu ergo aquæ baptismate antea lustratus sit Martyr, seu illo, necessitate aliqua præpeditus, sit destitutus, oppigneratam fidem falleret Christus, nisi illum in regnum Cœlorum admitteret. Maximè verò, cum martyrium desiderium votumque baptismatis necessariò complectatur. Repugnat enim eum desiderio suscipiendi baptismatis non accendi, Christi lege præcepti, qui pro Christi lege testanda tuendaque, animam ponit.

Nec modo martyrium, aquæ baptismum supplet, sed & plures illius

illius præstat effectus, quàm desiderium. Desiderium enim, ut paulò ante probavi, pœnæ pro delictis, in altera vita subeundæ, debitum minimè tollit; martyrium tollit, ut nulla prorsus in altero sæculo pœna luenda supersit martyri; quamquam vitam sceleribus plenam duxisset ante martyrium. Hinc Ecclesia nusquam pro martyribus, qualescumque illi fuerint ante martyrium, preces fudit: imò, ut loquitur Cyprianus, *injuriam facit martyri, qui orat pro eo*, cui nulla in altera vita reservata est pœna: nimirum ob excellentiam charitatis, martyrii actu importatæ, quæ omne pœnæ debitum solvit.

Quorsum ergo, inquies, D. Cyprianus *Epist.* 54. quæ est ad Cornelium, tam sollicitè monet, ut qui ad martyrium accedunt, prius Ecclesiæ reconcilientur, si aliquo fortè delicto teneantur obstricti? *Nec quisquam dicat, qui martyrium tollit, sanguine suo baptizatur, nec pax illi ab Episcopo necessaria est, habituro gloriæ suæ pacem, & accepturo majorem de Domini dignatione mercedem?* Annon enim reconciliatio illa, minus necessaria videretur, si martyrium culpam omnem abstergeret, pœnamque dimitteret? Quorsum etiam Concilium Tridentinum *sess. de Justif. cap.* 4. decernit, post Evangelii promulgationem, Justificationem hominis sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non posse? Iis quippe verbis locum nullum martyrio dare videtur Sacra Synodus, ut eo etiam justificari possit homo.

Respondeo, D. Cyprianum eam reconciliationem lapsis ad martyrium properantibus, uti maximè congruentem suadere, tum propter præceptum implendum Christi D. tum ad vitandum periculum præsumptionis, tum ut majori gratia muniti fidei pugiles, securiùs ad pugnam accedant. Hinc nonnullos in carcere a sociis martyrii legimus baptizatos, nonnullos etiam ut baptizari possent, ad tempus se se occultantes, quemadmodum de quodam Antonino refert Usuardi Martyrologium 4. Kalendas Septembris. At non sunt hæc absolutè martyribus necessaria: & si qua in iis omittendis negligentia foret, illam etiam negligentiæ culpam subsequens martyrium abstergeret.

Concilium autem Tridentinum, recensito baptismate illiusque voto, nullam pro obtinenda Justificatione martyrii mentionem ingerit, quia de iis obtinendæ justificationis mediis differit, quæ & necessaria sunt, & ad hoc ipsum sunt, seu jure positivo, seu jure veluti naturali, quale profectò martyrium non est. Nec enim ad obtinendam justificationis gratiam martyrium per se necessarium est; nec ad id toleratur, sed ad fidei Christianæ testimonium, quamquam martyrium tolerando, gratia justificationis obtineatur. Addo, Concilium de iis obtinendæ justificationis mediis agere, de qui-

quibus erat cum Lutheranis, & Calvinianis controversia. Calviniani autem etsi de baptismo aquæ, illiusque voto disceptarent, essentne obtinendæ Justificationis media necessaria; nunquam tamen in dubium revocarunt, possetne baptismus aquæ martyrio suppleri; Ut ea de re necesse fuerit, Concilium Tridentinum aliquid definire.

Altera martyrii, supra baptismatis desiderium, prærogativa ista est; quod laudatos effectus præstet, ac suppleat aliquando, non ex opere operantis, sed ex opere operato. Ut videre est in martyrio puerorum, qui aut non circumcisi in veteri testamento, aut non baptizati in novo, in odium fidei occiduntur. Ii quippe tanquam veri martyres ab Ecclesia dignoscuntur; omnique & culpa originali, & pœna eidem debita sunt soluti, atque in Regnum æternum recta perveniunt; quamquam mors ab iisdem tolerata, quæ est opus operantis, in iis meritoria esse non possit; defectu nimirum liberi arbitrii cujus nondum usum habent. Adeoque sola Christi D. passio, quæ opus operatum vulgò dicitur, id totum in iis parvulis martyribus præstat, ex gratuita liberalitate, quo pacto præstat in Sacramento baptismatis.

Nec propterea Sacramentum reputandum est, puerorum illorum martyrium, & si mirandos illos effectus in iis præstet, ex opere operato: quia non est institutum, ut signum aliquod gratiæ collativum; Sed passio quædam, & tollerantia est, cui hoc privilegium contulit Deus, ut quotquot illam pro fide subeunt, sive baptizati, sive non baptizati, nullam patiantur moram, quominùs ad Cœleste Regnum peveniant.

PRÆLECTIO XXIV.

Quandonam facta sit Baptismatis institutio, quæritur.

BAptismum a Christo D. fuisse institutum, uti legis Evangelicæ Sacramentum, nemo tam obductæ frontis extitit, ut negaret. At illud maximè in quæstionem vocare soliti sunt Scholastici Tractatores, quandonam ea facta sit institutio? Num ante Christi Passionem, & Resurrectionem? Quove distinctè tempore, quave occasione vitæ mortalis, aut fortè gloriosæ?

Quod primum interest, ea Alberto Magno, & Alexandro Alensi insedit opinio, nonnisi post Domini Resurrectionem institutum esse baptismatis Sacramentum.

Quibus quoquo pacto præludere visi sunt Tertullianus *lib. de baptismo c.* 11. S. Joannes Chrysostomus *Homil.* 28. *in Joan.* & Theophylactus *in cap.* 3. *Evang.* Contra quos absque cunctatione pronuncio:

Indubitatum omnino est, Sacramentum baptismi fuisse ante passionem institutum. Ita D. Augustinus *Tract.* 13. *&* 15. *In Joannem* & *Epist.* 108. & S. Cyrillus *lib.* 2. *in Joan. cap.* 57.

Hujus meæ sententiæ probationem peto ex Joannis Evangelio *cap.* 3. Ubi Christus dicitur baptizasse, jam ab initio suscepti publici ministerii: *Venit Jesus, & discipuli ejus in terram Judæam, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat:* Non quidem per sese, sed suorum discipulorum ministerio, uti paucis interjectis adnotavit Evangelista: *quamquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus.* Perspectum autem est, Christum, Apostolorum suorum ministerio, Joannis baptisma minimè contulisse; sed suum; atque ita jam tunc institutum erat baptismatis Sacramentum.

Id inquam perspectum dico, quod & multis evinco.

Primò; Si Apostoli jam tunc baptizassent baptismate Joannis, non Christus per eos baptizasse diceretur, sed Joannes, cujus baptismum contulissent.

Secundò; Joannes ipse baptisma suum, ab illo ipso baptismate distinguit apertè, quo Christus (suorum utique discipulorum ministerio) baptizabat, ponitque inter utrumque antithesim: *Ego baptizo in aqua, ille autem in Spiritu S. & igne.* Adeo verum est, Christum suo ipsius, non Joannis baptismate, sub initium suscepti ministerii baptizasse.

Tertiò; Orta est contentio inter Joannis Discipulos, & Christi,

sti, occasione baptismatis ab ipsis jam tunc ministrati: *Discipuli Joannis venerunt ad Joannem, & dixerunt ei; Rabbi qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce baptizat, & omnes veniunt ad eum*. Nulla vero fuisset emulationis caussa, si Christus Joannis baptismate baptizasset, cum & id ad Joannis gloriam & honorem cessisset potius.

Quartò; *Actor*. 19. qui erant in Joannis baptismate baptizati, a Paulo rebaptizari jussi sunt: non ii tamen secundò baptizati leguntur, qui fuerant a Christi discipulis baptizati. Non ergo Joannis baptismate baptizabant: itaque baptismate Christi, quod idcirco jam tunc fuisse institutum oportuit. Confirmat hoc vel maximè, quòd quædam alia Sacramenta a Christo instituta fuisse constet ante Christi D. mortem, ut Eucharistiam, & Ordinem. Ante mortem igitur Baptismum institutum fuisse oportuit meliori titulo, cum & illum cæterorum omnium Sacramentorum januam esse perspectum sit.

Accedit, quod Apostoli Christi baptismate baptizati credantur, antequam Christus Cœnam suam ultimam celebraret, in qua pedes iisdem lavit. Idcirco enim Christus in ea pedum lotione dixit Petro, *qui lotus est non indiget nisi ut pedes lavet*, quia Discipulos baptismate lotos supponebat: ut interpres est Augustinus *Tract*. 5. 15. & 16. *in Joannem*.

His fermè momentis, sat benè retusam arbitror Alberti Magni, & Alexandri Alensis opinationem, de Christi baptismate post Resurrectionis Triumphum duntaxat instituto; Quin ultra necesse sit, in alias Tabellas excurrere, quæ a piis, & religiosis somniatoribus venditantur: a quibus alterum probationis momentum petunt aliqui. Quale profectò illud est, quod in Prato spirituali legere est, Christum D. cum primum salutare prædicationis ministerium cœpit obire, Deiparam Virginem, ac Petrum Apostolorum principem propriis manibus baptizasse. Non eo, ad sui defensionem, commento eget statuta hactenus ac benè probata Theologica veritas. Certè Christum, neminem propriis lustrasse manibus, ex Evangelio liquet, loco jam a me appellato *Joan*. 3. *Quamquam Jesus non baptizabat, sed discipuli ejus*. Liquet ex ipsa Apostolorum agendi ratione, ac disciplina frequentiùs observata. Petrus enim & Paulus vix aliquos propriis manibus baptizabant, sed per subjectos administros; imò baptizantis ministerium, Apostolico ministerio inferiùs reputabant; non utique reputaturi, si illud Christus ipse propriis manibus objisset.

Jam quod Alexander Alensis, & Albertus Magnus, ex Augustini *Tract*. 15. *in Joann*. momentum petunt in sententiæ suæ præsidium, referre, non est operosum. Nimirum de latere Christi Sa-

cramenta fluxiſſe. Si enim Chriſtus poſt habitum ſuæ Reſurrectionis triumphum baptiſma inſtituiſſe, diceretur ex eo, quod ex latere ejus fluxit ſanguis & aqua; conſequens eſſet, Sacramentum etiam Euchariſtiæ poſt ejus mortem inſtitutum fuiſſe; Auguſtinus ergo dum ait eo loci de latere Chriſti omnia Sacramenta fluxiſſe, tantùm ſignificare voluit, omnia Sacramenta vim & efficaciam ſortita fuiſſe ex ſanguine Criſti, cujus ultima effuſio fuit, dum ex ejus latere in Cruce pendulus exivit. Porrò ut hanc vim & efficaciam ſortiantur, non eſt neceſſe, ut dum exivit ex latere ejus ſanguis & aqua, inſtituta fuerint Sacramenta, nam ſanguis effuſus potuit etiam Sacramentis in anteceſſum inſtitutis, vim & efficaciam tribuere.

Scrupulum tantillum videtur poſſe ingerere, quod baptiſmi forma, nondum ante Chriſti Reſurrectionem data eſſet, nondum ſcilicet propalatum Trinitatis myſterium. Pro quo quidem ſcrupulo eximendo prima via a nonnullis Theologis aperitur, qui Apoſtolos ante Chriſti reſurrectionem, cum expreſſa Trinitatis invocatione baptizaſſe diffitentur, ſed in nomine Chriſti. Altera via, eademque melior atque tutior, eſt hujuſmodi: Apoſtolis ſcilicet in privato quidem, Myſterium Trinitatis fuiſſe antea a Chriſto D. etſi nondum in publico, revelatum.

Sed oritur hoc loco quæſtio altera a nobis pariter diluenda, quo diſtinctè tempore, quave ſpeciali occaſione, ante Chriſti D. mortem, ea baptiſmatis inſtitutio facta ſit?

Qua in re, in varias ſententias Theologi abeunt. Alii, in quibus princeps eſt D. Thomas, baptiſmum inſtitutum dicunt a Chriſto D. dum ipſemet a Joanne in Jordane tinctus eſt. Alii in colloquio habito cum Nicodemo *Joann.* 3. in quo baptiſmatis neceſſitatem commendavit. *Niſi qui renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non intrabit in Regnum Cœlorum*.

Potior, meo quidem judicio, eſt D. Thomæ ſententia, quam a Summis Eccleſiæ Patribus mutuatus eſt: D. Ambroſio *lib.* 2. *in Lucam cap. ult.* D. Auguſtino *ſerm.* 36. *de Tempore*, & D. Gregorio Nazianzeno *Orat.* 38. *&* 39.

Neque levis ratio ſuffragatur: Nam & tunc Trinitatis Myſterium in ſigno declaratum eſt; Tuncque regenerandi vim obtinuit aqua ex contactu mundiſſimæ carnis Chriſti.

Illud verò quod de more opponitur, in colloquio cum Nicodemo, Chriſtum baptiſmi neceſſitatem commendaſſe, indignum eſt ut refellatur a nobis. Ecquis enim ſibi fingat, tunc Sacramentum inſtitui, dum illius neceſſitas commendatur? Exemplum ſumi poteſt ex Euchariſtiæ & Pœnitentiæ Sacramentis. Inſtitutio enim Sacramenti non in abdito, ſed in publico fieri debet.

Nec

Nec te moveat, quod alii dictitant; Christum, dum in Jordane tinctus est, baptisma nec instituisse actu exercito, aliquem baptizando; nec actu signato, ut loquuntur, ritum ejus præscribendo. Instituit siquidem in actu signato, materiam conservando formamque subindicando, non aperta quidem declaratione, sed illius exhibito Signo; tribus nempè personis ibidem comparentibus. Concludendum igitur secundum hanc probabiliorem sententiam, institutum fuisse Baptisma Anno 15. Imperii Tiberii Cesaris; ætatis Christi anno circiter trigesimo, & ut communiter existimatur die *6.* Januarii, qua Epiphania in Ecclesia celebratur. Cui videtur innuere S. Maximus *homil.* 1. *de Epiphania. Ferunt enim hodie*, ait ille, *Christum D. nostrum, vel Stella duce a Gentibus adoratum, vel invitatum ad nuptias, aquas in vina vertisse, vel suscepto a Joanne baptismate consecrasse fluenta Jordanis, suumque simul purificasse Baptistam.*

PRÆ-

PRÆLECTIO XXV.

Quando primùm cæperit Baptismus obligare, & quando circumcisio cum cæteris legalibus ritibus obligare desierit.

DE baptismatis obligatione proxima Dissertatione dicturus, quæstiones duo intimè conjunctæ ipso statim in limine sese offerunt expendendæ; quando primùm Baptismus cœperit obligare, & quando circumcisio, cum cæteris legalibus ritibus obligare desierit? Unius enim ortus, alterius abolitio fuit, uti & obligatio legis Evangelicæ obligationem sustulit Mosaicæ legis. Mirum est, quam variæ circa primum & consequenter circa secundum, inter Theologos, obortæ sint opiniones.

Fuere enim verò non pauci, qui sustinuere Baptismum obligare cæpisse, ex quo tempore Christus Nicodemo dixit, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non intrabit in Regnum Cælorum. Joan.* 3. Maximè quia statim post ea prolata verba Apostoli baptizasse referuntur *Joan.* 4.

Alii ex adverso putarunt, Baptismum obligare cæpisse statim atque Christus post resurrectionem Apostolis dixit, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus S.*

Alii tandem quibus maximè standum est, quique modò universim a Theologis acceptantur, fidenter pronunciant, Baptismum non obligasse ante factam sufficientem Evangelii prædicationem.

Probant hoc primò ex natura & conditione legis positivæ, quæ non obligat nisi nota; nec innotescit, nisi sit promulgata. Quomodo igitur ante factam Evangelii prædicationem cœperit Baptismatis obligatio, si postmodum fuerit per Evangelii prædicationem nota & promulgata?

Secundò id probant ex S. Augustino, totum id data opera propugnante *Epist.* 19. *ad S. Hieronymum*, & ex S. Bernardo *Tract. ad Hugonem Victor.* quo ex instituto quempiam tunc temporis primam opinionem defendentem, refellit.

Quare quod dicitur *Joan.* 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non intrabit in Regnum Cælorum*, non denotat obligationem ex tunc impositam hominibus, sed suo tempore, dum videlicet promulgata lex esset imponenda. Primò: quia verba illa in privato sunt dicta. Secundò: quia constat obligationem Mosaicæ legis post ea verba continuasse: tum quia Christus Paschata celebravit servavitque Sabbatha, tum quia leprosos mundatos ad

Sa-

Sacerdotes Sacrificium oblaturos misit, tum quia jussit ut Judæi facerent quæ dicerent, sedentes super Cathedram Moysis.

Neque obest, Apostolos post ea verba baptizasse. Nam baptizabant quidem, baptismum tamen minimè necessarium tunc temporis prædicabant.

Multò minus obest, quod legitur *Matth. ult. Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus S.* Nam tunc lex solummodo lata est atque sancita; at quia satis, ut diximus, non est, legem ferri, nisi etiam promulgatur, consequens est, baptismatis obligationem post factam Evangelii prædicationem cæpisse, cum per hanc tantùm & nota fuerit, & promulgata.

Illud itaque certum indubitatumque, non antea baptismum obligare cæpisse, quam legis Evangelicæ promulgatio fieret.

At illud nunc majori studio quærendum venit: an tunc quoque Mosaicæ legis ritus obligare desierit? quæ altera propositæ controversiæ pars est. Difficultatem creat non modicam, quod Apostoli, quo tempore legem Evangelicam de suscipiendo baptismate Jerosolymis, totaque Judæa prædicabant, legis Mosaicæ ritus benè multos observarent: quod illi minimè facturi fuissent, si jam tunc ritus illi obligare desiissent, dum suscipiendi baptismatis cœperat obligatio. Certè tunc Paulus circuncidit Timotheum *Act. 16.* Idem suadente Jacobo, Judæorum purificationem servavit *Act. 2.* Idem sese Nazareorum more totondit. Petrus etiam & Barnabas ciborum discretionem servabant *ad Galat. 2.*

In hujus gravissimæ difficultatis resolutione dissentiunt inter sese Hieronymus & Augustinus ut liquet ex mutuis illorum *Epistolis* 8. 9. 11. 19. inter Augustinianas.

Hieronymus enim duo duntaxat sub Christo D. tempora distinxit. Primùm quod effluxit ante passionem, in quo cæremoniæ legales nec erant mortuæ, nec mortiferæ; aliud tempus, quod statim Christi mortem secutum est; in quo legales cæremoniæ & mortuæ erant, & mortiferæ. Idcircò respondet, Apostolos post Christi mortem hujusmodi cæremonias utpote mortuas & mortiferas, numquam observasse secundum veritatem; sed per simulationem quamdam piam, ne Judæis scandalo essent: non quod actus hujusmodi verè non facerent, sed quòd non facerent tanquam actus cæremoniales veteris legis. Veluti si quis modò carnem præputii sui circumcideret, non religionis caussa, sed sanitatis, vel ad carnis munditiam, ut Turcæ faciunt, hujusque suæ sententiæ auctores laudat Hieronymus Origenem, Didimum, Apollinarem, aliosque benè multos.

Augustinus e contra, simulationem omnem in materia religionis, Apostolorum pietate ac religione prorsus indignam arbitratus,

tus, aliam ſolvendæ difficultatis viam arripuit. Quare non duo, ſed tria tempora diſtinguenda exiſtimavit. Primum perinde ac Hieronymus poſuit ante Chriſti paſſionem, in quo cæremoniæ Moſaicæ legis nec mortuæ etant nec mortiferæ. Secundum a Chriſti morte ad ſufficientem Evangelii publicationem, in quo legales cæremoniæ mortuæ quidem erant, nondum tamen mortiferæ; Tertium poſt ſufficientem Evangelii publicationem, in quo legales cæremoniæ & mortuæ, & mortiferæ evaſerunt. Quo poſito reponit Auguſtinus, Apoſtolos legales cæremonias medio illo brevi tempore obſervaſſe, quo licet mortuæ eſſent, non erant tamen mortiferæ. Obſervaſſe autem ſecundum veritatem uti legales cæremonias, ſed ut extremum illis honorem deferrent, utque Synagogam cum honore ad tumulum ducerent; non eas tamen obſervaſſe, ut ad ſalutem neceſſarias, utque in eis ſpem ſalutis reponerent, ſuamque ex illis ac per illas juſtificationem obtinerent.

Certè Apoſtolos medio illo brevi tempore legales cæremonias honoris gratia duntaxat, non tamen ex neceſſitate & obligatione obſervaſſe ex multis capitibus liquet.

Primò: Quia Apoſtolus ipſe, qui Timotheum circumcidit, quia ex Matre Judæa natus eſſet, Titum nationem gentilem non circumcidit.

Secundò: Quia Petrus uti legitur *Act.* 15. non eſt paſſus legalia gentilibus imponi.

Tertiò: Quia Jacobus noluit inquietari, & jugo legi ſubjici eos, qui ex gentibus convertuntur ad Deum.

Quartò: Quia Apoſtolus Petrum diſcretionem ciborum ſervantem cum Gentilium offenſione, publicè reprehendit *ad Galatb.* 2. *Si tu cum Judæus ſis gentiliter vivis & non judaicè: quare cogis gentes judaizare.*

Utcumque tamen ſe res habeat, & quamlibet ſeu Hieronymi, ſeu Auguſtini ſententiam ſequi lubeat, objectam de legalibus difficultatem ſolutam habes: ne fortè quis inde colligat, necdum tunc Baptiſmum obligare cæpiſſe, ſi tunc quoque legalia obligabant; Reſpondendum enim, Baptiſmatis obligationem, etiam tunc temporis incæpiſſe, aut quia circumciſio aliæque legales cæremoniæ ab Apoſtolis ſervabantur ſimulatoriè duntaxat, ne Judæis ſcandalo eſſent, ut voluit Hieronymus; aut ad honorem duntaxat ſervabant, ut voluit Auguſtinus. Etſi nondum tamen cæpiſſet Baptiſmatis obligatio, dum ab Apoſtolis ſecundum veritatem legales cæremoniæ ſervabantur, tanquam neceſſariæ ad ſalutem. Quod certè nunquam illi fecerunt, ex quo cœpit Evangelica lex Jeroſolymis publicari.

Repones fortaſſe, Apoſtolos nequidem ad honorem, & ad breve tem-

tempus legalia servare potuisse post Christi passionem, etiam antequam lex Evangelica publicaretur; id, inquam, non potuisse sine gravi mendacio in materia Religionis. Veteris quippe legis Sacramenta umbræ erant futurorum, ut ait Apostolus; Christumque promittebant nasciturum, passurum, resurrecturum, ut habet Augustinus *lib. 19. contra Faustum cap. 16.* quæ tunc certè futura non erant, sed impleta.

D. Thomas in hujusce difficultatis resolutione observat, Christum bifariam dici posse nasci, pati & resurgere, vel secundum rem ipsam, vel secundum publicam æstimationem. Equidem initio Evangelicæ prædicationis, dum jam mortuus erat, mortuus in persona propria reipsa dicebatur, non secundum publicam æstimationem, quia eum & passurum & moriturum ab omnibus putabatur, quia ipsius mortem nesciebant; proindeque mendaces ii ritus minimè dicendi sunt, quia non re, sed secundum æstimationem Christum præfigurabant moriturum.

Præterire hoc loco nefas arbitror ingentem difficultatem, quæ contra Augustinianæ sententiæ principium fieri potest: Si statim a Christi morte legalia sin minus mortifera, at saltem mortua erant, hoc est ad salutem inutilia, peribant ergo Infantes Judæorum, qui Christum venturum bona fide sperabant, in remotis Regionibus extra Judæam ab eo tempore nati, circumcidebantur, & sine baptismo decedebant.

Schotus hoc argumento malè vexatus, respondet, eos fuisse salvatos in fide parentum, quemadmodum in lege naturæ pueri nondum circumcisi morientes sola fide parentum salvabantur, & liberabantur a peccato.

Aliam tamen responsionem affert D. Bernardus *Tract. ad Hugonem Vict.* ea de re consultus, scilicet medio illo tempore, mortua quidem fuisse legalia, non tamen Judæis omnibus, hoc est iis fuisse mortua, quibus novæ legis Evangelicæ instituta innotescere cæperant. Non item aliis, qui legem Evangelicam adhuc inculpabiliter ignorabant; adeoque istorum filiis ad salutem proderat circumcisio; quia illis ac pro illis mortua minimè censebatur.

Nova hic oritur difficultas, de effectibus baptismatis, quæ sicuti intra breve spatium nequit a nobis expediri: idcirco mittimus in sequentem Dissertationem, agitandam.

PRÆLECTIO XXVI.

De Effectibus Baptismatis differitur.

Quandonam, quave distinctè occasione fuerit institutum Baptisma; quo distinctè tempore cœperit obligare, in superiori Dissertatione multis evicimus: Restat nunc ut de ejus effectibus singilatim verba faciamus; ne quid desiderari a nobis possit ad cumulatam Sacramenti Baptismatis elucidationem.

Baptismi itaque effectus quatuor de more distingunt Theologi, ad quos cæteri quoque revocantur. Primò: Plena cujusque peccati remissio. Secundò: Relaxatio pœnæ peccato debitæ. Tertiò: Infusio gratiæ sanctificantis & virtutum. Quartò: Characteris impressio. Regeneratio enim, renovatio, illuminatio, adoptio in filium Dei, jus ad Regnum Cœleste, aliaque id genus, diversa duntaxat nomina sunt, idem planè significantia, quod laudati quatuor effectus, aut certè diversi tituli sunt, qui peccati remissionem, relaxationem pœnæ, infusionem gratiæ consequuntur.

Primò ergo; plenam cujusque peccati remissionem in Baptismo fieri, extra dubium est. *Act.* 2. *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum*; & in Symbolo Nicæno, *confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum*. Quamquam eam remissionem non vera peccati deletione fieri putent Lutherani & Calvinistæ, sed sola non imputatione peccati removentis, quemadmodum in alia quacumque justificatione peccatoris fieri sibi fingunt. Quem errorem in Tractatu de Justificatione confutavimus.

Secundò: Pœnæ cuivis peccato debitæ relaxationem in baptismate etiam fieri, Catholica semper agnovit Ecclesia, quæ idcirco recens baptizatos adultos, si ex hac luce protinus rapiantur, ad cœlestem felicitatem transvolare, nulla in igne purgatorio soluta pœna, sæpius definivit: imò nullas omnino recens baptizatis adultis pœnas subeundas injunxit. Verùm quo tandem modo quove sensu ea pœnæ cujusvis relaxatio fiat, difficillimè explicatur, ac vix a subtilissimis Theologis intelligitur. Constat enim verò moriendi necessitatem, famem, sitim, corporis defatigationem, morbos, aliasque id genus vitæ miserias, & ærumnas, originalis peccati pœnas esse, quæ in statu innocentiæ profectò non erant; quæ tamen perinde suscepto baptismate in hominibus remanent. Quomodo ergo omnis pœnæ originali peccato debitæ relaxatio fit in ba-

baptiſmate? Quod de quatuor plagis ex originali peccato conſecutis dici poteſt.

Eo ut ſeſe nodo exoluant Theologi nonnulli, reponunt, non eſſe illa omnia originalis peccati pœnas, ſed nativam humanæ naturæ conditionem.

At aberrant Theologi illi toto oſtio. Quia etſi fortè talis eſſet nativa conditio, Deus tamen ſingulari gratia, hominem iis omnibus miſeriis immunem condiderat, nec niſi per peccatum primi parentis effectum eſt, ut in eas miſerias homines laberentur.

Quare ea miſſa Theologorum illorum opinatione, Reſpondeo, pœnas originali peccato debitas diſtinguendas eſſe; Aliæ ſunt pœnæ vitæ præſentis, aliæ pœnæ ſunt vitæ futuræ: harum porro poſteriorum pænarum integra relaxatio fit, non priorum, atque hic eſt ſenſus ſecundi effectus baptiſmatis. Hoc innuere videtur D. Auguſtinus *tum in Enchirid. Cap. 66. & lib. 3. contra Julianum cap. 6.* pœnas docens, *propter futurum judicium & propter ſpem futurorum bonorum, non ad retentionem & adeptionem præſentium. Tum in lib. 1. de peccatorum meritis Cap. 20. & lib. 2. Capp. 14. & 15.* docet plenam fieri remiſſionem quatenus *poſt hanc vitam, nihil de regeneratis luendum reſtat.*

Certè præſentis vitæ pœnas, tametſi ex originali peccato conſecutas, removere perinde debere etiam ſuſcepto baptiſmate probat Doctor Angelicus 3. *part. quæſt.* 52. *art.* 5. Primò: quia per baptiſmum renovantur homines ſecundum ſpiritum, non ſecundum carnem, ad quam ſpectant pœnalitates vitæ præſentis. Secundò: quia homo per baptiſmum fit Chriſti membrum, adeoque debet illi ſimilis fieri. Tertiò: quia pœnæ illæ relinquuntur ad agonem & materiam victoriæ.

Si ſic eſt, dices, non ergo per baptiſmum fit perfecta reconciliatio cum Deo, nec ſincera illius eſt amicitia cum regeneratis, ſi in hac vita pœnæ luendæ ſuperſunt hominibus baptizatis.

Huic tamen eliquandæ difficultati ſatis ſit reſpondere, remanere quidem pœnas illas non odio animoque vindictæ, ſed ſtudio purgationis. Idque cauſſæ eſt, cur in baptiſmate adultorum nulla illis imponitur ſatisfactio, ut imponitur in Sacramento Pœnitentiæ; quia pœnæ illæ præſentis vitæ non relinquuntur ad vindictam peccati, ſed ad purgationem & probationem: & id quidem immobili decreto, adeo ut fieri non poſſit præſentium pœnarum commutatio & compenſatio, utſit in pœnis vitæ futuræ.

Nunc ad tertium Baptiſmatis effectum exponendum accedo, infuſionem ſcilicet gratiæ ſanctificantis, atque virtutum. Qua in re non modicam difficultatem Theologi recentiores experiuntur. Quamquam enim exponere facillimum ſit, quo pacto ea gratiæ ſanctifi-

Qq 2 can-

cantis & virtutum Theologicarum infusio in Baptizatis adultis fiat; vix tamen exponi potest, quo pacto ea quoque fiat in parvulis, dum recentes ab utero baptizantur.

Gratia enim sanctificans & virtutes infusæ nonnisi habitus esse possunt, nec enim virtutum actus infundi dicuntur, nec actuum eliciendorum capaces sunt parvuli: vix autem intelligi potest, parvulos baptizatos virtutum habitibus, E. G. habitu fidei donatos esse. Si enim eo habitu instructi atque donati essent, saltem ex quo ad rationis usum perveniunt, fidei actus per sese absque nova institutione edere possent; Cum habitus agendi promptitudinem & facilitatem importent; uti planè vir doctus & habitu scientiæ informatus. Quod tamen videmus esse falsissimum: nisi enim pueri baptizati instituantur, edoceanturque dum adoleverint, nihil credunt; imò nec majorem ad credendum facilitatem habent, quam si numquam baptizati fuissent. Quomodo ergo habitu fidei donati sunt?

Accedit, quod Augustinus, sexcentis admodum locis exponens, quo titulo, quave ratione, pueri baptizati, fideles dicantur, & sint; numquam confugit ad habitum fidei illis infusum, ratione cujus fideles esse dicantur: sed vel illos fideles dici, respondet, fide non quidem propria, sed aliena, gestantium nimirum, afferentium, seu ut loquimur, patrinorum; aut certè fide ipsius Ecclesiæ, cujus membra sunt effecti; vel fideles illos dici propter susceptum fidei Sacramentum, ut videre est *lib.* 1. *de Peccatorum meritis Capp.* 19. & 27. *Serm.* 14. *de verbis Apostoli*, & *Epist.* 23.

Iis aliisque momentis inducti Theologi nonnulli sæculi undecimi censuerunt, parvulis nec infundi gratiam in baptismate, nec virtutes, sed characterem duntaxat illis imprimi, cujus tamen virtute, postquam adoleverint, gratiam atque virtutes consequantur.

Refelluntur hi tamen: Primò, quia sic nec mundarentur ab originali peccato, nec justificarentur ante adultam ætatem. Secundò, quia intelligi nequit, quo pacto character, qui etiam in maximis peccatoribus esse potest, Gratiam sanctificantem & virtutes producere possit in parvulis dum adolescunt. Tertiò, quia & id etiam repugnat experimento: cum pueri illi, nisi de novo doceantur dum adoleverint, nihil credant, quamquam baptismali charactere insigniti supponantur.

Alii tempore Concilii Viennensis censuerunt, remitti quidem illis peccatum originale, sed absque infusione gratiæ & virtutum, per solum Spiritum S. illis inhabitantem, ac vices habituum gerentem.

At ut minus probabilis sententia illa explosa est a Concilio Vien-

Viennensi, ac postmodum ut erronea a Concilio Tridentino *sess. 6. cap. 7. & can. 11. sess. 7. Can. 7.* quia sic non esset in illis vera & formaliter inhærens justitia: nec Spiritus S. vices habitus gerere potest.

Idcirco ad oppositæ difficultatis solutionem dicendum, gratiam sanctificantem, virtutesque parvulis infusas in baptismate, habitus dici, non tamen rigore Philosophico, quasi promptitudinem & facilitatem inducant ad actus eliciendos: sed habitus dici, quod sint qualitates fixæ ac permanentes; quiescentes tamen ac veluti sopitæ, quæ idcircò ad actus prodire non possunt, nisi nova institutione, atque doctrina, novoque Catechismo, dum pueri adoleverint, excitentur.

Augustinus autem alienam duntaxat in pueris baptizatis fidem agnoscens, illis virtute baptismatis applicatam & appropriatam; de fide actuali loquitur, quæ in pueris propria nulla est, sed aliena. Idcirco verò ad fidem habitualem non confugit, ut pueros fideles esse ostendat; Primò; quia ea loquendi formula ætate illa nondum invaluerat. Secundò; quia ordinariè nomine habitus, intelligitur non modò qualitas permanens & quiescens, sed promptitudinem & facilitatem ad agendum inducens. De cætero quantum ad rei veritatem, habitus permanentes justificantes in pueris agnovisse Augustinum, liquet *ex lib. 3. de peccatorum meritis cap. 2.* dum ait: *sicut corpus mortis pueros in Adam generavit peccatores, sic eos vitæ Spiritus, in Christo regenerat fideles.*

Quartum eumque postremum baptismatis effectum attigimus; quem characteris impressionem de more dicunt, cujus potissimum caussa fit, ut baptismus iterari omnino non possit; uti nec alia iterantur Sacramenta, quæ characterem suscipientibus imprimunt.

Quocirca tamen fatendum est bona fide, baptismum nequidem fore iterandum; etsi nullum imprimeret characterem. Adhuc enim aliæ rationes obstarent, quominus ea fieri posset iteratio.

Prima; quia baptismus spiritualis generatio est, unde sicuti nemo potest dupliciter carnaliter generari; ita nequit dupliciter quis spiritualiter generari.

Secunda; quia peccatum Originale, ad quod delendum baptismus est institutus, non iteratur nec potest secundò contrahi; ita neque baptisma ad quod delendum fuit potissimùm institutum iterari unquam poterit.

Tertia; quia baptismus datur ad figuram & imaginem mortis Christi: juxta illud Apostoli *ad Rom. 6. quicumque in Christo Jesu baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus.* Christus autem semel mortuus est.

Jam verò ex quo semel character baptismalis impressus est, quam

quam sacrilega sit Rebaptizatio, non unum alterumve momentum evincit, sed longè multiplex. Evincitur id in primis *ex cap. Rebaptizare dist.* 4. *de consecr. Rebaptizare hæreticum hominem omnino peccatum est; rebaptizare autem catholicum immanissimum scelus est*. Et ex Leone Magno *Epist.* 37. ubi *inexpiabile crimen* dicitur.

Secundò evincitur ex pœnis, quibus castigatur hoc crimen secundum publicas Ecclesiæ leges. Quia excommunicationis & depositionis pœna plectuntur Rebaptizantes *in Concilio* 4. *Lateranensi:* Nempe Græci Schismatici, qui baptizatos a Latinis, rebaptizare præsumpserant.

Tertiò; Quia non modò rebaptizantes, sed & rebaptizati, irregularitatis pœna plectuntur, *cap. qui bis*, & *cap. eos*, *dist.* 4. *de consecr.* & *cap licet*, *extra de baptismo*, *&* *ejus effectibus*.

Quartò; quia qui rebaptizantibus ministerium præstant, si Clerici inferiores sint, ad superiores Ordines provehi prohibentur *cap. ex litterarum*, *extra de Apostatis*.

Quintò; Quia etiam per leges Imperiales pœna capitis plectitur crimen hoc *Tit. ne sanctum baptisma reiteretur in Cod. Justin.*

Notandum tamen, iteratum baptisma minimè censendum esse, cum baptizantur ii, quorum baptismus incertus est: quia non censetur iteratum, quod non præsumitur esse factum: Undè Ecclesiæ Canones eos tantum baptizari jubent, de quorum baptismo dubium est; sic *cap. placuit dist.* 4. *de consecr.* Quando non inveniuntur certissimi testes, *de baptismate parvulorum. cap. si nulla; eodem titulo*, de parvulis qui a parentibus relicti sunt, si nulla extant judicia suscepti *baptismatis*. tandem *cap. cum itaque* & *cap. parvulos*; *eodem titulo*, de parvulis in captivitatem adductis, qui baptismum non reminiscuntur se esse consecutos.

Porro si omnes secundum priscam Ecclesiæ disciplinam absolutè baptizabantur, sine ulla conditione apposita, ut constat ex laudatis canonibus petitis *ex Concilio V. Carthaginensi*. Ex S. Leone Magno, & ex Gregorio III. At nunc sub formula conditionata baptizantur.

Conditionatam hanc baptizandi formulam in casibus dubiis, plerique inductam putant ab Alexandro; propterea quòd sub ejus nomine legatur *cap. de quibus*; *extra de bapt.* At constat esse antiquiorem, & jam a sæculo X. institutam, *ex libro* 5. *capitularium cap.* 184. cujus hæc verba sunt: *de quibus dubium est, utrum sint baptizati, an non, omnimodis absque ullo scrupulo baptizentur; his tamen verbis præmissis: Non te rebaptizo; sed si nondum baptizatus es, baptizo te in nomine Patris, & Filii & Spiritus S.*

Cæterum nisi sit prudens dubium de nullitate baptismatis, quod facta

facta diligenti inquisitione, adhuc maneat; rebaptizationis rei sunt, quicumque etiam sub conditione baptizant; cavere itaque sibi maximè debent Parochi, ne domi ab obstetricibus, aliisve fortè fortuna baptizatos, sub conditione baptizent, nisi præmissa diligenti inquisitione, defectum aliquem ab obstetricibus admissum esse deprehenderint. Nec se conscientia tutos putare debent, quod nonnisi sub conditione baptizent: Nam & hoc ipsum vetitum est tanquam injurium sacramento, ubi non est morale dubium de nullitate baptismatis, ab obstetrice ministrati. Ita S. Carolus Borromæus *Institut. cap. de Bapt.* Concilium Tridentinum, Concilia Gallicana longè multa *16.* sæculo celebrata, Rhemense, Carnotense, Aquense.

Eandem inquisitionem præmittere necesse est in baptismate puerorum expositorum: *Ex Canone* 3. Concilii Londinensis anni 1020. & ex Concilio III. Mediolanensi sub S. Carolo. Aliàs inciditur in crimen rebaptizationis. Eandem præmittere oportet in baptizandis redeuntibus ab hæresibus. Si enim constet, baptismum administrari solitum esse in ea secta ritè ac validè, ne quidem sunt sub conditione rebaptizandi. Uti Pio V. & Conciliis Gallicanis sæculi *16.* Aquensi, Ebroicensi, Rhemensi, Rotomagensi, Turonensi, & Tolosano.

Multò graviùs in Ecclesiæ leges impingunt de non iterando baptismate, imò sacrilegæ rebaptizationis rei sunt multò magis, qui certò & indubitanter baptizatos, secundò baptizant; non illorum quidem gratia ut ipsi regenerationis beneficium accipiant, quod jam supponuntur accepisse; sed in gratiam mortuorum; quia sine baptismate quod optaverant, ex hac vita sublati sunt. Iis scilicet prioribus Ecclesiæ sæculis invaluerat apud hæreticos nonnullos abusus, ut si quis non baptizatus, apud eos moreretur adultus, alterum loco ejus illiusque vice ac pro ipso baptizarent. Quod quidem hoc stratagemate planè comico exequabantur. Mortuum sine baptismate in lectulo reclinabant, & stragulis involvebant: tum alterum benè valentem subtus lectulum occultabant; ac postea ad lectulum accedentes, mortuum, quasi viveret, interrogabant, vellet ne baptizari: is verò qui subtus lectulum latitabat, respondebat velle se omnino baptizari: ac tum demum illum ipsum vice mortui ac pro mortuo baptizabant: eoque ipso baptismate baptizatum regeneratumque spiritualiter mortuum existimabant: factum verè comicum refert Theophilactus *in Comment. ad caput* 15. *Epist.* 1. *ad Corinth.*

Insanum illum errorem, ineptumque vivos pro mortuis baptizandi morem Marcionitis tribuunt Tertullianus *lib.* 5. *contra Marcionem*, S. Joannes Chrysostomus *Homil.* 4. *in Epist.* 1. *ad Corinth.*

Theo-

Theophylactus & Hilarius Diaconus. Eumdem Cerinthianis tribuit S. Epiphanius.

Quotquot eo insano laborabant errore, Apostoli Oraculo nitebantur perperam intellecto. 1. *Cor.* 15. *Quid facient hi, qui baptizabantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Ut quid baptizantur pro illis?* Quasi tot inter momenta quibus Apostolus probat eo loci futuram mortuorum resurectionem, hoc etiam urgeret: Multi baptizantur pro mortuis, ut & ipsi vel hoc pacto spiritualis regenerationis beneficium accipiant: at frustra id fieret, si mortui non resurgerent: igitur mortui pro certo resurgunt. Ex qua Apostoli argumentandi ratione Marcionitæ & Montanistæ colligebant, probari ab Apostolo baptisma pro mortuis aliquando susceptum.

At quis non videat, quam ineptè id ex Apostoli argumentatione colligerent Marcionitæ & Montanistæ; etsi baptisma pro mortuis susceptum, ex quo argumentum delibavit Apostolus, illud esse fateremur, quod illi stultè & inaniter frequentabant. Argumentum enim Apostoli, esset tantum argumentum, ut Dialectici loquuntur ad hominem; ex falso nempe principio petitum, sed ab Adversariis admisso atque probato. Cum enim jam tunc Apostoli ætate, Cerinthiani ex inferis erupissent, qui & futuram hominum resurrectionem negabant, & vivos quandoque pro mortuis baptizabant: potuit maximè Divinus Apostolus, alterum illorum errorem ex altero impugnare; errorem inquam negatæ futuræ resurrectionis, ex errore collati baptismatis pro mortuis.

Quamquam nihil est cur ista moremur, ad momentum illud penitus enervandum, quod ex obscuro illo & ancipiti Apostoli Oraculo delibatur; in quo, si rem totam penitus perpendamus, hypothesim spectat Apostolus toto Cœlo diversam.

Quid etenim illud est, quod ait Apostolus, *Baptizari pro mortuis?* Undè & ipse Argumentum petit ad probandam futuram mortuorum resurrectionem? Geminam explicationem proferunt Ecclesiæ Patres.

Prima est S. Joannis Chrysostomi, Theodoreti, Theophilacti, *Baptizari pro mortuis*, est baptizari in extremo mortis periculo; adeo ut baptismus non sit valiturus nisi pro mortuo suscipiente, seu pro statu futuro post mortem. Ex quo evenit ut primis Ecclesiæ sæculis nonnulli fideles fuerint, qui cum audissent, baptisma tollere omnem pœnam, usque ad extremum suæ vitæ periodum procrastinare baptisma soliti erant, ut ab omni purgatorii pœna liberarentur, & hi *Clinici* vocabantur, quia cubantes in lectulo baptizabantur: Hi ergo dicebantur baptizari pro mortuis, hoc est pro semetipsis, pro eo nempe statu, in quo inter

ter mortuos venturi erant, non pro statu vitæ suæ præsentis.

Altera expositio: *Baptizari pro mortuis* idest affligi, cruciari pro illis, & satisfactoria opera ad illorum expiationem offerre, pœnas pro illis ferre ac sustinere: quod certè inutile esset, si mortui non resurgerent. Baptismus enim pro afflictione, pœnitentia, dolore, passione, cruciatu in Scripturis sæpius accipitur. *Marci* 10. *Calicem autem, quem ego bibo, bibetis: & baptismo, quo baptizor, baptizabimini*. Quin etiam Pœnitentia *baptismus laboriosus* a SS. Patribus appellatur.

Ex quibus omnibus illud certò consequitur, nihil ad præsens institutum valere jactatum illud Apostoli dictum: *Quid facient hi qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Ut quid baptizantur pro illis?* Neminique licere Baptismatis Sacramentum secundò suscipere etiam pro altero quocumque seu mortuo, seu etiam vivo: atque ita iterari nulla omnino ratione posse, ob id maximè, quod characterem indelebilem suscipientibus imprimat.

PRÆLECTIO XXVII.

Susceptores seu Patrinos in baptismo, quo distinctè tempore, & quot adhibere consuevit Ecclesia; quave de caussa variæ personæ ab eo officio obeundo per sacros Canones arceantur.

QUos ex recenti loquendi formula Patrinos hodie dicimus in sacri Baptismatis administratione, hos gestantes, offerentes, susceptores, sponsores, seu fideijussores, veteres nuncuparunt: Gestantes, inquam, & offerentes, quià pueros baptizandos gestabant manibus, & Sacerdotibus offerebant: Susceptores, quia baptizatos ex sacro fonte, in quo fuerant immersi, suscipiebant; Sponsores, seu fideijussores, quia puerorum vice ac nomine fidei professionem emittebant, & abrenunciationes Diabolo, mundo, & omnibus pompis ejus, edebant. Nunc verò Patrinos & Compatres de more dicimus; Patrinos inquam; quia Patres Spirituales baptizatorum evadunt; Compatres verò, quia Patris dignitatem cum baptizatorum genitoribus partiuntur.

Ecclesiæ consuetudinem de adhibendis in baptismate Patrinis seu susceptoribus ab ipsis Apostolorum temporibus aliqui repetunt, sed futili prorsus ac planè nullo fundamento; authoritate scilicet libri *de Ecclesiastica Hierarchia cap.* 7.

Dicerem veriùs consuetudinem illam invaluisse cadente secundo Ecclesiæ sæculo. Quandoquidem Tertullianus *lib. de baptismate cap.* 18. hæc habet. *Quid necesse est sponsores etiam periculo ingerere?* Nimirum ut probet, parvulos ante adultam ætatem baptizandos non esse. Florebat verò maximè consuetudo illa sæculo quarto cadente, & quinto ineunte, ut liquet ex D. Augustino *Epist.* 13. *ad Bonifacium*.

Hujus ritus instituendi rationem insinuat D. Thomas 3. *part. quæst. 67. art.* 7.

Undè potissimum patrinorum officium est, pueros illos spiritualiter enutrire, educare, docere quæ fidei sunt & Religionis. Qua de caussa variæ personæ, ab eo officio obeundo per sacros Canones arcentur.

Primò: Arcentur Monachi *Can. non licet dist.* 4. *de consecr.* cujus ratio est solitaria vita, quam ducunt; aliam etiam rationem adducit *Canon Monachi*, *eadem distinctione*, ne scilicet Monachi osculentur fœminas: ex quo intelligimus, in more olim positum fuisse, ut pueri patrinus matri puerperæ osculum defigeret.

Se-

Secundò: Arceantur quicumque Regulares, ex Conciliis Rhemensi, Aquensi, Matisconensi, Bituricensi, sæculo 16. celebratis.

Tertiò: Arceantur Parochi in propriis Parochiis, Episcopi in suis Diæcesibus ex Institutione S. Caroli Borromæi, & ex Conciliis Rhemensi & Aquensi. Ratio est, quia susceptores sunt veluti inferiores actores & supplices in baptismate; quæ tamen disciplina vix alicubi observatur.

Quartò: Arceantur ex Institutione S. Caroli, ex Conciliis Bituricense & Aquense, & ex Rituale Romano, qui Sacramentum Confirmationis non susceperunt; item ex eadem S. Caroli institutione arceantur peregrini, hospites ignoti, quique remotum habent domicilium.

Sextò: Hæretici, Excommunicati, Interdicti, publici criminis rei, infames; ex Sanctione Concilii Mediolanensis, aliorumque Conciliorum decimo sexto sæculo celebratorum.

Septimò: Pater & Mater ipsiusmet baptizandi. *Cap. dictum est caussa* 30. *& Cap. Si Vir; extra de cognatione spirituali*. Ratio est, quia alius debet esse Pater Spiritualis a Carnali.

Si quis hic fortasse quæreret, quot susceptores in collatione baptismatis requirantur. Respondeo duo ut summè in quocumque baptismate, masculum & fœminam esse posse: unicum etiam sufficere ex sanctione Concilii Tridentini *Sess.* 24. *de Refor. Matrim. Cap.* 2. ne multiplicentur cognationes spirituales, & confusionem pariant in contrahendis matrimoniis.

Ex susceptione enim baptizatorum seu ex officio Patrini, non secus ac ex collatione Baptismatis, contrahitur cognatio spiritualis, quæ matrimonium impedit contrahendum, & dirimit contractum, si susceptio præcesserit matrimonium. Idque, seu susceptio privatim facta fuerit, & casu necessitatis urgente, seu publicè & solemniter.

Cognatio illa spiritualis ad eos omnes gradus olim protendebatur, ad quos protenditur cognatio carnalis. At ex nova Concilii Tridentini disciplina *Sess.* 24. *de Reformat. Matrim. Cap.* 2. ad solum Baptizatum illiusque Patrem ac Matrem contracta est. Quare nil movere debet, quod D. Thomas *quæst.* 56. *suppl. Art.* 4. *&* 5. docuerit, cognationem spiritualem transire a viro in uxorem carnaliter cognitam ante compaternitatem; imò & transire in filios carnales Patris spiritualis. Sic enim ferebat illius ætatis disciplina, quæ modò variata est; & hoc, ne multiplicatis gradibus cognationis, oriatur confusio in matrimoniis.

Ea porro cognatio spiritualis ab iis duntaxat susceptoribus contrahitur; Primò: Qui pro se & proprio nomine eo officio defun-

 gun-

guntur; non qui procuratores sunt aliorum. Secundò: Qui eo funguntur officio in ipsius baptismatis collatione, non in cæremoniarum supplemento faciendo.

Cæterum quia contingit aliquando, Patrem proprium filium e Sacro Fonte suscipere, aut etiam eundem baptizare, a Theologis Jurisque peritis inquiri solet, an tunc cognationem spiritualem contrahat cum uxore sua, quæ usum matrimonii illis impediat. Et quidem videtur quod sic: Susceptor enim, ut diximus, cognationem contrahit cum Patre & Matre baptizati: Mater autem baptizati eo in casu, uxor est ipsius met suscipientis, aut baptizantis; susceptor igitur seu baptizator contrahit tunc cognationem spiritualem cum uxore sua: ex quo autem cognatio spiritualis contracta est, copula citra incestum haberi non posse videtur.

Sacri tamen Canones hoc in casu distingunt: vel enim id evenit in casu extremæ necessitatis, ubi non suppetit alius aut susceptor aut baptizator, & tunc aut non contrahitur cognatio spiritualis, aut si qua contrahitur, usum Matrimonii nullatenus impedit. Ita planè decernitur *Cap. ad limina caussa* 30. quod est Responsum Joannis VIII. Lemoniensi Episcopo datum; aut id evenit extra casum necessitatis, idque scienter, & tunc contrahitur cognatio spiritualis, qua fit ut susceptor aut baptizator ob culpam scienter admissam, conjugale debitum ab uxore petere nequeat; quamquam tamen uxori petenti reddere debeat; quia æquum non est, ut uxor ex culpa mariti, qui temerè suscepit aut baptizavit filium, reportet incommodum; Ita D. Thomas *supplem. Art.* 1. aut demum id evenit extra casum necessitatis, sed ignoranter ignorantia juris; aut etiam quod pejus esset ex malitia utriusque, ut conjugii usus hac arte impediatur; & tunc mutuus matrimonii usus nullatenus impeditur. Ita Alexander III. *Cap. si vir, extra de cognatione spirituali*: *Quia* ut ait Pontifex: *si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur: si ex malitia, eis fraus non debet patrocinari vel dolus*. Quare utroque illo casu nulla ab iis contrahitur affinitas; quæ Matrimonii usum impediat.

Ad præsentis quæstionis coronidem quæret ex me fortassis aliquis, num ea baptismata, quæ extra Ecclesiam, aut etiam intra Ecclesiam, privatim ac sine solemnitatibus conferuntur, ea ipsa sine susceptoribus & offerentibus ministrata censeri debeant, propterea quòd nulli illic appareant & offerentes & susceptores? Fuit hac ipsa in Urbe ante menses aliquot, proletarius nescio quis Theologaster; qui ita perfractè contenderit, vulgata misera scriptiuncula sub ementito nomine publicata. Verùm longè aliter statuit Augustinus *Epist.* 23. *ad Bonifacium*. Ubi Ecclesiam ipsam pue-

pueros illos ad baptiſmum offerre, e ſacro fonte ſuſcipere, fidemque pro illis profiteri docet; atque ita ſuſceptorum & patrinorum munus obire. Imo contendit SS. Doctor, in quocumque baptiſmate ſolemniter miniſtrato, homines eo munere defunctos, non ſuo, ſed ipſius Eccleſiæ nomine defungi; adeo ut illos veriùs Eccleſia offerat atque ſuſcipiat, quam vel ipſi patrini, ſuſceptores & offerentes. *Offeruntur*, inquit Auguſtinus, *ad percipiendam ſpiritualem gratiam, non tam ab eis, quorum geſtantur manibus, quam ab univerſa ſocietate ſanctorum, atque fidelium; ab omnibus namque offerri rectè intelliguntur, quibus placet quod offerantur; & quorum ſancta & individua charitate, ad communionem ſancti Spiritus adunantur. Tota ergo mater Eccleſia, quæ in ſanctis eſt, pueros geſtat & offert, quia tota omnes, tota ſingulos parit.*

PRÆ-

PRÆLECTIO XXVIII.

Rationes, quæ Ecclesiam induxerunt ad baptismum certis cæremoniis conferendum, exponuntur.

Quæ rationes Ecclesiam adduxerint ad baptismum certis cæremoniis conferendum, paucis aperit Concilii Tridentini Catechismus *cap. de Sanctis* §. 18. Primùm quidem, ad majorem illi venerationem conciliandam; tum ad illius effectus apertiùs declarandos; demum ad fidelium mentem in spiritualium rerum contemplationem erigendam, fidemque & Charitatem magis ac magis excitandam, ut sileam ceremoniarum illarum aliquas, effectus etiam peculiares in suscipientibus edere, non quidem ex opere operato, (id enim Sacramentorum est proprium) sed ex opere operantis, seu ex fide & pietate ipsius Ecclesiæ.

Triplicis generis cæremoniæ distinguntur; aliæ quidem baptismum præcedentes, aliæ comitantes, aliæ subsequentes: de quibus per ordinem differemus ad illarum mysticam significationem, & antiquitatem in Ecclesia Catholica retegendam.

Cæremoniæ baptismum præcedentes sunt novem. Prima: Aquæ baptismalis consecratio. Secunda: Mora baptizati ante fores Ecclesiæ. Tertia: Nominis impositio. Quarta: Catechismus. Quinta: Exorcismus. Sexta: frontis aliarumque partium obsignatio. Septima: Manum impositio. Octava: Salis degustatio. Nona: Salivæ ad nares & aures delibutio. Quæ omnia in Rituali Romano servanda præcipiuntur.

Primò itaque, aqua, qua baptizandus est homo, tantilla Chrismatis admixtione veluti consecratur, ut denotetur, aquam regenerandi vim a se ipsa non habere, sed ex contactu mundissimæ carnis Christi, dum in Jordane lustratus est a Joanne. Cæremoniam hanc, jam a tertio Christiani nominis sæculo in Ecclesia obtinuisse certum est; cum illius meminerint D. Cyprianus *Epist.* 7. & S. Basilius Magnus *lib. de Spiritu S. cap.* 27.

Secundò, ante fores Ecclesiæ aliquandiù moratur baptizandus, antequam in eam inducatur, ut significetur indignum illum esse, qui more fidelium Ecclesiam ingrediatur. Hujus cæremoniæ vestigium nullum in veteri memoria reperire mihi contigit; reperiet fortassis, qui in ejus lectione magis versatus erit.

Tertiò, fit nominis impositio, qua significatur baptizandum Christi servituti addici: Nominis enim impositio, Dominii signum est.

Undè

Undè cum Deus vellet ostendere Adamum omnium animantium Dominum esse constitutum, eadem illa ad ipsum adduxit, *ut videret quid vocaret ea*. *Gen.* 2. qua in re dissimulare non possum, gravem abusum in Italiam potissimum irrepsisse, quod prophana sæpiùs nomina in Baptismate imponantur; Æneæ, Dianæ, Hectoris, Annibalis, Scipionis, Herculis, Lucretiæ; cum sit id a sacris Conciliis maximè vetitum; præsertim Aquensi, Bituricensi, Burdegalensi, Rhemensi. Quid? quod nec satis probentur a Conciliis nomina Justorum veteris Testamenti?

Quartò, sequitur Catechismus, seu doctrina fidei, quæ paucis verbis a Sacerdote proponitur: ut noverit baptizandus, quid sit illi in Ecclesia Catholica profitendum. Hujus cæremoniæ ratio petitur ex Christi mandato, *Matth.* 28. *docete omnes gentes baptizantes eos &c.* idcirco doctrina baptismo præmittitur. Meminit hujus cæremoniæ D. Augustinus *lib. de fide & Operibus Capp. 6. & 9.*

Quinto loco, fit Exorcismus, ut ex anima baptizati immundus spiritus abigatur, detque locum Spiritui S. advenienti. Fit autem hujusmodi exorcismus, non modò verbis execratoriis, verùm etiam insufflationibus in contemptum & irrisionem Diaboli. Quamquam tamen ritus illius effectus integer non obtinetur, nisi virtute baptismatis. Exorcismo enim reprimitur Diabolus, sed baptismo prorsus opprimitur & fugatur. Ritum hunc jam a secundo Ecclesiæ sæculo observari cœpisse, liquet ex Tertulliano *lib. de Idololatria*, & D. Cypriano *Epist.* 76.

Sextò, Crucis signo obsignantur frons, oculi, pectus, aures, & humeri baptizandi. Frons, inquam, ut discat Christum non erubescere; oculi, ut præparentur ad videndam claritatem Dei; pectus, ut toto corde credat in eum; aures ut audiant verbum Veritatis; humeri, ut libenter tollant jugum ejus. Ritus hujus mentionem ingerit D. Basilius *lib. de Spiritu S. c.* 28. undè discimus, jam obtinuisse tertio Ecclesiæ sæculo.

Septimò loco succedit manuum impositio capiti baptizandi; qua significatur, eum Deo victimam esse. Hujus meminit D. Augustinus *lib. de peccat meritis cap.* 26.

Octavò, sal degustandum baptizato porrigitur, tanquam condimentum sapientiæ, ut careat fœtore iniquitatis, & ne corrumpatur a vermibus peccatorum; ut habet Rabanus Maurus *lib.* 1. *de Institutione Clericorum cap.* 27. Et *cap. ex hinc dist.* 4. *de consecratione*. Invaluerat jam tertio sæculo ritus ille, cujus meminit Origenes *homil. 6. in Ezech.* & D. Augustinus *lib.* 1. *confess. cap.* 11.

Nonò: nares & aures baptizandi saliva liniuntur, ad Christi D. exemplum, qui illita saliva cæcum natum curavit: ut nimirum bapti-

baptizandi nares aperiantur ad percipiendum virtutum odorem: ipseque bonus Christi odor fiat, ut loquitur Apostolus; utque aures ad percipienda Dei mandata aperiantur. Meminit ritus hujus D. Ambrosius *lib.* 5. *de sanctis cap.* 2. Atque hæc de cæremoniis baptismum præcedentibus.

Cæremoniæ baptismum comitantes quatuor sunt. Prima: Abrenunciatio. Secunda: Sacri olei inunctio. Tertia: Fidei professio; Quarta. Inquisitio voluntatis baptizandi.

Baptizandum igitur ad sacrum fontem perductum, ter Sacerdos interrogat, an abrenunciet Satanæ, & omnibus pompis ejus? Cui vel ipse, si sit adultus, vel Patrinus, si adultus non est, respondet *Abrenuncio*. Quia qui Christo consecrandus est, Diabolo debet abrenunciare. Nemo enim potest duobus Dominis servire. Ritum hunc utpote perantiquum celebrant Tertullianus *lib. de Corona militis cap.* 3. & *lib. de spectac.* 24. S. Basilius *lib. de Spir. S. cap.* 28. S. Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi Mystagogica* 1. S. Joannes Chrysostomus *homil.* 21. *ad populum Antiochenum*. S. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 40. & S. Augustinus sæpenumero.

Post hæc, oleo sacro baptizandus inungitur ad pectus & scapulas ad instar Athletarum ad pugnam procedentium: ut noverit bonum illi certamen esse certandum contra Diabolum, cui jam abrenunciavit. Commendant cæremoniam illam S. Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi Mystag.* 2. & S. Ambrosius *lib.* 2. *de sanctis cap.* 2.

Tum fidei professionem edit baptizandus, seu de Articulis symboli sigillatim interrogatus, respondet ad quemlibet, *Credo*, si sit adultus, aliàs ejus vice respondet Patrinus; fundatur ritus ille in verbis Christi *Marci ult. Qui crediderit & baptizatus fuerit &c.* de hoc ritu agunt S. Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi* 1. & S. Ambrosius *lib. de Initiandis cap.* 5. S. Augustinus *lib.* 8. *confess. c.* 2.

Demum, cum jam baptismus conferendus est, interrogatur baptizandus *vis baptizari?* Quo respondente *Volo*, subjungit Sacerdos aquam infundens *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Idcirco porro in antecessum interrogatur, an velit; quia Deus neminem nisi volentem Militiæ suæ adscribi patitur, ut exponit Catechismus Concilii Tridentini.

Cæremoniæ baptismum subsequentes sunt tres. Crismatis inunctio, albæ vestis impositio, ardentis cerei traditio.

Collato ergo baptismate, Sacerdos summum Baptizati verticem Chrismate inungit; Quæ quidem cæremonia non modo mysticam habet significationem, descensum scilicet Spiritus S. in baptizatum; verùm etiam proprium effectum, *conservationem scilicet gratiæ baptismalis*, ut loquitur D. Thomas. Hanc a S. Sylvestro fuisse institutam, vulgò creditur, idque testantur plerique Scriptores octavi ac noni sæcu-

sæculi. Utcumque sit, fuisse illam perantiquam, ex eo liquet, quod celebretur a D. Ambrosio *lib. de Sacramentis cap.* 1. & Innocentio I. *Epist.* 1. *ad Decentium*.

Subinde veste Alba induitur baptizatus adultus; pueruli verò, si veste indui nequeant, albo sudariolo, quod Chrismale vulgò dicitur, obteguntur in signum recuperatæ per baptismum innocentiæ. Hujus cæremoniæ meminere S. Ambrosius *lib. de Initiandis*, & & S. Augustinus *serm.* 81. *de Diversis*. Olim quotquot adulti Catechumeni Sabbato Sancto fuerant solemniter baptizati; (is etenim dies ad id maximè destinatus erat) per totam hebdomadam Paschatis albis vestibus utebantur usque ad diem octavam, qua sanctis sacrificiis albo illo habitu induti, aderant. Hinc *Dominica in Albis* dicta est.

Postremò, Cereus ardens baptizato, seu Patrinis illum tenentibus in manus traditur. Quo significatur baptizatos implere debere toto vitæ decursu, quod ait Christus *Matth.* 5. *Sic luceat lux vestra &c* Et quod habet Apostolus *ad Ephes.* 5. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino &c.*

Iis omnino cæremoniis numero sexdecim, confertur in Ecclesia Catholica baptismatis Sacramentum, quoties solemniter ministratur. Quia verò contingit aliquando baptismum privatim absque hujusmodi cæremoniis ministrari, vel imminente mortis periculo, vel errore aliquo ministrorum, vel ex caussa honesta, ut filiis Principum evenire solet; has subinde cæremonias suppleri ac resarciri mandat Ecclesia. Idque multiplici de caussa: Primò; ut servetur uniformitas in baptismo. Secundò; Ne Sacramentum sua careat solemnitate. Tertiò; ut hoc pacto significet Ecclesia, se ratum habere baptisma illud, a fœmina forte, aut viro laico in necessitate ministratum. Quartò; ut baptizatus habeat deputatum sibi publicè susceptorem.

Difficultatem duntaxat aliquam movere possunt cæremoniæ baptismum præcedentes; quomodo possint illæ collato in baptismo adhiberi atque suppleri; sic enim non præcedent baptismum, sed subsequentur. Verùm nec illarum cæremoniarum essentia postulat, ut baptismo præmittantur. Præmittuntur ergo, ubi totus & integer ritus solito more peragitur; subsequuntur verò per accidens, ubi baptisma casu aliquo præmissum est. Unicum est, quod ea in occasione præcaveri debet in exorcismo faciendo. Immutanda scilicet verba sunt, ut admonet Rituale Romanum Pauli V. Cum enim administrato jam sacro baptismo, malignus spiritus depulsus fugatusque censeatur, compellandus non est, ut exeat de famulo Dei, detque locum Christo Domino, ut habet solita formula; sed ne ad famulum Dei deinceps redeat, neve illi noceat progressu temporis.

Erga eos verò, qui ſine cæremoniis, in ſecta aliqua ſunt baptizati, (quales profectò ſunt Calviniſtæ) non una eademque in tota Eccleſia Catholica diſciplina eſt. Suppleri in illis baptiſmatis cæremonias, ſi ad veram Eccleſiam redierint, jubet Rituale Romanum, *niſi rationabili de cauſſa aliter Epiſcopo videatur*. In Eccleſia Gallicana non ſupplentur; ſed cum ſola manuum impoſitione reconciliatoria Calviniani recipiuntur.

VIN-

N O T A.

NE miretur fortaſſe quiſpiam, ſi in hoc quarto Volumine Opuſculum cui titulus eſt Vindiciæ Vindiciarum Ambroſii Catharini *tertiæ Editionis interſeratur, Lectorem monitum volo, idcirco nos, novo prælo ſubjicere decreviſſe, tum quod id neceſſitas materiæ, de qua hic agitur, poſtulabat, tum quod, in revolvendis Authoris manuſcriptis, nonnullæ etiam manuſcriptæ pagellæ adinventæ ſunt ad id operis applicandæ.*

VINDICIÆ VINDICIARUM
AMBROSII CATHARINI:
SEU
DE NECESSARIA
IN PERFICIENDIS
SACRAMENTIS
INTENTIONE,
THEOLOGICA DISSERTATIO

Contra Domesticum Impugnatorem, vindicata, defensa, confirmata, magnaque rerum accessione novissimè, aucta & illustrata

A F. JACOBO HYACINTHO SERRY

Ord. Præd. Doctore Sorbonico,

Et in Academia Patavina primario Sacræ Theologiæ Professore.

Ss 2

F A C U L T A S

Reverendiſſimi Patris Magiſtri Generalis Ordinis Prædicatorum.

CUm, uti nobis exponitur, Reverendus Pater Magiſter Frater Jacobus Hyacinthus Serry Sacræ Theologiæ Doctor, & in Academia Patavina primarius Sacræ Theologiæ Profeſſor Opus compoſuerit, cui titulus eſt, *Vindiciæ vindiciarum Ambroſii Catharini, ſeu de neceſſaria in perficiendis Sacramentis intentione, Theologica diſſertatio &c.* illudque prælo ſubjicere deſideret: Nos harum ſerie, Noſtrique officii authoritate, quantum in Nobis eſt, & ſervatis alias de jure ſervandis, paternè indulgemus: dummodo ab admodum Reverendis Patribus, ac Magiſtris, Fratre Dominico Donato Savoldelli, Priore Conventus SS. Joannis, & Pauli Venetiarum, & Fratre Antonio Mariano Camerino, Priore Conventus S. Auguſtini Patavii, Provinciæ noſtræ S. Dominici Venetiarum, luce dignum judicetur, eorumque cenſoriis in ſcriptis calculo approbetur. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Datum Romæ in Conventu noſtro S. Mariæ ſuper Minervam, die 26. Auguſti anni 1730.

F. Thomas Ripoll Magiſter Ordinis.

Regiſt. fol. 2.

F. Cajetanus Benitez de Lugo Mag. & Socius.

A P-

APPROBATIO

Theologorum Ordinis Prædicatorum.

A Reverendiſſimo Patre Magiſtro Generali Ordinis noſtri ſpecialiter deputati ad examen libri, cui titulus eſt, *Vindiciæ vindiciarum Ambroſii Catharini: ſeu de neceſſaria in perficiendis Sacramentis intentione, Theologica Diſſertatio &c.* Editi ab Admodum R. P. Magiſtro F. Jacobo Hyacintho Serry primario in Academia Patavina Sac. Theologiæ Profeſſore; in eam curam diligenter intendimus, omnemque dedimus operam, ut demandato nobis munere integra fide defungeremur. Omnibus itaque ad examen vocatis, ritèque perpenſis, atque libratis, nihil in hacce Theologica Diſſertatione deprehendimus, quod aut fidei Catholicæ, aut bonis moribus, aut Angelicæ D. Thomæ Doctrinæ fraudi poſſit eſſe. Imò obſervavimus longè multa eleganter, & eruditè pertractata, quæ Authoris doctiſſimi famam, tot jam publicatis operibus benè partam egregiè ſuſtineant: dum Ambroſii Catharini ſyſtema, de neceſſaria in perficiendis Sacramentis intentione, fuſiori, ac validiori ſcriptione defendit; & domeſticum adverſarium, qui priori ſcripto contradicere, ac refragari aggreſſus eſt, pari modeſtia, & eruditione refellit. Quapropter Diſſertationem hanc publica luce digniſſimam judicamus.

Datum Venetiis in Conventu noſtro SS. Joannis, & Pauli die 2. Octobris anni 1730.

F. Dominicus Donatus Savoldelli S. T. M. Exprovincialis, & Prior Conventus SS. Joannis, & Pauli.

F. Marianus Antonius Camerinus S. T. M. Exprovincialis, & Prior Conventus S. Auguſtini de Patavio.

L E-

LECTORI BENEVOLO

Author ſcripti hujus cauſſam exponit.

QUartus annus eſt, ex quo adornatas a me Ambroſii Catharini vindicias, *de neceſſaria in perficiendis Sacramentis intentione*, publici juris feci. Quo ſenſu in literaria Republica excepta ſit Opella hæc noſtra, ab aliis dici malim, quam ſi quid laudis ad me rediit, ſuperbè illud ambitioſèque jactare; ne cui fortaſſe videar laureolam in muſtaceo quæſiiſſe. Utcumque tamen hæc mihi ceſſerit alea, ut ſuus eſt cuique ſenſus, in quo liceat abundare, domi, ac in ipſa etiam familia noſtra mihi ſuſcitatus eſt adverſarius, qui contradicere, ac refragari aggreſſus eſt, vulgato ante menſes aliquot libello haud ita tenui, cui ſplendidus titulus eſt, totius ſacræ eruditionis ſupellectilem lectoribus ſpondens: *Diſſertatio Theologica, Hiſtorica, Dogmatica, Scholaſtica, Moralis, de intentione in Sacramentorum Miniſtro neceſſaria. Authore F. Lamberto Gaud Valreaſcenſi, Ordinis Prædicatorum, in Avenionenſi Academia Doctore aggregato, necnon perpetuo in Cathedra Sancti Thomæ moralis Theologiæ profeſſore.*

Eo in opere etſi Theologos omnes refellere aggrediatur, qui ætate hac noſtra Ambroſii Catharini ſententiæ patrocinium ſuſcepere, in me potiſſimùm ſtilum exercet; quod iſtud argumenti genus ceteris omnibus latiùs pertractarim: ut & hac arte de me creſceret, & in mei confutatione, altioris eruditionis, atque doctrinæ famam colligeret. Quamquam iis interdum me ornet laudibus, in quibus me non agnoſco; imò pereat mihi frons, ſi memet in iis agnoſcerem.

Ne itaque quam dudum accepi cauſſam, tam bonam probatamque bonis, tamque a juris auxiliis munitam, domeſtico adverſario, turpi, & intempeſtivo ſilentio tradere videar, adornatarum antea Vindiciarum Vindicias, ac defenſionem inſtituam. Quod ut via, & ordine fiat, Iſraelitarum dirutos Jeroſolymæ muros ſoluta captivitate inſtaurantium artem, atque induſtriam æmulabor; qui, ut eſt apud Eſdram *Lib. 2. Cap. 4. v. 17. Una manu ſua faciebant opus, & altera tenebant gladium*, ut obſiſtentes hoſtes repellerent. Quare Theologicam Diſſertationem antea editam, *de neceſſaria in perficiendis Sacramentis intentione*, recogno-

gno-

gnoſcam, incudi reddam, tertiis curis expoliam, magnaque rerum adjectione confirmabo, & illuſtrabo: interim verò pro re nata, ac ubi ſubjecta materia feret, domeſtici impugnatoris conatus infringam, tela retundam, machinas disjiciam, munimenta diruam, effugia demum, quæ ſæpe ipſe quæſivit, ut ictus noſtros declinaret, occludam.

Neque tamen dum id operis molior, animus mihi eſt, quæ contra cæteros Catharini ſententiæ defenſores, idem ille ſeu verè dixit, ſeu falsò commentus eſt, impugnare: quæque contra Alphonſum Salmeronium, Marium Scribonium, Vincentium Contenſonium, Gaſparem Juveninum, alioſque nonnullos toto effudit Diſputationis impetu, refutare, atque refellere. Non enim quæcumque illi in ea tuenda ſententia protulere, probare velim, & adamuſſim dicta puto: ſed una me, meamque pro Catharino Diſſertationem tuendi cura ſollicitat. Servent ſi poſſunt alii fines ſuos, ego extra cauſſæ, quam ſuſcepi terminos, non excurram.

PRÆ-

PRÆFATIO.

I. CUr Theologicam hanc, de necessaria in Sacramentis administrandis intentione, Disputationem in publicum mittam, illud præsertim in caussa est, quod in Ambrosio Catharino, Tridentinæ olim Synodi Theologo præstantissimo, mei quoque vindicias compulsus sim adornare. Cum enim ante annos quinque supra viginti, hoc idem argumentum tractarem in Scholis; ac de externa, ut vocant, Ministrorum intentione, pro Catharino nostro ex Cathedra dicerem; illico sparsi susurri, vulgati rumores, imò & delatæ ad Ecclesiæ Præsules surdæ querelæ, me sub honesto Theologi summe catholici nomine, Lutheri, atque Calvini errores in scholas invehere, stillare discipulis noxia, periculosa cudere dogmata, sacros Tridentinæ Synodi Canones infringere, violare.

Hæc dum Ardeliones hi nostri, adversum me crebra mussitatione in speciem pietatis composita blaterarent; criminationes illas omnes, quanquam atroces, ac falsas, surda aure pertransii, atque contemsi; quod canes scirem notis non allatrare solitos, sed ignotis. Calamum, etsi valde pruriret mihi, ad depellendam injuriam, non statim acui, sed cohibui; missaque ad tempus, ex Apostoli Consilio, defensione, qua famæ consulerem, dedi locum iræ, livori, invidiæ, silentioque sat interim benè ultus, me rebus servavi secundis: quod ita tunc servire scenæ, rerum mearum ratio postularet.

II. Nunc verò cum primum illum in me factum æmulorum impetum videam defervescere, sedari animos malè turbatos, redire serenum, turpemque rerum istarum ignorationem, (undè maximè natæ mussitationes, atque querelæ) remitti paululum, atque depelli: imò cum hoc ipsum Catharini systema, solis fermè Galliæ Theologis olim acceptum, in Theologorum tandem Italorum gratiam, a quibus modò persæpe defenditur, videam rediisse; opportunum justæ defensioni fore locum existimavi; qua planum facerem universis, quam procul a Lutheranis, & Calvinianis erroribus distet Viri summi, de externa, ut ajunt, Ministrorum intentione, sententia; quam bene cum Tridentinæ Synodi Canonibus congruat, quam disertis Romanorum Pontificum, Conciliorum, ac Patrum judiciis confirmetur; quam demum luculentis rationum Theologicarum momentis, atque præsidiis mu-

niatur ; nihilque præ se ferat systema ingeniosissimum pietati, religioni, priscis Ecclesiæ moribus non apprimè consonum.

Hanc primam edendæ, vulgandæque Theologicæ elucubrationis rationem habeto : quam non remordendi libido, sed tuendi honoris, & Catharini, & mei, justus, ac nobilis sensus excivit.

III. Accedit altera vulgandi Opusculi caussa, quæ publicum Theologiæ Professorem non movit modò, sed prorsus adstrinxit: ut nempe studiosi Adolescentes, quibus ea vehementer arrisit opinio, dum ex Cathedra dicerem, quique eandem illam in publicis circulis tueri gestiunt, atque defendere, contra adversariorum oppugnationes multò validiùs muniantur. Quapropter Lutheranorum, & Calvinistarum errorem, a quo ne latum quidem unguem distare opinionem hanc nostram, nonnulli fidenter effutiunt, multo, quàm olim in Scholis feceram, validiùs confutavi; Ecclesiæ Catholicæ dogma, hoc de argumento, in Tridentina Synodo definitum, multo acriùs defendi, ac luculentiùs: tum demum quæcunque Ambrosio Catharino, aut ab authoritate, aut a ratione, aut ab historia, seu objecta sunt olim, seu objici modò possunt, ac etiam fingi, cassa illa, futilia, ac planè nulla, cumulatissimè demonstravi. Imò in adversarios ipsos objecta persæpe retorsi; illosque suis ipsorum retibus, atque tendiculis implicavi, atque conclusi.

Sequitur loco ultimo, ad susceptæ defensionis cumulum, totiusque Opellæ coronidem, deductum ex jactis inter disputandum doctrinæ principiis, Corollarium, de necessaria in Sacramentis etiam suscipiendis intentione, longè gravissimum: quo eandem suscipientium ac ministrantium, quod ad ipsam attinet intentionem, rationem esse demonstratur. Id porro secunda veluti manu dum agitur, alter non absimilis Lutheranorum, & Calvinistarum error pleniùs refellitur; & Ambrosii Catharini doctrina magis magisque firmatur, latisque non semel Ecclesiæ judiciis roboratur.

IV. Cæterum in eo vindicando firmandoque Systemate, nullam ego, ex ipsius Catharini, a quo vulgò creditur inventum, authoritate petii probationem, nullam ex illius fama nominis confirmationem adduxi; quod dudum ex Tertulliano didicerim, *Veritati nil posse præscribere, non spatia temporum, non intervalla locorum, non patrocinia personarum:* nemoque nesciat, digniora multo, imò adorata terris, ac Cœlo capita, in absurdas sæpe sententias abiisse. Si quis tamen Ambrosium Catharinum (cui primum *Lancellotto Polito* nomen in sæculo fuit) nosse amat; quamve privatis opinionibus posset, ex fama nominis, hono-

honorumque titulis, auctoritatem conciliare; Epitaphium consulat, tumulo ejus incisum, Senis in Etruria, in Templo D. Francisci, a Polita familia olim extructo; quo munerum ejus, dignitatumque tituli compendio recensentur.

D. O. M.

Lancellotto Polito Compsæ Archiepiscopo, quem sicuti primis ab annis virtutes principes complexæ sunt omnes, sic ad ætatis usque vesperam mirificè semper exornarunt. Is decimo quinto ætatis suæ anno, utriusque Juris lauream adeptus, in Senensi Gymnasio publico professus, ingentique laude, nondum vigesimumquintum attingens, mille axiomatibus in celeberrimis Italiæ, & Galliæ Academiis strenuè defensis, Romæ Consistorialis Aulæ advocatus a Leone X. factus est. Tandem studia illa, & honores pertæsus, mutato nomine in Ambrosium Catharinum, (in honorem S. Catharinæ, & B. Ambrosii Sansedonii Concivium ejus, quorum erat devotissimus) ante annum trigesimum, Dominicanæ familiæ nomen dedit. Ex qua mox a Paulo III. ad Episcopatum Minoritanum evectus, ad Sacrum Concilium Tridentinum missus, ibi in sustinendo sententiæ certamine, adversus veritatis hostes, nullis non ostendit lumen animi, consiliique sui. Demum a Julio III. vocatus, a quo prius etiam Compsæ Archiepiscopus renunciatus fuerat, dum Romam ad amplissimos Purpuræ honores proficiscitur, honoribus major, Neapoli decessit, plurimis ingenii monumentis posteris datis: Ætatis suæ anno LXX. salutis humanæ MDLIII.

V. Non est tamen dissimulandum, Ambrosium Catharinum, tametsi Dominicani instituti Professorem, juratum D. Thomæ discipulum, nec fuisse unquam, nec haberi voluisse; eumque varia cum Cajetano primùm, tum postea cum Dominico Soto, aliisque Scholæ Thomisticæ Professoribus, subjisse certamina, quæ aversum ejus animum probent. Hujus a Schola Thomistica defectionis caussam istam fuisse ferunt: quod cum in Comitiis generalibus nostris, de Viro Theologo deligendo ageretur, qui Summam D. Thomæ, totius Ordinis nomine, ad Novitiorum studentum usum interpretaretur; amboque, Catharinus nimirum, & Cajetanus, qui Theologicæ eruditionis laude supra cæteros eminebant, honorificum munus ambirent, atque prensarent; Catharinus Patrum suffragiis ciciderit, Cajetano posthabitus. Quo casu Catharinum spe sua decollatum dixisse addunt, non sine quodam exulcerati animi sensu, *Noluistis me habere pro Thoma, habebi-*

tis me contra Thomam. Quo ex tempore cœperit transfuga alienis in castris militare; seu veriùs nulla destinato sequi castra, nec nostra, nec hostium, sed suo in Theologicis studiis genio indulserit.

VI. Utcumque tamen res ipsa cesserit, de qua nihil præter auditum habeo, fatendum bona fide, hanc ipsam Catharini a Schola Thomistica defectionem, habitasque cum nostris quæstionum pugnas, lucro nobis potius esse, quàm damno, quod ad istam attinet controversiam, de externa in perficiendis Sacramentis intentione. Cum enim, statim atque Episcopus Minoriensis a Paulo III. designatus est, de multis exoticis opinionibus, ab ipso defensis, ac propugnatis, litem illi movisset Theologus nostri Ordinis celeberrimus; imò cum ipsimet Pontifici summo expostulationis libellum obtulisset, quo eum de quinquaginta circiter temerariis, ut ajebat, & a communi Theologorum sensu alienis erroribus accusabat; de externa tamen in perficiendis Sacramentis intentione, ab eo tam publicè tam solemniter, edito jam Opusculo defensata, omnino tacuit; nullamque ei hujusce systematis ab eo propugnati occasione litem intentavit. Extat enim verò inter Catharini Opuscula Romæ anno 1552. typis edita, errorum illorum indiculus, libello supplici eidem Paulo III. ad sui purgationem oblato insertus; in quo ne unum quidem observare licet, qui quæstionem illam de Ministrorum intentione, ulla ratione contingat. Quod certè argumento est, Catharini ea de re sententiam ne levi quidem erroris suspicione laborasse; imò summo tunc Theologorum consensu fuisse susceptam. Aliàs stilo minimè pepercisset fervidus accusator, & a censuris, quas tanta in eum libertate distringebat, minimè temperasset: quique in illius scriptionibus vulgatisque libellis, culicem ut vulgò dicitur excolabat, camelum haudquaquam deglutiisset.

Errant qui putant, Dominicum Soto, alterum Tridentinæ Synodi Theologum, illum ipsum fuisse, qui eam Ambrosio Catharino fabam cuderit. Quamquam enim averso illi esset animo Sotus noster, multasque cum illo quæstionum pugnas habuisset, in ipso Concilio Tridentino; invicto tamen argumento liquet, non eum fuisse, qui hanc illi coram Paulo III. litem moverat. Quandoquidem Dominicus Soto diu Catharino supervixit, utpote qui ad annum usque 1560. vitam produxit, tunc demum extinctus Salmanticæ die 15. Novembris; qui verò libellum expostulatorium adversus Catharinum obtulit Paulo III. præmortuus est Catharino. Id ipsemet innuit initio Præfationis, libello suo expurgatorio præfixæ, dum eum subinde typis edidit Romæ anno 1552. cum gratia, & privilegio Julii III. R. P. ***Quum ego***, ait ille ea

in

in præfatione, *Tridenti agerem, & Romæ de promotione mea ad ordinem Episcopatus ageretur, quidam non ignobilis Magister, (cujus nomen honoris ipsius gratia, & ut parcam manibus, non commemoro) zelo succensus libellum obtulit Summo Pontifici Paulo III. ubi solùm nudus catalogus quinquaginta articulorum, quos ex Opusculis nostris excerpserat, descriptus erat sub hoc titulo, Errores Catharini*. Mortuus ergo tunc erat ille, cujus *manibus parcitum* voluit Catharinus, ipsius nominis suppressione.

VII. A quovis tamen intentata illi sit odiosissima lis, ex qua tam elegans in gratiam vulgati systematis, de externæ ut ajunt intentionis sufficientia, momentum elicitur; aliam sub idem tempus pugnam Tridenti sustinuit Catharinus, quæ majorem in ejus gloriam cessit: certioremque ipsius sententiæ confirmationem, & approbationem obtinuit. Narrat quippe Cardinalis Pallavicinus *lib. 9. Historiæ Concilii Tridentini cap. 6.* quo tempore controversia, de necessaria in perficiendis Sacramentis Ministrorum intentione, inter Catholicos Theologos Tridenti ferveret, literariam concertationem inter Catharinum illic agentem, & sacri Palatii Apostolici Magistrum Romæ commorantem, excitatam fuisse; eosdemque oppositis invicem libellis acriter litigasse: quo casu per Epistolas die *16.* Octobris *1546. a Legatis Sacri Concilii rogatus est Summus Pontifex, Palatii sui Magistrum moneret, ut ab inferenda alteri molestia desisteret; affirmantibus vitam, & doctrinam Catharini ab omnibus commendari*. Ad quæ si hodierni Catharini osores attenderent, ab audaci, & inconsulta sententiæ ipsius, quam hic vindicandam aggredimur, criminatione temperarent: cum scirent, primos illius reprehensores Concilii Tridentini Legatorum authoritate fuisse repressos, ac etiam silere jussos.

Nec enim ad eludendam tam luculentam, quam dedere Legati Pontificii, illius doctrinæ commendationem, reponi potest; de alio fortè doctrinæ capite, quam de quo loquimur modò, fuisse tunc Catharinum inter, & Apostolici Palatii Magistrum, oppositis invicem libellis acriter disputatum. Quandoquidem ex hoc ipso facto colligit Historicus Eminentissimus, *Catharini sententiam de externa Ministrorum intentione, Tridentinis Patribus non fuisse suspectam; nec illis fuisse in animo eam proscribere:* quod perperam ille colligeret, nisi de hoc ipso doctrinæ capite concertatio fuisset.

VIII. Cæterum quæ modò in lucem prodit Vindiciarum istarum Editio altera, Catharini systema tuetur multo validiùs atque disertiùs, contra Avenionensis Academiæ Professorem emeritum, qui priorem oppellam nostram, ut lectorem ante monuimus, confutare, atque refellere aggressus est: quæ fuerant a nobis ante probata validioribus firmat rationibus atque momentis: quæ fuerant adversa-

versariorum objecta diluta, novis responsis infringit, atque convellit: quæ fuerant recentium quorumdam Theologorum præclusa suffugia, aliis occlusis diverticulis occupat, magna rerum accessione ubique facta, additoque dictis, ac disputatis ornamento. Larvatus etiam scribillator, Divi Augustini reprehensor ac censor, quem molliter tantum & in transcursu in prima editione refelleram, (quandoquidem novo contra me disseminato clanculum libello repungit) multo acriùs, ac validiùs refutatur.

Ipse tamen pretium referet certaminis hujus,
Qui cum victus erit, mecum certasse feretur.

VIN-

VINDICIÆ VINDICIARUM

AMBROSII CATHARINI:

SEU

DE NECESSARIA

IN PERFICIENDIS

SACRAMENTIS

INTENTIONE,

THEOLOGICA DISSERTATIO

VINDICATA.

DE Intentione, in Sacramentis, non piè quidem, ac religiosè, sed ritè, validèque administrandis, suscipiendisque necessaria, dicere jussus, quantum ad studiosæ Juventutis, quæ mihi in disciplinam tradita est, institutionem satis sit, faciam pro solito meo more docendi. Nempe quid ea de re Catholica Fides habeat, primo omnium loco ponam, & contra hujus ætatis Heterodoxos quàm brevissimè potero explicabo, atque defendam. Tum quid in Catholicis Scholis opinione sit liberum, multo fusiùs tractandum aggrediar; celeberrimumque Ambrosii Catharini, Tridentinæ olim Synodi Theologi Systema, de externa, ut vocant, in perficiendis Sacramentis, intentione, quo Theologicæ nunc Scholæ undique personant, bono in lumine ponam, propugnabo, defendam, & ab inconsultis quorundam censuris pro modulo vindicabo. Opus porro faciam eo lubentiùs, quod ea summi Viri sententia, quæ ante annos circiter octoginta conclamata, ac deplorata videbatur, quod a paucis intelligeretur, in Scholarum tandem honorem venerit, & in litterariis congressibus, quibus jam sæpe defenditur, Eruditorum, a quibus cœpit intelligi, plausum accipiat.

C A P U T I.

Protestantium error, de Ministrorum Intentione refertur: Ecclesiæ Catholicæ Fides proponitur, explicatur.

I. TAmetsi in re Sacramentaria, multis capitibus errent novæ Reformationis Architecti, nusquam tamen stolidiori labuntur errore, quàm ubi Sacramentorum Administros tanquam truncos, & stipites nobis occentant, qui rem sacram perinde faciant, tametsi nil cogitent, nil animo intendant, imò verò sacra Mysteria palam irrideant, atque deludant.

Hoc nobis doctrinæ portentum Lutherus venditat *lib. de Captivitate Babylonica Cap. de Baptismo*, & toto passim *libro de abroganda Missa privata*, quem anno 1534. iratis diis in publicum misit. Erroris suffragatores habet Joannem Calvinum *in Antidoto contra Concilium Tridentinum, ad Canonem* 11. *Sessionis septimæ*, Tilmannum *lib. de sexcentis Pontificiorum erroribus*, Kemnitium 2. *parte Examinis*; omnesque geminæ sectæ Professores, quorum hæc una vox est, una sententia, Sacramentum re ipsa perfici, tametsi Minister perficere non intendat, imò ritum omnem aperto joco, ac ludo derideat.

Nobis Catholicis videtur aliter. Nullum Sacramentum existimamus, nisi Minister seriò peragat, velitque re ipsa id agere, quod vera facit, & frequentat Ecclesia. Quod ne fortè a nonnullis perperam accipiatur, neve sub æquivoco laboret Catholica veritas, nonnulla præmonere opus est, quæ agitandæ gravissimæ controversiæ lucem afferant.

II. Recolenda in primis venit, altaque mente defigenda multiplex intentionis acceptio. Cum enim intentio propositum voluntatis sit, quo Minister Sacramentum conferre deliberat, triplex intentio secernitur: habitualis nempe, quæ prompta quædam facilitas est operandi ex habitu, seu infusus ille sit, seu etiam acquisitus; aut si mavis prona voluntas est operis faciendi, in actum tamen nullatenus fluens, de quo nulla est plerumque cogitatio, vel memoria. Sic viri ebrii, largiorique potu depositi, ac planè recocti, ea quandoque incogitantes peragunt, quæ usu antea frequentabant. Actualis intentio præsens animi applicatio, & attentio est ad opus, quod peragitur. Virtualis demum illa dicitur, quæ ex actuali intentione præcedente, nec per contrariam

riam

riam intentionem, nec per notabilem temporis moram interrupta, in homine perseverat.

Habitualem intentionem minimè sufficere Catholici docent, quod etiam in dormientibus, & ebriis reperiatur. Actualem non requiri, ultrò concedunt, quod hæc ob præcipites animi evagationes, in potestate nostra plerumque non sit. De virtuali, adversus Lutheranos, & Calvinistas, tota lis est.

Quocirca tamen Juventutem monitam velim, decimo tertio Christiani nominis sæculo, nondum eam triplicis intentionis distinctionem in Scholis Theologicis invaluisse; omnemque intentionem, quæ actualis non esset, ab illius ætatis Theologis habitualem fuisse dictam: ita tamen ut quandam intentionem habitualem agnoscerent, quæ virtute præcedentis actualis, influat in effectum; qualem in præsentia virtualem Theologi nuncupant. Quapropter dum Doctor Angelicus 3. *part. quæst.* 64. *art.* 8. *ad* 3. scribit *Intentionem habitualem sufficere, ad perfectionem Sacramenti*, loquitur pro more illius ætatis; eoque nomine virtualem intentionem intelligit, qua nimirum, uti proximè subjungit, *ex virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum*. Quæ enim purè habitualis intentio est, in actum nullatenus influit.

III. His proludii loco positis, consentiunt jam Theologi planè omnes, (idque a Tyronibus observari omnino velim, quod & ab Innocentio IV. notatum est, *in Caput, si quis puerum, extra de Baptismo, & ejus effectibus*,) consentiunt, inquam, nequaquam desiderari distinctam intentionem faciendi quod facit Ecclesia Romana Catholica, quæ sola vera Ecclesia est; sed generalem intentionem faciendi quod vera facit Ecclesia, a Christo Domino instituta, quæcumque tandem illa credatur esse: quamquam in hujus rei ferendo judicio, quænam scilicet vera Ecclesia sit, Minister aberret. Imò si quis fortè Calvinianæ sectæ Minister, rem sacram peragens, distinctè intenderet facere quod facit Ecclesia, exempli gratia Genevensis, aut Anglicana, adhuc validè faceret; quia ille hac etiam in hypothesi, intenderet facere quod vera facit Ecclesia, a Christo Domino instituta: atque in eo duntaxat falleretur, quod spuriam Ecclesiam Genevensem, & Anglicanam, universalis Ecclesiæ, a Christo Domino institutæ membrum esse sibi fingeret. Uno verbo, judicium, ut Schola loquitur, speculativum, rectum haberet Minister ille, quo crederet id esse faciendum, quod vera facit Ecclesia: quamquam judicium practicum falsum esset, quo schismaticam Genevæ, aut Angliæ Synagogam, veram Christi Ecclesiam esse existimaret.

Consentiunt etiam Theologi omnes, non desiderari in Ministro intentionem producendi effectum Sacramenti; sed satis esse inten-

tionem perficiendi Sacramentum ipsum; quamquam revera Sacramenti effectum omnino nollet. Cujus quidem ratio est: quia caussam intendere satis est, ut effectus virtute intelligatur intentus: quisquis autem caussam sine effectu voluerit, & intenderit, pugnantia velle censetur. Quare Ecclesia Catholica Pelagianos, & Calvinianos, in ipsius gremium redeuntes, novo Baptismate tingendos nunquam existimavit, aut Baptisma in alterutra secta susceptum, irritum habuit: quamquam Pelagiani Ministri originale peccatum, quod fictitium arbitrantur, Baptismate deleri nollent; Calviniani verò Characterem sacra lotione animæ imprimi diffiteantur.

Quocirca cum aliàs Viri nonnulli Galliarum eruditi, Calvinianos in Ecclesiam reduces, idcirco novo Baptismate initiarent, quod illi *in remissionem peccatorum* minimè baptizati viderentur, quia veram remissionem peccatorum fieri negant; Pius V. Pontifex Sanctissimus eam agendi rationem improbavit: eodemque duce, & auspice reprobarunt Concilia Gallicana privatarum Ecclesiarum, & Calvinistarum Baptisma validum pronunciarunt: nempe Concilium Rothomagense sub Carolo Cardinali Borbonio, anno 1581. *Cap. de Sacramentis*: Rhemense sub Ludovico Cardinali Guysio anno 1583. *Cap. do Baptismo:* Aquense sub Alexandro Canigiano Archiepiscopo anno 1585. *Cap. de Baptismi Sacramento:* Tolosanum sub Francisco Cardinali a Joyosa anno 1590. *par.* 2. *Cap.* 2. *de Baptismo*, & Narbonense sub Ludovico de Vervins Archiepiscopo anno *1609. Cap.* 14. *de Baptismi Sacramento* (*a*).

Iis circumscriptionibus temperata, ac bono in lumine posita Catholicorum sententia, de intentionis necessitate, probanda jam nobis est, omnique momentorum genere confirmanda: ut publicam Ecclesiæ caussam adversus hujus ætatis Heterodoxos pro virili parte tueamur.

C A-

(a) *Apud Labb. Tom.* 21. *pag.* 623. 689. 943. 1284. 1490.

CAPUT II.

Ecclesiæ Catholicæ Fides, de Ministrorum intentione probatur, atque defenditur.

I. IN probationem itaque veniunt loco primo sacræ Litteræ, quibus palam apertèque liquet, Sacramentorum Ministros a Deo esse datos, & constitutos, ut Mysteriorum dispensatores: *sic Nos existimet homo*, inquit Apostolus 1. *ad Corinth.* 4. *ut Ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei*. Porro dispensatores dici non possunt, nisi intentionem veram, atque sinceram habeant. Qui enim constituitur dispensator, prudenter debet agere, proindeque ex rationis judicio, adeoque cum libera, & veri nominis intentione.

Accedunt in ejusdem veritatis confirmationem Ecclesiasticæ definitiones, antequam Lutherana, & Calviniana Hæresis oriretur. Prima quidem Concilii Constantiensis, ubi homines de hæresi suspecti jubentur interrogari: *An credant, quod malus Sacerdos, cum debita materia, & forma, & cum intentione faciendi quod facit Ecclesia verè baptizet, & verè conferat alia Sacramenta* (*a*). Contraria enim assertio unus ex Vvitcleffi erroribus erat: hoc itaque ad Fidei professionem pertinere supponebat sacra Synodus, intentionem faciendi quod facit Ecclesia, in Sacramentorum Ministro desiderari.

Altera definitio ex Concilio Florentino desumpta est, seu veriùs ex Eugenio IV. *in Decreto ad Armenos*, (aberrant enim, qui illud ab ipso Concilio Florentino editum putant) ubi septem Ecclesiæ Sacramentis recensitis, ita subjungitur: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet Rebus tanquam materia, Verbis tanquam Forma, & persona Ministri, conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia*. (*b*) Hincque factum est, ut antequam Tridentina Synodus, ad pleniorem Lutheranæ, & Calvinianæ sectæ proscriptionem cogeretur, articulum hunc Martini Lutheri, inter alios benè multos proscripserit Leo X. *Si Sacerdos non seriò, sed joco absolveret, si tamen credat pœnitens se esse absolutum, verissimè est absolutus*. (*c*) Adeo verum est, seriam sacri ritus peragendi voluntatem in ministro desiderari.

(a) *Apud Labb. Tom.* 16. *pag.* 761. (b) *Apud Labb. Tom.* 18. *p.* 547.
(c) *Apud Labb. Tom.* 19. 2. 1052.

Majorum exempla secuti sunt hac in parte laudati Pontifices, Eugenius IV. & Leo X. Baptismum enim ab energumeno datum, cui non fuerat lucidum intervallum, cassum, nullum, irritumque pronunciavit Firmilianus Cæsariensis Episcopus, tertio Christiani nominis sæculo, ut ex ejus ad S. Cyprianum Epistola compertum est. Ordinatio pariter ab Episcopo temulento, & ebrio attentata, futilis prorsus, & nulla judicata est, teste Eusebio *Lib. 6. Hist. Ecclesiasticæ Cap.* 33. non alia sanè de caussa, quàm quod temulentus, & energumenus veræ, & propriæ intentionis sint penitus incapaces; si & temulentus sit planè recoctus, & energumenus lucidis careat intervallis.

II. Neque leve rationum pondus est, quibus malenatus Lutheri, & Calvini error exploditur, Ecclesiæ Catholicæ sententia confirmatur. In primis enim Sacramentorum administratio, actio humana debet esse: ut enim Christus homines Sacramentorum Ministros instituit, ita Sacramentorum administrationem, actionem humanam esse voluit; ne fortè rei sacræ Ministri more pecudum Altaribus ministrarent. Actio porro humana esse non potest, nisi ex intentione fiat: non enim humana est nisi libera sit; nec iterum libera, nisi fiat ex rationis judicio, cum electione voluntatis. Atque hinc petitur discriminis ratio, Sacramentum inter, & frumentum, aut pharmacum; quorum exemplis Lutherani turpiùs abutuntur. Ad istorum quippe vim, & efficaciam, nihil Medicus, & Agricola conferunt; & tam prodesse homini possunt, si fortuitò, & casu se offerant, quàm si consultò offerantur.

Rursus, quoties actio aliqua varios ad fines referri potest, ad unum non determinatur, nisi ex voluntate, & intentione agentis. Porro Sacramentalis actio, ut externa Infantis ablutio, varios ad fines referri potest: Infans enim perinde aqua potest ablui, vel ad munditiam corporis, vel ad sanitatem, vel per jocum. Necesse itaque est, ut determinetur ad Sacramentalem effectum, per intentionem abluentis, quæ verbis Sacramentalibus exprimitur, *Ego Te baptizo &c.*

Iterum id discriminis intercedit inter instrumentum vivens, ac liberum, & instrumentum inanimatum; quod illud & se moveat, & moveatur; istud moveatur duntaxat. Quare primum non modò agentis principis motu eget, sed & semetipsum ad agendum determinare debet. Jam Sacramentorum Ministri, Christi Servatoris instrumenta sunt, non inanimata, aut necessaria, sed viventia, ac libera: quamobrem inter administrandum Sacramenta, se se debent ad agendum determinare: quod certè fieri nequit, nisi vera intentione ducantur, certoque consilio.

III. Neque verò Luthero, & Calvino favet, quod vim suam om-

omnem ex Christi institutione Sacramenta derivent. Quamquam enim res ita sit, applicationem tamen a Ministris habent, tanquam ab instrumentis animatis, & ratione utentibus. Eo planè modo, quo judicia a subjectis Judicibus lata, robur omne a supremo Principe mutuantur, qui ferendi judicii potestatem delegavit: neque tamen rata illa sunt, atque valida, si fortè joco proferantur, nullaque subjectis Judicibus voluntas insit, justitiam ministrandi. Imò nec lata sententia putanda esset, neque executioni demandanda, si supremus etiam Princeps, per jocum, ac deridiculum, aut fortè si mero depositus damnaret aliquem capitis: quia nec ipse quidem ita velle censeretur, qui certa tunc mente, & deliberata voluntate non ducitur.

His momentis ducta Synodus Tridentina *Sess.* 7. *Can.* 11., *&* *Sess.* 14. *Can.* 9. eos omnes anathemate petiit, qui intentionem non requiri contenderent, faciendi quod facit Ecclesia; quique Sacramentum perfici dicerent, tametsi Sacerdoti desit animus seriò agendi, totumque ritum joco peragat. *Si quis dixerit in Ministris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, Anathema sit .... Si quis dixerit, Absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi, & declarandi remissa esse peccata confitenti, modò tantùm credat se esse absolutum; aut Sacerdos non seriò, sed joco absolvat, Anathema sit.*

Quo judicio recentium Sacramentariorum error damnatus est, & impletum tandem aliquando D. Augustini votum. Is etenim *Lib.* 7. *de Baptismo contra Donatistas Cap.* 53. quæstione mota, quid de Baptismo mimicè, & joculariter ministrato sentiendum esset, num ratus esset habendus, necne? Sententiam præcipitare noluit, seque Concilii Oecumenici definitionem, novamque revelationem desiderare significavit: *Nobis tutum est*, inquit, *in ea* quæstione *non progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in Catholico regionali Concilio cœpta, nullo plenario terminata sunt... sed Divinum Judicium, per alicujus revelationis oraculum, implorandum esse censerem*. At quo ex tempore controversia in plenario Concilio Tridentino eliquata fuit, dubitare jam nefas est: ingentisque audaciæ rei sunt Calviniani, ac Lutherani, qui hanc Augustini ea de re dubitationem, in erroris sui qualecumque præsidium accersunt; cujus modestiam, in Oecumenicæ Synodi definitione amplectenda, imitari debuissent.

IV. Neque tamen ea qualiscumque D. Augustini subdubitatio, de Baptismo mimicè collato, num validus esset, an invalidus, Calviniano Systemati prodest. Non enim idcirco ea de re dubitavit Sanctissimus Doctor, quod minus perspectum haberet, an inten-

tentio Ministri ad Baptismatis perfectionem necessaria foret; sed quod ambigeret, an cum mimico joco necessaria stare possit intentio. Potest enim mimus Baptisma conferens, repentina pietate commoveri; sicque non modò necessariam, sed & rectam intentionem habere: quod S. Genesio, Christianorum Baptisma in scena ludenti contigisse plerique putant. Potest etiam mimus, quamvis perversa sit ejus intentio, vel jocari duntaxat, vel ita se gerere, ut ridendi, & jocandi caussa, aliquid seriò velit efficere. In primo quidem casu, mimo deest intentio faciendi quod facit Ecclesia: in altero intentionem illam fortassis habet, aut certè eam habere videri potest. Quæ cum ita sint, nihil quidquam Augustinus affirmare voluit, donec divina revelatione, & Oecumenicæ Synodi definitione, res aliàs subobscura prodiret in lucem. Nec propterea de intentionis necessitate dubitavit, ut Calviniani audaciùs effutiunt; sed dubius hæsit, num intentio necessaria, mimis in theatro ludentibus nonnunquam adesset: quæ facti potius, quam dogmatis quæstio est.

Non eam tamen Sacræ Synodi definitionem expectandam censuit Augustinus, quæ dubium facti solveret; an scilicet hìc, aut ille mimus nil nisi jocari voluerit, aut etiam occasione jocandi aliquid seriò voluerit agere: hoc etenim factum privatum, ac singulare, imò etiam jocantis mente sæpissimè abditum, nulla unquam definiet Synodus Oecumenica: sed definitionem expectari voluit, novamque cœlitus illustrationem, quæ dubium juris authenticè solveret, in quo non ipse quidem, sed plures alii versabantur: tale scilicet ferendo judicium, cui pronum mentis obsequium præstare deberent universi. Quod tulere postea Sacræ Synodi, Constantiensis, Florentina, & Tridentina. Sed jam ad diluenda protestantium momenta progrediundum.

C A-

C A P U T III.

Protestantium Momenta ex Historiis Ecclesiasticis petita diluuntur.

I. SCenam suam Lutherani, & Calviniani ludunt argumento ex scena petito; ex Genesio scilicet mimo, qui cum Christianæ Religionis Mysteria coram Diocletiano Imperatore luderet in theatro, ægrotum se finxit, ac simulavit; & ab altero mimo suam quoque scenam ludente, per derisum baptizari voluit: sed a Deo derepente mutatus, theatrale Baptisma sibi ab histrione ministratum sincero suscepit animo, ac postmodum pro Religione ipsa quam luserat, mortem oppetiit. Hinc extundere sibi putant novæ sectæ Professores, valere re ipsa Sacramentum, tametsi nulla ministranti adsit intentio, totusque ritus mimicè, ac jokulariter peragatur.

Consecutionem negare fas fuerit, tametsi rem ita contigisse fateremur, uti Novatores obtendunt. Nullo etenim veteris memoriæ documento liquet, Genesii Baptisma in theatro susceptum, ratum ab Ecclesia habitum esse. Equidem sacris Ecclesiæ fastis Genesius adscriptus est, ad diem 25. Augusti: benè est, at non aquæ Baptismo, sed sanguinis; sive martyrio pro Christi fide post scenam absolutam oppetito. Ita Theologi penè omnes: quod utique argumento solvendo sufficientissimum est.

Sed & ego plus audeo, qui facta hujusmodi historica non obesa omnino nare excipere soleo. Genesii Baptisma in theatro susceptum, putidis fabulis accensendum existimo. Movet me in primis silentium Scriptorum veterum; quod gravissimi in rebus historicis momenti esse, nemo nescit. Nullus quippe ante nonum Ecclesiæ sæculum, quo Ado Viennensis Martyrologium adornavit, historiam hanc nobis vendidit; quanquam sub Diocletiano, quarto scilicet ineunte sæculo contigisse feratur. Qua porro sorte fieri potuit, ut per annos ferme 600. qui a Diocletiano ad Adonem usque effluxere, nullus hujusce facti mentionem injecerit, si verè in Ecclesia contigisset? Sanè historiam hanc D. Augustino ignotam fuisse, certò liquet. Is etenim *Lib. 7. de Baptismo contra Donatistas Cap. 53.* prolixè admodum disputat, num Baptisma a mimo derepente mutato susceptum, ratum haberi posset, ac validum? Difficultatem vertit in omne latus Doctor Sanctissimus: quo casu nihil illi erat ad institutum accommodatiùs, quàm vul-

vulgatum Genesii factum percensere. At ne verbum quidem ea de re illi excidit.

Movet me insuper recentium Scriptorum in facto narrando dissonantia: quo nullum falsitatis argumentum majus esse potest. Ado quippe Viennensis Genesium non ab altero mimo baptizatum inducit; sed a Christiano Sacerdote, quem simulato verbo in scenam advocasset Genesius. Surius, aliique non pauci a Baronio recensiti in Annalibus ad annum 302. Genesium tinctum obtrudunt ab altero mimo; quem tamen Angelus monuisset, ut rem sacram seriò pièque ministraret. Alii ab Angelo ipso tinctum effutiunt, quo momento mimi illi rem sacram luderent. Ita sanè fabulatores mutuo dissidio committuntur.

Movet me demum ipsa etiam dissonantium narrationum ineptia, Ecquis enim sibi fingat, Christianum Sacerdotem simulato verbo advocatum, ad ludicrum spectaculum, in Ecclesiæ Catholicæ derisionem explicatum accedere, suasque ludentibus operas locare voluisse, ut legimus apud Adonem? Quis credat ausum illum, coram Diocletiano Christianorum persecutore infensissimo, sese in theatrum inferre, sacra sua celebraturum? Quis credat illum peracto Baptismo, tuto capite recessurum fuisse?

Rursus quod de Angelo mimum admonente fabulantur alii, ut sacrum ritum seriò pièque ministraret, insulsum est; nisi & illud addatur, mimum illum Genesii baptistam, ab eodem Angelo ad fidem fuisse conversum: quod tamen a nemine proditum est. Aliàs admonendus potius erat, ut a re sacra facienda sibi temperaret; cujus vel sola in theatro ministratio sacrilegium est. Quare cum tot ex capitibus nutet Genesii historia, ruit quod ex illa petitur Lutheranorum argumentum.

Quanquam & aliàs nihil inde extundere possent Lutherani. Seu enim a Christiano Sacerdote in scenam vocato; seu a mimo per Angelum, ut rem sacram seriò perageret, admonito; seu demum ab ipsomet Angelo Genesium in theatro baptizatum ponamus; debitam ministrantis intentionem accessisse certum erit: ut nihil inde præsidii colligant Lutherani, & Calvinistæ.

II. Ex altero Historiæ Ecclesiasticæ monumento præsidium petunt Sacramentarii recentiores: ex facto scilicet S. Athanasii adhuc pueri, quod ab Eusebio *Lib.* 10. *Historiæ Ecclesiasticæ Cap.* 14. memoriæ proditum est, & ex Ruffino præsbytero Aquilejensi transcriptum. Scilicet cum puer Athanasius S. Alexandrum Episcopum Alexandrinum, Baptisma solemniter ministrantem sæpius observasset, eundem die quadam infantili simplicitate imitari voluit; ceterosque secum ludentes pueros catechumenos baptizavit. Re ab ipsomet Alexandro Episcopo per speculam observata, & ad Con-

Consilium Sacerdotum vocata, Baptisma a ludente puero collatum, ratum validumque habitum est. Porro, inquiunt Lutherani, nullam puer ille rei sacræ faciendæ intentionem habere potuit, sed ludendi: stat ergo absque intentione validum Sacramentum, imò & Sacramentum joco peractum.

Factum hoc a Sozomeno licet, & Socrate recensitum, vix, ac ne vix quidem admiserim, quod ex putido anachronismo falsi convincitur. Rem sic evinco, annorumque rationes subduco, attentum Lectorem duntaxat opto. S. Alexander, quo quidem Ecclesiam Alexandrinam regente, puer Athanasius lusisse dicitur, ludendoque socios baptizasse, in Alexandrinam Sedem evectus est anno 314. ineunte, aut certè 313. cadente, ut ex Eusebio *lib.7. Hist. Eccles. Cap.* 32. & ex Gelasio Cyziceno *in Historiæ Nicænæ Synodi* mutuò collatis colligi potest. Eusebius enim observat, S. Petrum, alterum S. Alexandri decessorem anno 300. huic Ecclesiæ præesse cœpisse; annosque duodecim in ea regenda consumsisse; atque ita Martyrio fuisse coronatum anno 312. Gelasius autem Cyzicenus observat, unius anni interpontificium post Petri martyrium contigisse; antequam illi succederet Achilla, qui & Sedem illam quinque duntaxat menses occupavit, antequam illi succederet Alexander. Ex quibus duabus observationibus, id certò colligitur, S. Alexandrum in Sedem Alexandrinam evectum esse anno 314. ineunte, aut certè 313. cadente. Athanasius verò anno 320. hoc est, post annos duntaxat septem Diaconus erat: quippe qui Epistolæ Synodicæ S. Alexandri adversus Arianorum blasphemias, hoc ipso anno 320. datæ subscriptus legitur inter Diaconos: ut videre est in ejus Encyclica ad Episcopos. Qua ergo forte fieri potuit, ut S. Alexandro Ecclesiam Alexandrinam regente, puer fuerit Athanasius, qui anno duntaxat, ab eo suscepto regimine, septimo, inter Diaconos Synodicis Alexandri Epistolis subscribebat? Imò etiamsi poneremus, Athanasium eo duntaxat anno 320. quo Epistolæ Synodicæ inter Diaconos subscripsit, fuisse recens Diaconum ordinatum: cùm aliàs per sacros illius ævi Canones, Neocæsarienses nimirum & Agathenses, nonnisi in ætate annorum 25. possent tunc Diaconi ordinari: Consequens est, eum anno 313. cadente, quo Ecclesiam Alexandrinam regere cœpit Alexander, annos jam numerasse decem & octo. Ea porro ætate censendusne puer erat, qui unà cum pueris luderet?

Idem annorum numerus ex Athanasii in Episcopum Alexandrinum ordinatione colligitur. Certò enim certius est, Athanasium, statim post Concilium Nicænum, anno scilicet 326. Alexandrinum Episcopum fuisse inauguratum, S. Alexandro defuncto. Cum ita-

que juxta laudatos jam illius ævi Canones, nemo posset Episcopus aut etiam presbyter ordinari ante annum ætatis suæ 30. consequens est, Athanasium annos ut ut minimum 30. ætatis suæ numerasse, anno sæculi 326. recurrente: atque ita annum jam 18. attigisse, quo tempore S. Alexander Ecclesiam Alexandrinam regere cœperat, anno scilicet 313. cadente, aut 314. ineunte. Fabula igitur est putidissima, quæ de puero Athanasio decantatur, nobisque objicitur. Eoque fidentiùs a quocumque criticæ scientiæ perito rejicienda venit, quod qui eam primitus litteris consignarunt, ad incertam famam retulerint. *Fertur*, inquit Ruffinus Presbyter Aquilejensis, a quo primùm vulgata creditur: *Athanasio adhuc impuberi istud accidisse fertur*, inquit Sozomenus, Ruffini exscriptor, & commentator.

Sed age, res ita fuerit ut obtenditur, puerque sub S. Alexandro luserit Athanasius, dum Baptismum sodalibus contulit: rationis nihilominus compos erat; ritum quem ab Episcopo exerceri viderat imitatus, id profectò intendit animo, quod per Episcopum faciebat Ecclesia. Neque verò ludus, cui puer indulgebat, intentionis sinceritati quidquam officit. Bifariam quippe contingere potest, ut quis per jocum Sacramenta conferat: Primò dum Sacramentum subjectum est, ut ita dicam, ex quo ludus, & oblectatio captatur; quando videlicet qui ludunt, verè intendunt conficere Sacramenta, animo tamen oblectationis inde capiendæ: eo planè modo, quo quis ex avaritia Sacramenta ministrans, verè utique ministrare vult, ac re ipsa ministrat, quanquam administratio ad finem acquirendæ pecuniæ referatur. Ludus hic, quanquam illicitus, veritati Sacramenti non officit; quia sinceram Sacramenti conferendi voluntatem involvit; ludusque, ut ita dicam sacramentali actioni extraneus, & adventitius est. Altero modo Sacramentum per ludum conferri dicitur, tanquam objectum ipsum quod luditur; dum nempe qui ludunt, Sacramenta conficere omnino nolunt, sed illudere. Eo planè modo, quo impii satellites, qui Christum purpura induebant, eidemque per derisum occinebant, *Ave Rex Judæorum*, regium illi cultum deferre minimè volebant, sed illudere. Ludus hic Sacramenti veritati penitus officit, quia sacramentali actui intimus est. Porro puer Athanasius priori tantum modo lusit unà cum sociis, si tamen eum lusisse concedamus: ex collato scilicet Sacramento oblectationem captabat, non ipsum Sacramentum illudebat; cum id omne infantili simplicitate gereret, bonoque per omnia esset animo.

Quibus & illud addiderim: Athanasium ex ipsa Ruffini, & Sozomeni confessione, haud ita tunc puerum fuisse atque tenellum,

lum, dum colludentes pueros dicitur baptizasse, quin veram propriamque posset intentionem adhibere; quippe catechumenus fuisse legitur: quo in ordine nonnisi grandiusculi, & penè puberes esse poterant. En tibi multis modis enervatum illum Lutheranorum, & Calvinistarum Achillem.

III. Non est cur exemplum alterum, a Calvino in erroris sui præsidium jactatum morer hoc loco, Isaaci scilicet, Jacob præter intentionem & mentem benedicentis: (Esau enim, non item Jacob benedicere intendebat) cujus tamen benedictio rata est habita, ubi deprehensus est error: *Benedixique ei, & erit benedictus*, *Gen.* 27. Missa enim quorundam Scripturæ Interpretum opinione, qui Isaaci benedictionem Jacobo datam, nullam fuisse putant, ut primùm est data, nempe ob errorem admissum; sed ut postmodum ab eo rata est habita, dum illi Jacobus innotuit: peregrinum exemplum illud esse dico, nihilque cum præsenti quæstione commune habere. Imò si penitius perpendatur, in ipsum vertitur disputantem. Quandoquidem Isaac certam veramque habuit benedicendi voluntatem; quam nullam in Sacramenta ministrantibus necessariam Calvinus existimat; etsi errore facti, eum, cui benedictionem impertitus est, putaverit Esau, qui verè Jacob erat. Eaque de caussa, rata subinde est habita benedictio, quæ ex destinata voluntate data fuerat. Quod perinde contingeret in præsenti, ratusque omnino Baptismus esset, si quis per errorem alium pro alio baptizaret. Quia baptizandi voluntas, atque intentio ad eum singulariter dirigitur hominem, super quem sacer ritus exercetur; quanquam errore, ut ajunt, *materiali*, alter putetur esse, quam re ipsa sit.

IV. Multò minus alterum hìc morabor exemplum, a nonnullis inconsultè laudatum, Dioscori scilicet Architheatri, quem in theatro tota nugacitate ludentem, Christianisque sacrilegè insultantem, baptizatum effutiunt; quo tamen baptismate ejus fuerit deleta nugacitas; ipseque fidelis sit effectus, Christique gratiam consecutus: Ut memoriæ prodidit Augustinus *Epistola* 227. *ad Alipium*.

Nec enim res ita se habuit ut obtendunt; historiamque ii mutilant dum exscribunt. Fuerat quidem Dioscorus *Architheater*, seu Comœdorum caput & dux, Christianamque religionem, sacrumque baptisma sæpius luserat in theatro; at non ultra ludebat, nec artem ludicram exercebat, dum sacro baptismate tinctus est; imò concepto antea voto Christianæ Religionis amplectendæ, si filia sua extremo morbo laborans convalesceret, voti compos tandem effectus, post aliquas cunctationes, ruptasque miraculis moras, conversus erat ad Christum, scenæque ac thea-

tro valedixerat. Audi Augustinum rem totam ut gesta est enarrantem. *Archibeater Dioscorus Christianus fidelis est simul* (cum Gabiniano) *gratiam consecutus. Audi etiam quomadmodum:* (*Neque enim cervicula illa, vel lingua, nisi aliquo prodigio domaretur.*) *Filia ejus, in qua unica acquiescebat, ægrotabat, & usque ad totam desperationem salutis temporalis, eodem ipso patre renunciante, pervenit .... Dicitur ergo ille senex tandem conversus ad implorandam Christi misericordiam, voto se obligasse, Christianum fore, si illam salvam videret: factum est. At ille quod voverat dissimulabat exolvere: sed adhuc manus excelsa. Nam repentina cæcitate suffunditur: statimque venit in mentem unde illud esset: exclamavit confitens, atque iterum vovit, se recepto lumine impleturum esse, quod voverat. Recepit, implevit; & adhuc manus excelsa. Symbolum non tenuerat, aut fortasse tenere recusaverat, & se non potuisse excusaverat: Deus viderat. Jam tum post festa omnia receptionis suæ, in paralysim solvitur, multis, ac penè omnibus membris, & etiam lingua. Tunc somnio admonitus confitetur per scripturam, ob hoc sibi dictum esse accidisse, quod symbolum non reddiderit. Post illam Confessionem redduntur officia omnium membrorum, nisi linguæ solius: se tamen didicisse symbolum, ideoque memoria jam tenere, nihilominus in eadem tentatione literis fassus est: sicque omnis est ab eo deleta nugacitas; quæ, ut scis, multum decolorabat naturalem quandam ejus benignitatem, eumque insultantem Christianis faciebat valde sacrilegum.*

Quid ni quoque dicamus, non omnino certum esse, Dioscorum *Archibeatrum* seu comœdorum caput, ac ducem extitisse, Christianamque religionem aliquando in theatro lusisse? Quandoquidem Religiosissimi, doctissimique Ascetæ Benedictini, qui castigatissimam D. Augustini Operum editionem curarunt, cubare sub mendo veteres hujus Epistolæ editiones existimant, ac pro *Archibeater*, ex variorum Codicum fide, legendum admonent *Archiater*, hoc est, *Medicorum princeps*: qui Christianæ religioni, dum ab ea esset aversus, sæpius insultasset, procacique lingua, dicteriis, salibus plurimùm nocuisset; donec salutari unda omnis ab eo deleta nugacitas est. Quisquis tamen Dioscorus ille fuerit, seu *Archiater*, seu etiam *Archibeater*; Baptismum citra jocum omnem ac ludum, in Paschate solemniter suscepisse convincitur. Quare nihil ex facto illo, in gratiam Protestantium extundi potest, Baptisma scenicum ac theatrale validum contendentium.

CA-

CAPUT IV.

Aliis Heterodoxorum Momentis occurritur.

I. NIhilo plus movet, quod ex Innocentio IV. Romano Pontifice, catholico dogmati opponit Kemnitius, quasi intentionem faciendi quod facit Ecclesia, inutilem pronunciarit, *in* 3. *Decretalium tit. de Baptismo, & ejus effectibus Cap. si quis puerum*. Innocentii verba hæc sunt: *Non est necesse, quod baptizans gerat in mente facere quod facit Ecclesia: imò si contrarium gereret in mente, scilicet non facere quod facit Ecclesia, sed tamen facit, quia formam servat, nihilominus baptizatus est.*

At & hoc ipsum quod prima fronte videtur efficacissimum, nihil in gratiam erroris evincit. In primis ea Innocentii IV. sententia, quævis tandem illa sit, privati Doctoris est, non Romani Pontificis, nec in Juris Canonici partem venit. Nondum enim Pontifex erat Innocentius IV., sed privatus Canonici Juris interpres, dum suos illos in Jus Canonicum commentarios adornavit. Secundò *internam* duntaxat intentionem, ut inutilem respuit Innocentius; unde ait, *Non est necesse ut gerat in mente*: non *externam* explodit, quæ seria externi ritus celebratione continetur. Quare in Ambrosii Catharini sententiam, de qua nobis erit in sequentibus disputandum, inclinat potius, quam in recentium Sacramentorum errorem.

Ceterum Innocentium *externam* saltem intentionem, in seria sacri ritus celebratione positam, quam Lutherani respuunt, agnovisse, ex eo liquet, quod verbis in objectione recitatis statim addat, *dummodo baptizare Minister intendat*: quod a Kemnitio non sine ingenti fraude suppressum est, ut fidentiùs locum illum, in sui præsidium erroris nobis objiceret.

II. Ejusdem fortis est quod ex Iuris doctrina opponitur a nonnullis, occasione videlicet protestationis ab Episcopo fieri solitæ, antequam sacras ordinationes solemniter obeat. Solet nimirum Episcopus, in ipso generalis ordinationis proludio, publicè denunciare, nolle se quemquam excommunicatum, aut alium quemcunque debitis titulis destitutum sacris ordinibus initiare. Nihilominus si quis fortè in ordinandorum numerum irrepat excommunicatus, aut debitis titulis destitutus, sacerque ordinationis ritus super eum peragatur, hunc verè ordinatum jura decernunt. Quandoquidem

illum suspensione, & excommunicatione plectunt, non secundò ordinandum decernunt. Est igitur valida ordinatio, absque Ordinatoris intentione, imò repugnante illins voluntate.

Nihil id adversæ parti suffragatur. Quanquam enim ita protestetur Episcopus, non tamen eo casu intentio deest, id efficiendi quod facit Ecclesia. Quia protestatio ab Episcopo fieri solita, comminatoria duntaxat est, & juris externi: ac tum postea, dum operi manum Episcopus admovet, contrario actu in singulari uniuscujusque initiatione retractatur, saltem quoad intentionem externam, in feria liberaque sacri ritus celebratione positam; cum omnes perinde seriò, & liberè sacris initiet: quanquam interior illi fortè, quoad pauculos illos temerè irrepentes, desit intentio.

Quibus & illud addi potest: Non omnino verum esse quod opponitur, Episcopum scilicet in proludio ordinationis, publicè denunciare, nolle se quemquam excommunicatum, aut alium quemcumque debitis titulis destitutum ordinibus initiare. Sed Archidiaconus Episcopi nomine eos excommunicatos declarat, qui debitis titulis destituti, per fraudem & dolum, ad ordines suscipiendos accederent; ut ea comminatione quoscumque debitis titulis destitutos procul arceat & avertat. Quare dum subinde Episcopus ad singulos illic præsentes initiandos accedit, omnes ac singulos dignos reputat & idoneos: atque ita certum habet mentis propositum, veramque intentionem omnes ac singulos initiandi.

Ceterum si in proludio ordinationis declararet Episcopus, protestationem *de non initiandis intrusis*, non ad terrorem duntaxat a se fieri, sed absolutè atque simpliciter, ad excludendam intentionem; ipseque eandem illam *intrusos non ordinandi* voluntatem retineret, dum re ipsa solemnis ordinationis ritum exercet; nulla tunc intrusorum, si qui fortè essent, ordinatio fieret: essentque illi non modò excommunicati atque suspensi, sed omnino non ordinati: ut anno 1586. die 24. Januarii a Sixto V. Pontifice maximo pronunciatum fuisse, refert Prosper Fagnanus 1. *part. lib.* 5. *Decretalium*, *Cap. tuæ litteræ*, *Tit. de Clerico per saltum promoto*. Quia eo in casu omnis Episcopo intentio deest, tam externa quam interna: cum ea intrusos non ordinandi voluntas, occulta secretaque non fuerit, sed ex præmissa declaratione manifesta.

III. Erit fortasse qui fidenter objiciat: Sacramentum a Ministro dormiente, & ebrio ministratum, tunc saltem validum esse, si antea mente sanus, ac vigilans, illius administrandi propositum iniit. Quemadmodum homo ebrius, aut dormiens, homicidium *formale*, quod ajunt, cujus nempe verè sit reus, perpetrare censetur, si eum occidat, quem sanus, & vigilans occidere constituerat. Porro homo dormiens, aut ebrius nullius intentionis est capax;

pax; igitur potest Minister, sine ulla penitus intentione, Sacramentum aliquod ministrare. Unde *Canone dedit*, *dist.* i. *quæst.* 1. ex Augustino habetur, *quos baptizat ebrius*, *baptizat Christus*.

Verùm advertat, quæso, quisquis id objecerit; nihil momentum illud evincere, in gratiam Systematis Protestantium. Ii quippe nullam prorsus in Ministro postulant intentionem, ad Sacramentum validè administrandum: ille verò qui ebrius, aut dormiens id agit, quod antea sanus & vigilans agere constituerat, intentionem sin minus actualem, aut virtualem, at certè habitualem, & interpretativam, ut Schola loquitur, habere censendus est, ratione videlicet consilii, & propositi præcedentis: quare nihil inde in gratiam Protestantium extundi potest.

Sed nec quidquam inde colligitur, adversus communem Theologorum sententiam, qui ad validam Sacramenti administrationem, habitualem, & interpretativam intentionem sufficere negant, virtualemque ut ut minimum postulant. Negamus enim Ministrum dormientem, aut ebrium, Sacramentum validè collaturum, etsi antea sanus, ac vigilans, conferre illud proposuisset, ac destinasset: quanquam minimè negemus, hominem ebrium, aut dormientem, homicidii reum fore, si eum occideret, quem sanus, ac vigilans occidere constituisset. Ingens quippe inter utrumque discrimen est. Minister siquidem, ut validè Sacramentum administret, debet actum sacramentalem exercere, ut humanus est; adeoque debet actum velle, vel actu, vel virtute; quod sine actuali aut virtuali intentione non potest. Ut autem homo admissi peccati sit reus, non est necesse, ut vitiosum velit actum, atque deformem, ut actus humanus est; sed satis est, si illius amet objectum, aut etiam si illud amare dispositus sit: cum vel illa sola amandi dispositio, peccatum sit: & quicunque est ita affectus, ut libenter peccaret, si daretur occasio, corde jam peccat, atque affectu; juxta Christi Domini oraculum *Matth.* 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo*.

Canon autem *dedit* in objectione laudatus, sub mendo cubat patentissimo: aliterque legitur apud Augustinum, ex quo tamen desumtus dicitur. Sic enim *Tract.* 5. *in Joannem* habet SS. Doctor: *Quos baptizavit ebriosus*, *quos baptizavit homicida*, *quos baptizavit adulter*, *si baptismus Christi erat*, *Christus baptizavit*. Quid porro ebrium inter & ebriosum discriminis sit, nemo non videt; quamque sit iste necessariæ ad baptizandum intentionis capax, cujus ille prorsus est incapax. Quapropter SS. Doctor, missa præsenti de necessitate intentionis quæstione, id unum eo loci de-

decernit, nec temperantiam, nec castitatem, nec probitatem, morum ullam Ministris esse necessariam, ut valida conferant Sacramenta, quæ Christus rata habeat atque valida.

IV. At ecce, inquiet aliquis: potest ebrius, aut amens, aut dormiens validè baptizari, si antea erat ita dispositus, ut Baptisma reciperet: ait enim de dormientibus, & amentibus Doctor Angelicus *in 4. sentent. dist. 6. quæst.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 3. *ad secundum: Si ante somnum, vel furiam ..... habuerunt propositum recipiendi Baptismum, & hoc per aliqua signa innotuit, tunc in articulo necessitatis debet eis conferri Baptismus, & suscipiunt Sacramentum, & rem Sacramenti, etiamsi furiosus tunc contradicat: quia illa contradictio non procedit a voluntate rationis, secundum quam est capax baptismalis gratiæ*. Quod idem habet Innocentius III. *Cap. Majores extra de Baptismo, & ejus effectibus*. Igitur pari titulo poterit ebrius, aut amens, aut dormiens validè baptizare, si antea erat ita dispositus, ut Baptisma conferret, propositumque conferendi conceperat.

Consecutionem negare mihi satis sit, disparemque suscipientium, & conferentium Sacramenta rationem dicere. Quanquam enim in suscipientibus Sacramenta, suscipiendi voluntas, atque intentio requiratur, non tamen absoluta requiritur, sed sufficit conditionata; quæ in ebriis, dormientibus, & amentibus esse potest: cum e contrario absoluta, qualis desideratur in conferentibus, in dormientibus, & amentibus esse non possit. *Sciendum*, inquit ibidem paulò supra Doctor Angelicus, *quod non requiritur in adulto voluntas absoluta suscipiendi quod Ecclesia confert, sed sufficit voluntas conditionata, sicut est in voluntariis mixtis*.

V. Nihilo pius Protestantibus favent nonnullæ Patrum sententiæ, quæ Sacramentorum formas suis materiis simpliciter applicandas videntur innuere, ad illorum plenam & integram confectionem, nulla licet accedente Ministrorum intentione, nullo proposito voluntatis. Qualis est illa D. Augustini, *Tractatu* 80. *in Joannem*, *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum:* Et illa Joannis Chrysostomi, *Homilia* 85. *in Joannem*, *Sacerdos*, (in conficiendis Sacramentis) *linguam, & manus præbet:* linguam scilicet, ut formæ proferat verba; manus, ut certam materiam adhibeat. Nihil inquam Protestantibus favent: quia Ministrorum intentionem, in conficiendis Sacramentis nequaquam excludunt, imò veriùs innuunt eo in opere pœnitus necessariam. Cum enim ex Augustino *verbum ad elementum accedere debeat*, per humanam actionem, quæ scilicet libera sit, & ex dictamine rationis; debeatque perinde Sacerdos, juxta Chrysostomum, *linguam, & manus præbere*, tanquam *Mysteriorum Dei dispensator*, ut loquitur Apostolus

ftolus 1. *ad Cor. cap.* 4. quis non videat id totum sine intentione, voluntatisque proposito præstari non posse?

Nec est quod reponat aliquis, posse Sacerdotem Mysteriorum Dei seu Sacramentorum *dispensatorem* esse certissimum, qui vera rataque conferat Sacramenta, quamquam nullam in iis administrandis intentionem adhibeat; uti potest divini verbi dispensator efficacissimus fieri, qui audientium animos rapiat, atque ad fidem convertat, etsi nullam in prædicando intentionem haberet. Aliter quippe fit dispensatio Sacramenti, aliter dispensatio verbi Dei. Sacerdos Sacramentum re ipsa conficit, dispensando; Divinum autem Verbum, non conficiendo, sed simpliciter nunciando dispensat. Nec enim Dei Verbum a prædicante conficitur, sed habet integrè a se ipso quod sit, audientesque commoveat, rapiat, ac devinciat; cum contra Sacramentum humana ac libera Ministri operatione conficiatur.

VI. Mitto palmare Lutheri Argumentum, quo is Ecclesiam Catholicam sibi videtur impetere, ex aliis ejusdem erroribus derivatum: dum inquit, Dei verbum, quacunque intentione proferatur, fidem in audientibus excitare, suumque effectum ex æquo sortiri: atque ita verba, quibus Sacramenta conferuntur, efficacia fore, tametsi qui profert, nihil animo volvat, aut aliquid nefarium meditetur. Mitto, inquam, hoc Argumentum, quod ex altero aliàs a nobis confutato errore derivetur: illo scilicet, quo verba, queis Sacramenta conficiuntur, concionalia esse fabulatur Lutherus, minimè verò consecratoria. Do ergo ut libet, ut lubet, verba concionum, quovis animo proferantur, eadem excitandi, ac movendi virtute pollere, quia vim suam omnem ex indita sibi significatione sortiuntur: at consecrationis verba non item; quæ vim ex proferentis instituto mutuantur. Hujus porro generis ea esse, quibus Sacramenta constant, alia nos occasione demonstravimus.

Pari fidentia ac libertate alteram mitto nonnullorum Disputatorum argutiam, istis fermè verbis, in gratiam Lutherani systematis solitam decantari. Ecclesiæ Græcæ Sacerdos, inquiunt illi, verba hæc in Missæ celebratione pronuncians, *hoc est corpus meum*, intentionem non habet faciendi quod vera facit Ecclesia, dum Eucharistiam per suos consecrat Sacerdotes & administros; cum iis verbis consecrationem re ipsa perfici non existiment Græci, sed sequenti duntaxat, quam recitant, oratione: & tamen perinde validè consecrat Græcus Sacerdos. Non ergo ad certam validamque hujusce Sacramenti confectionem, Ministri desideratur intentio. Ecquis enim puram putamque æquivocationem non videat rideatque? Non intendit quidem Græcus Sacerdos, per hæc sola verba *hoc est corpus meum*, Eucharistiam consecrare; vult tamen abso-

lute, ac simpliciter consecrare, dùm hæc ipsa verba pronunciat; quibus solis consecrandi vim non adscribit: atque adeo id re ipsa facere vult & intendit, quod vera facit Ecclesia.

Idem fermè in Ecclesia Latina quotidie contingit, in eorum administratione Sacramentorum, de quorum materiis formisque essentialibus, quænam scilicet illæ sint, Theologi disputant, puta Confirmationis, & Ordinis. Qui enim sentit Episcopus E. G. Confirmationis materiam esse manuum impositionem, formam verò orationem, septiformem Spiritus Sancti gratiam advocantem, is certè non habet intentionem confirmandi, per ipsam frontis Chrismationem, verbaque Chrismationi respondentia, *Signo te signo Crucis, Confirmo te Chrismate salutis*; cum istis non putet ipse essentialiter confici Sacramentum hoc; sed aliis antea memoratis: & tamen re vera perficit Confirmationis Sacramentum; etsi fortè ita sentiendo fallatur Episcopus, aliaque Sacramentum hoc materia formaque, tanquam partibus essentialibus constet. Quia licet per eam materiam & formam, Confirmationis Sacramentum, ex præconcepta opinione, conficere nolit; vult tamen absolutè simpliciterque conficere, dum materiam illam adhibet, formamque pronunciat.

Quo loco non omiserim observare, falli turpiter eos qui putant, Græcos Eucharistiæ consecrationem Christi D. verbis minimè tribuere, sed sequenti quam recitant orationi. Tribuunt planè: quamquam eorum verborum vim & efficaciam, per adjunctam orationem applicari contendant. Ita monet Nicolaus Cabasilus Græcus & ipse *lib. 4. de vita Christi cap. 30.*

VII. Restat pervulgatum Argumentum, quo intentionis necessitatem passim oppugnant Lutheranæ, & Calvinianæ sectæ Professores. Nempe inquiunt illi, si Sacramenti integritati, & efficaciæ necessaria dicatur Ministrorum intentio, gravia inde orientur incommoda, conscientiæ morsus propemodum infiniti. Siquidem penes impium Ministrum erit, ut nulla intentione adhibita, Sacramenta in cassum abeant, suoque effectu sint vacua: atque ita nemo unquam certò tenebit, verum se suscepisse Sacramentum; cum nulli de Ministri intentione constare possit.

Nemo Theologorum est, qui eam Lutheranorum, & Calvinistarum argutiam non exsufflet, brevi illo expeditoque responso: neminem scilicet in hacce mortali vita de suscepta justificationis gratia certum esse; amore ne, an odio sit dignus, scire neminem: atque ita nil mirum, si nemini quoque sit exploratum, verum se, ratumque a fideli, proboque Ministro Sacramentum excepisse: satisque proinde esse, si moralem ea de re certitudinem habeat. Habet porro quisquis ab Ecclesiæ Ministro Sacramentum suscipit.

Quia

Quia tametsi vis illius, & efficacia a conferentis intentione pendeat, hanc tamen ab illo fuisse adhibitam æstimare par est; meritòque credendum, Ecclesiæ Ministrum suas pro munere partes obiisse.

Cæterum non nisi moralem certitudinem de vero suscepto Sacramento fideles habere posse, fateantur oportet Calviniani, hac etiam missa quæstione, de necessaria intentione Ministri. Etsi enim ea non esset intentio necessaria, quis neget necessariam saltem esse propriam cujusque Sacramenti materiam, propriamque cujusque formam; ut stet ratum, ac validum Sacramentum? Quis autem spondere sibi certò potest, certitudine utique physica, veram propriamque suscepti Sacramenti fuisse materiam, veram etiam propriamque formam; nullamque in iis adhibendis fraudem fuisse a Ministris admissam, errorem nullum? Quis, inquam, certò sciat, num aquam naturalem, in conferendo Baptismate, potius quam rosaceam, aliamve quamcunque liquatam Minister adhibuerit? An triticeum potius panem, quam hordeaceum, aut siligineum, ad Eucharistiæ consecrationem sibi sumpserit? An evangelica verba, ad utriusque Sacramenti formam præscripta, ritè pronuntiaverit, aut quid aliud loco formæ secretò demurmuraverit? De his ergo non nisi moralem certitudinem habemus; qualem scilicet de vera adhibita a Ministris intentione habere possumus, dum suo in Ecclesia funguntur officio.

Sic sanè Theologi fermè omnes futilem Protestantium argutiam elidunt. Ad solutionis tamen cumulum, Ambrosius Catharinus Concilii Tridentini Theologus non ignobilis, ac postmodum Compsanensis Archiepiscopus, quo pleniùs insulsam argutiam confutaret, singulare quidpiam excogitavit; Systema celeberrimum, de externa, ut ajunt, intentione duntaxat necessaria in Scholas invexit; seu potius a nonnullis Theologis antiquis excogitatum, meliorem in lucem induxit. Contendit scilicet ille, vel ex hoc uno quod Minister Ecclesiæ seriò, omnique semoto joco Sacramentum forinsecus administrat, certos nos esse debere, ratum validumque (quoad intentionem attinet) esse Sacramentum; non modò quia præsumendum est, Ministrum Ecclesiæ, ita externè seriò ministrantem, internam quoque intentionem adjungere; verùm etiam quia sola illa intentio exterior, seriaque forinsecus ministratio sufficit, nulla licet accedente interiori intentione, ut stet validum Sacramentum: qua de re nobis est in sequentibus disputandum.

C A P U T V.

Ambrosii Catharini Systema de externa, ut ajunt, intentione proponitur, explicatur.

I. COnfutato recentium Hæreticorum errore, qui Sacramentum stare ajunt, tametsi joco, & derisione peragatur, omnique semota intentione id agendi quod agit Ecclesia; postulat officii ratio, ut qualis ea intentio esse debeat, paulò distinctiùs expendamus: celeberrimamque ea de re Ambrosii Catharini sententiam, ad exactum Theologiæ criterium revocemus. Primò tamen omnium, quia eam sententiam idcirco a multis impugnari video, quod a paucis intelligatur, hanc in bono lumine collocabo, ne fortè, quod sæpe fit, præpostero sensu accipiatur.

Catharini itaque sententia est, stare omnino atque valere Sacramentum, si Minister duntaxat intendat celebrare ritum illum externum, quem Ecclesia celebrat; illumque re ipsa liberè, seriò, omnique semoto joco exterius administret, materiam adhibens, formamque pronuncians, in iis maximè circunstantiis, ex quibus determinatur ad agendum tanquam Ecclesiæ Minister: nihilque obesse valori Sacramenti, si intus occulta mente contrariam intentionem animo gerat; nolitque clam, atque secretò actionem illam sacramentalem esse, qualem illam Christus instituit. Ita ille sententiam suam exponit Opusculo *de intentione Ministri*, quod pendente Concilio Tridentino, hac ipsa in urbe elucubravit. Cum contra alii plerique Theologi putent, Sacramentum irritum esse, nisi præter intentionem externi ritus celebrandi, seriamque ac minimè jocosam illius administrationem, interior etiam atque secretior accedat intentio, qua ritum illum velit esse sacramentalem, qualis est a Christo Domino institutus.

Mentem suam opportunis exemplis aperit Catharinus. Da E. G. Judicem, qui ridens ac inter amicos, & pocula ludum faciens, sententiam aliquam ferat; is certè judicium tulisse censendus non erit, nec reus joculari illa sententia putabitur absolutus, aut fortè damnatus. At si sedens pro tribunali, partibus auditis, servatisque publici juris formulis, voce gravi, vultu, habituque senatorio, seriò, liberèque sententiam pronunciet; annon quæso judicium stabit, tametsi intus fortassis aliud animo volvat Judex, reumque occulta mente nolit absolvere?

Da

Da pariter, si lubet, virum aliquem, qui coram Judice juramentum emittat, liberè serioque, juxta præscriptas juris formulas; qui tamen intra semetipsum occultam intentionem retineat, eo se juramento nullatenus obligandi: annon jurisjurandi religione tenebitur; palamque exsibilabitur, si fortè postea dicat, quod olim ajebat nescio quis, *Juravi lingua, mentem injuratam gero?*

Tales tibi Ministros exhibet Catharinus, ritum externum liberè, serioque celebrare volentes, ac re ipsa seriò celebrantes, in iis maximè circunstantiis, ex quibus determinantur ad agendum tanquam Ecclesiæ Ministri, illiusque nomine. Hos validè Sacramenta conficere docet, licet intus occulta mente Sacramenta, uti Sacramenta conficere nolint, totumque quod exterius agunt, secreta mente retractent.

II. Quare Ambrosio Catharino gravem injuriam irrogant, qui nihil illum a Calvini, & Lutheri sententia distare ajunt. Distat enim verò longè maximè, ac quantum distat ortus ab occidente. Illi quippe Sacramentum ratum effutiunt, tametsi ministrare nolit, sed irridere, illumque palam, aperteque ludat, vertatque ludibrio. Undè Sacramentum theatrale, ac scenicum, ratum validumque contendunt. Catharinus e contrario externi ritus seriò ministrandi intentionem postulat, seriamque administrationem externam exigit, qualis a Ministro solemniter, & publicè ministrante præstatur; illiusque efficaciæ nihil officere ait, contrariam voluntatem Sacramenti penitus irritandi; modò occulta sit, atque secreta, nulloque externo signo se prodat. Undè & Marcus Antonius de Dominis, Lutheranæ sectæ professor, *Lib. 6. de Republica Ecclesiastica Cap.* 12., ubi perversum hæreticorum dogma adstruit, atque defendit, Catharinum a sua, & Lutheranorum sententia prorsus alienum agnoscit.

Imponunt pariter Catharino qui inquiunt, nullam eum intentionem veram agnovisse faciendi quod facit Ecclesia; aut certè eum intentionem duntaxat externam posuisse, quæ nihil re ipsa sit quàm ipsemet actus exterior. Putida calumnia est, ex mero æquivoco derivata. Quanquam enim intentio a Catharino desiderata, *externa* vulgò dicatur, ratione nimirum objecti sui, quia spectat ritum externum seriò celebrandum, qui ab Ecclesia celebratur; interior nihilominus intentio est ratione principii; cum sit deliberatus mentis actus, quo Minister ritum illum externum celebrare constituit. Eum enim seriò non celebraret, nisi celebrare re ipsa vellet: quandoquidem totum id facere dicitur, liberè non coactè, publicum in Ecclesia Ministerium exercens. Undè id aliqui aliis verbis dicunt, eundem planè sensum habentibus: desiderari scilicet in Ministro intentionem faciendi quod facit Ecclesia; cujus tamen intentionis obje-

objectum sit ritus externus, seriò ac liberè peragendus, non vis, & efficacia ritus ipsius.

Est ergo in hypothesi Catharini interna, veraque intentio externi ritus seriò peragendi, quem Ecclesia peragit, atque frequentat: tametsi occulta alia intentio animo delitescat, qua id ipsum quod exterius, seriòque peragit impius Minister, nullum irritumque, ac minimè sacramentale velit esse. Est, uno verbo dicam, ea in hypothesi intentio faciendi quod facit Ecclesia, quam postulat Concilium Tridentinum: sed de sola illius intentionis qualitate, deque illius objecto, (ratione cujus externa pro more dicitur) unicè disputatur. Quare duo sibi probanda sumit clarissimus Auctor: primùm, illius intentionis objectum esse ritum sacramentalem externum, tali materia, ac forma constantem: alterum, Ministrum ritum hujusmodi celebrandi intentionem habere, ex hoc ipso quod illum seriò ac liberè celebrat. Quomodo enim seriò & liberè celebraret, nisi celebrare intenderet? Cum omnis actus liber, ac serius, nonnisi ex judicio rationis, & voluntatis electione procedat.

III. Sic igitur exposita Catharini sententia, & a malignis interpretamentis vindicata, in eam ego pedibus, manibusque venio; illamque omni argumentorum genere vindicandam aggredior; non unius Catharini præsidio tutus, quem satis aliunde novi liberioris ingenii Theologum; sed tot aliunde Theologorum, & Juris Canonici peritorum auctoritate communitus, qui hoc idem ante Catharinum, ac etiam post illum summa consensione docuerunt. Præiverant siquidem Catharino, in eo tradendo systemate, Magister sententiarum, Præpositivus, Petrus Cantor, Robertus Pullus Cardinalis, Petrus Paludanus Patriarcha Hierosolymitanus, Innocentius IV. R. P., Sylvester Prieras Sacri Palatii Apostolici Magister, Angelus Clavasius, Chrysostomus Javellus, aliique nonnulli, quorum nomina mihi exciderunt. Eundem subinde sequuti sunt Alphonsus Salmeronius, Joannes Vignerius, Marius Scribonius, Zacharias Pasqualigo, Jacobus Santabovius, Antonius Arnaldus, Vincentius Contensonius, Gaspar Ieuninus, Franciscus Genettus, Natalis Alexander, vir in omni scientiarum genere ornatissimus, & sine controversia hujus ævi summus, (quo Magistro glorior ac triumpho) aliique benè multi Sorbonicæ scholæ Magistri. Ut hinc jam in antecessum nosse liceat, quàm temerè, quàm audacter sententia a tot Magistris, probatisque Doctoribus asserta, atque defensa, a nonnullis uti periculosa sugilletur, censurisque amarioribus inuratur. Maximè cum laudatorum Doctorum unus sententiam hanc anno *1649*. Romæ defenderit publicè, edito typis Libro, a Reverendissimo Sacri Palatii Apostolici Magistro *Vincentio*

Can-

Candido, aliisque Curiæ Censoribus approbato: in quo Thesim hanc propugnandam sibi sumit, quæ Catharini systema nullo fuco tectum, atque dissimulatum, (quod ad minuendam invidiam faciunt aliqui) sed ingenuè candidèque repræsentat; *Dicendum est sufficere intentionem, quæ moveat Ministrum ad proferenda verba supra determinatam materiam, quam adhibeat simul cum ritu Ecclesiæ, & in hoc salvari intentionem faciendi quod facit Ecclesia; ita ut stante tali intentione, etiamsi adesset intentio Ministri non conficiendi Sacramentum, adhuc conficeret*. Ita Zacharias Pasqualigus, *in sacra morali Doctrina*, *Disput.* 72. *de Ministro Sacramenti Sec.* 4. Sed hæc proludii loco sint, jam ad expositæ sententiæ vindicationes accedo.

CAPUT VI.

Catharini sententia Concilii Tridentini auctoritate firmatur ; Ecclesiæ legibus , moribus , & usibus stabilitur ; latis olim ac nuper judiciis comprobatur : domestici impugnatoris effugia occupantur .

I. Fossa mihi, & vallum erit , in ea vindicanda sententia , Concilium Tridentinum, cujus mens eo studiosiùs perquirenda est, quod hæresim Lutheranam , & Calvinianam , a qua nihil Catharini systema distare ajunt æmuli obtrectatores, ex instituto damnarit. Sanxit itaque Tridentina Synodus *Sess.* 7. *de Sacramentis in genere Can.* 11. *requiri in Ministro intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia:* Tum verò *Sess.* 14., quæ est *de Sacramento Pœnitentiæ Cap. 6.* paucis exponit , quandonam ea intentio in pœnitentiæ Ministro deesse censeatur ; aitque id accidere , *si Sacerdoti animus seriò agendi , & verè absolvendi desit ;* adeo ut pœnitens Sacerdotem jocosè absolvere , & non seriò agere deprehendat : additque , *Pœnitentem illum salutis suæ negligentissimum esse, qui Sacerdotem joco absolventem cognosceret , & non alium , seriò agentem sedulò requireret .* Igitur intentionem illam sufficientem judicat sacra Synodus , quæ in voluntate sacri ritus seriò celebrandi consistit ; adeo ut Minister nullo externo signo adversam intentionem adstantibus prodat ; seu., quod idem est , *Animum* in Sacerdote postulat sacra Synodus *verè absolvendi ;* animum inquam externum , seria scilicet sacri ritus celebratione manifestatum , atque expressum, ut loquitur D. Thomas ; cujus animi defectus a pœnitente deprehendi possit.

Et certè pravam, si fortè contingat, Ministri intentionem tunc tantum officere Sacramento docet sacra Synodus , cum potest a pœnitente deprehendi. Porro a pœnitente , aliove quocunque adstante deprehendi non potest, quandiu secretior illa est , interior, menteque abdita , interimque ritus externus seriò liberèque peragitur. Itaque secretam, occultam, internamque Ministri intentionem, externæ seriæque celebrationi contrariam, nihil re ipsa officere Sacramento , docet sacra Synodus Tridentina . Quæ vera germanaque Catharini sententia est.

Hanc ipsam consecutionem intulit Cardinalis Pallavicinus *Lib.* 12. *Historiæ Concilii Tridentini Cap.* 10., ubi ea sacræ Synodi verba pon-

ponderans, ita scribit: *Ex his verbis conjicere potest quisquis ea legerit, non esse rejectam sententiam Catharini, aliorumque Theologorum opinantium sufficere, ut ratum sit Sacramentum, voluntatem in Ministro seriò agendi; valorique Sacramenti duntaxat obesse jocum, quem ipse Sacramentum suscipiens cognoscere possit.* Quid ad hæc audaciores Aristarchi, qui Catharini sententiam a Tridentina Synodo proscriptam indesinenter occentant?

Sed & ipse Historicus Eminentissimus æquior Theologo nostro fuisset, & consecutionem ex *Sessionis* 14. verbis, multò veriorem, & spontè fluentem elicuisset, si ejus sententiam non modò *non esse rejectam* observasset, sed & susceptam, firmatamque fuisse dixisset. Quandoquidem quod de seria minimèque jocosa Sacramenti administratione in ea Sessione scriptum est, (quo Catharini sententiam contineri fatetur Historicus) non modò a Patribus non rejicitur, sed uti Patrum ipsorum Sententia, atque Doctrina fidelibus traditur, quam teneant, quam sequantur.

Sanè Tridentinæ Synodi mentem exploratam habebit ea in parte, quisquis Lutheri errorem perspectum habebit, quem proscribendum sibi sumpsit sacra Synodus. Quis porro Lutheri error erat, nisi ille ipse quem Leo X. ex ipsius scriptis excerpsit, damnavitque una cum aliis ejusdem articulis? *Si Sacerdos* (Lutheri 12. articulus erat) *non seriò, sed joco absolveret, si tamen credat pœnitens se esse absolutum, verissimè est absolutus.* (*a*) Id ergo unum ex opposito sanxit sacra Synodus contra Lutherum, non stare videlicet Sacramentum, dum Sacerdos non seriò, sed joco rem sacram peragit. Atque adeo nihil postulat aliud, ad Sacramenti valorem, & efficaciam, quam ut seriò, & semoto joco sacrum ritum exerceat. Quæ ipsamet Catharini sententia est.

II. Et verò quis credat Ambrosium Catharinum, & Alphonsum Salmeronium, Tridentinæ Synodi Theologos, qui ejus condendis Canonibus allaborabant, ne ipsum quidem Canonum Tridentinorum sensum internovisse, ut proscriptum in eis Lutheranorum errorem de industria recuderent? Catharinus porro, qui ante habitam *Sess.* 7. suum illud *de intentione Ministri* Opusculum Tridenti elucubraverat, Patribus non improbantibus, illud idem quinto post anno, nempe 1552. Romæ typis edidit, sententiæ propositique tenax: tantumque abest, ut ejus occasione in aliquam erroris suspicionem venerit, aut ab æmulis suis, quos & multos & graves ex Instituto suo expertus est, ea de caussa fuerit lacessitus: quin potius, cum esset jam tunc Minoriensis Episcopus, ad Compsanensem Archiepiscopatum a Julio III. Pontifice Maximo translatus est, anno 1552. imò Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis se-

(*a*) *Apud Labb. Tom. 19. pag.* 1051.

ſequenti anno deſignatus, & ad purpuram induendam, Romam vocatus: quanquam ne eam indueret, præcoci per iter morte prohibitus ſit. Salmeronius verò, qui *Seſſioni* 7. præſens Theologus interfuerat, abſoluta demum ſacra Synodo, ſuos in D. Pauli Epiſtolas Commentarios adornavit; in quorum *Lib.* 1. *part.* 3. *diſp.* 2. *pag.* 186. qua quærit *an Eccleſia Catholica cognoſci poſſit*, hanc ipſam ſententiam de externa, ut vocant, Miniſtri intentione, ad Sacramenti efficaciam ſufficiente, defendit acriter, & prolixè, meliorique quam Catharinus ipſe, in luce ponit: Quodque notandum magis, Tridentinæ Synodi definitioni *Seſſione* 7. latæ congruentem oſtendit.

Sic enim ſententiam aperit ſuam: *Advertendum duplicem poni intentionem Miniſtri conferentis Sacramentum; alteram quidem publicam, & Eccleſiæ ipſius, cujus miniſterio perfungitur, quicunque ille ſit, qui Sacramentum diſpenſat. Hæc autem intentio ſatis exprimitur in ipſis Sacramentorum formis, ut* Ego Te baptizo, ... Ego Te abſolvo, ... Hoc eſt corpus meum &c. *Intendit enim Eccleſia Catholica, ſicut & Chriſtus Sacramentorum auctor, per ejuſmodi verba baptizare, abſolvere, & panem in Chriſti Corpus convertere. Hæc autem intentio inſeparabilis eſt ab ipſis verbis, ſi integrè, ut debent, proferantur. Et ideo Miniſtri ſoliciti eſſe debent, ut formam ipſam integrè pronuncient, nec illam aliquo verbo contrario vitient, quo ſic perficiant Sacramentum, & Sacramenti effectum dignè accedentibus conferant. Altera verò intentio privata eſt, & particularis ipſius Miniſtri, qui aut nihil credit eorum, quæ facit, aut deriſoriè facit, aut contrariam habet intentionem non conferendi Sacramenta, aut ejus effectus, etiamſi Sacramentum in forma Eccleſiæ conſueta adminiſtret. Hæc intentio privata etſi neceſſaria ſit, ne Miniſter peccet, ut conformetur intentioni Eccleſiæ; tamen tam fortis, aut efficax non eſt, ut vitiare Sacramentum poſſit.* Hæc ille ſub ipſum agitatæ quæſtionis initium; quæ multis ſubinde momentis evincit, ac probat. Cumque ſub finem, Canonem undecimum Seſſionis ſeptimæ Concilii Tridentini objiciat ſibi, quo ſancitum eſt, neceſſariam eſſe in Miniſtro intentionem faciendi quod facit Eccleſia, brevi verbo reſpondet: *Dicendum eſt, quod ſi intentio illa, ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia, debet eſſe pars Sacramenti, non debet eſſe illa cordis interna; & privata ipſius Miniſtri, ſed publica, quæ verbis ipſis exprimitur: ut*, Ego te baptizo &c.

Quæ omnes conſiderationes, ſacræ Synodi Tridentinæ mentem, atque ſententiam, de externa ut aiunt Miniſtri intentione, ad Sacramentorum efficaciam ſufficiente, meridiana in luce ponunt.

Patrum Tridentinorum mentem, in Catharini Syſtema propen-
ſam

sam & inclinatam ostendit probatque luculentiùs, quod a laudato jam Cardinali Pallavicino narratur factum, observatione dignissimum; ut ora tandem sua comprimant Catharini osores, & in ejus sententiam desinant allatrare. *Cum*, inquit, *excitata fuisset nescio quæ contentio litteraria, inter Catharinum, & sacri Palatii Apostolici Magistrum; oppositisque invicem libellis litigarent: rogatus est a Legatis summus Pontifex, palatii sui Magistrum moneret, ut ab inferenda alteri molestia desisteret, affirmantibus illis, vitam & doctrinam Catharini ab omnibus commendari. Lib. 9. Hist. Cap. 6.* Quo ex facto *Confici*, ait purpuratus Historicus, *opiniones a Catharino defensas Patribus Sacri Concilii haud suspectas fuisse, nec illis fuisse in animo eas proscribere*. Imò si rectè colligis scriptor Eminentissime, hinc planè conficitur, opinionem hanc saltem a Catharino defensam, cujus occasione molestiam illi creabat aliquam Palatii Apostolici Magister, non modò non fuisse Tridentinis Patribus *suspectam*, & ab iis minimè *proscriptam*; sed fuisse potiùs plenis suffragiis approbatam; cum eam Legati Pontificii dixerint *ab omnibus commendatam*. Annon enim plus est doctrinam aliquam commendari, quam non suspectam haberi, indemnemque relinqui?

III. Suffragatur eidem Catharini sententiæ, ac nostræ, vetus & constans Ecclesiæ Catholicæ disciplina. Cum enim Baptismata irrita, imò etiam dubia, & suspecta, iteranda esse jam dudum Ecclesia definierit; omni retro ætate, variorum eventuum occasione, diligentissimè a sacris Conciliis, summisque Pontificibus conquisitum est, quænam irrita, quænam etiam dubia, suspectaque essent. Nulla sæpius pronunciata sunt ea, queis materia debita, præscriptaque forma non fuissent a Ministris adhibitæ. Nulla & illa, quæ joco, & mimicè conferrentur. Nulla etiam illa, quæ ab ebriis, & energumenis administrata fuissent. Dubia illa dicta sunt, in quinto Concilio Carthaginensi, quorum non adessent legitimi testes. Suspecta & illa, quæ ab iis Hæreticis conferebantur, qui de Trinitatis Mysterio malè sentirent: non quod fides Ministri ad Baptismi valorem sit necessaria; sed quod periculum esset, ne Trinitatis invocationem intrusis erroribus vitiarent. Nusquam tamen omni retro ætate quæsitum video, ad explorandam Baptismatis, alteriusve Sacramenti integritatem, num Minister sceleratus, & impius, qui ritum externum seriò, omnique semoto joco ministraverat, internum quoque secretumque perficiendi Sacramenti propositum adhibuerit. Numve externam illam intentionem, quam seriâ rei sacræ tractatione prodiderat, contrario mentis actu tacitè revocaverit. Cum tamen in tanta impiorum Ministrorum turba subóriri dubitatio posset, num aliquis eo impietatis, & nequitiæ

 deve-

devenisset. Quorsum ea de re nusquam est instructa quæstio, si valido Baptismati, alterive Sacramento conferendo, satis non est intentio illa, quæ seria, minimèque jocosa ritus externi tractatione continetur? Si secretæ illæ, occultæque impiorum Ministrorum retractationes Sacramentum irritum faciunt?

Neque verò audiendi qui dicunt, idcirco Ecclesiam de ea secreta, occultaque intentione Ministrorum nunquam quæsiisse, quia de occultis minimè judicat. Quanquam enim de occultis Ecclesia minimè judicet quoad factum, judicat tamen quoad jus: hoc est, tametsi non judicet, an is, vel ille occultam intentionem habuerit, quod utique facti est; judicat tamen, an eam habere debuerit, ad valorem, & efficaciam Sacramenti, quod maximè juris est. Uti certè Ecclesia non judicat, an qui sacras in Templo preces fundit, internam mentis attentionem adhibeat; judicat tamen, an eam debeat adhibere, ut Deo grata sit ejus oratio.

IV. Quid plura? Nonnullorum Ministrorum Baptismata lato judicio probavit Ecclesia, qui ultra seriam externi ritus administrationem, vix ac ne vix quidem internam illam, secretamque intentionem habere potuerant, qua ritum illum, quem forinsecus seriò, semotoque joco tractaverant, Sacramentalem esse voluissent. Baptismum enim a Pagano, & a Judæo collatum, validum pronunciarunt Nicolaus I. R. P. *in Responso ad Consulta Bulgarorum Cap.* 104. & Gregorius II. *Epist. ad Bonifacium Episcopum, apud Gratianum Dist.* 4. *de Consecratione*. Res in confesso est apud omnes, ac patet ipsa per sese. Porro licet Paganus, & Judæus intentionem habere possint perficiendi ritum illum externum, quem fortè viderunt in Ecclesia nostra frequentari: secretiorem nihilominus intentionem habere non possunt, ritum illum perficiendi, uti re ipsa sacramentalem, taliumque effectuum (ut ajunt) operativum, & productivum. Cum nulla, ac frivola esse credant Ecclesiæ Sacramenta, effectuumque omnino vacua; Christumque impostorem per summum nefas existiment, qui nullam instituendorum Sacramentorum auctoritatem habuerit. Quemadmodum & ego vice versa intentionem quidem habere possum Circumcisionis ritum celebrandi, quem fortè fortuna vidi in Synagoga celebrari, aut sacris in Litteris descriptum legi; possumque planè eundem illum seriò, omnique semoto joco peragere; repugnat tamen ut eum celebrare velim, celebremque re ipsa, uti sacramentalem; cum eum sacramentalem modò non esse, fide teneam, & penitus abrogatum.

Et quidem Pontifices illi, quibus rata visa sunt Baptismata illa a Judæo, & Pagano collata, de prudenti quidem, seriaque materiæ, formæque administratione quæsierunt; de secreta verò, interna-

naque illorum intentione nequaquam; etsi ingens suspicio debuisset esse, eos illas nequaquam adhibuisse. Alteram igitur intentionem sufficere censuerunt, quæ in ipsa seria formæ pronunciatione importatur.

V. Invictum adeo argumentum, quo Catharini caussa maximè nititur, ut declinet domesticus adversarius, qui Exercitationem hanc nostram aggressus est impugnare, falsi mihi notam affricat: quasi Romanorum Pontificum Nicolai I. & Gregorii II. decreta falsò citarim, quibus Judæorum Gentiliumque Baptisma probassent. *Falsum est*, clamat ille, *quod Nicolaus I. loco citato illud approbet Baptisma, quod a viro religione Judæo fuerit collatum* . . . , . . *Falsum est Gregorium II. approbasse baptisma a Pagano collatum: quin potius ipsum apertè reprobavit*. Miror ego talia ausum perpetuum in cathedra S. Thomæ moralis Theologiæ Professorem: cum in ipsum D. Thomam veriùs quam in me recidat, quod mihi falsi crimen impingit. Is etenim 3. *part. quæst.* 67. *art.* 5. Judæos, atque Gentiles perinde posse validè baptizare (modò Ecclesiæ formam servent) evincit ac probat ex illis ipsis Nicolai & Gregorii Decretis seu Rescriptis. *Per Ecclesiam*, inquit, *determinatum est, quod non baptizati, sive sint Judæi, sive Pagani, possunt Sacramentum Baptismi conferre, dummodo in forma Ecclesiæ baptizent. Undè Nicolaus Papa respondet, de Consecratione dist.* 4. *ad consulta Bulgarorum lib.* 3. „ *A quodam Judæo, nescitis, utrum Christiano, an Pagano, multos in patria vestra asseritis baptizatos; & quid inde sit agendum consulitis. Hi profectò si in nomine SS. Trinitatis baptizati sunt, rebaptizari non debent* „ *Si autem forma Ecclesiæ non fuerit observata, Sacramentum baptismi non confertur. Et sic intelligendum est quod Gregorius II. scribit Bonifacio Episcopo:* „ *Quos a Paganis baptizatos esse asseruisti, scilicet Ecclesiæ forma non servata, ut de novo baptizes in nomine Trinitatis mandamus.*

Undè verò habes Professor eximie, non approbasse Nicolaum I. Baptismum a viro religione Judæo collatum: Eumdemque de viro duntaxat genere & ortu Judæo fuisse locutum, qui ad Christianam religionem conversus esset? Constare id inquis, ex hisce Rescripti verbis, *a quodam Judæo, nescitis utrum Christiano, an Pagano*. Falleris. Nec enim id vel leviter ostendunt verba hæc: sed illud solùm, nescisse Bulgaros, an qui tam multos in ipsorum patria baptizaverat, Judæus esset, an Christianus, an etiam Paganus. Quod & D. Thomæ, & mihi, ad caussam quam defendimus, abundè sufficit. Cum enim Baptisma, a qualicumque, seu Judæo seu Christiano seu Pagano collatum esset, validum pronunciaverit Nicolaus, illudque vetuerit iterari, modò in forma Ecclesiæ col-

collatum esset; illud certò relinquitur, probasse Nicolaum I. baptisma etiam a Viro religione Judæo, imò & a Pagano collatum.

Undè etiam habes Vir eximie, non approbasse Gregorium Baptisma a Pagano collatum; quin potius apertè reprobasse? Quia, inquis, *a Pagano baptizatos mandavit de novo baptizari*. Falleris & hìc multò turpiùs. Imò cum Gregorius rescripserit Bonifacio Moguntino Episcopo: *Quos a Paganis baptizatos esse asseruisti, scilicet Ecclesiæ forma non servata, ut de novo baptizes in nomine Trinitatis, mandamus;* eosque idcirco de novo jusserit baptizari, quod non esset in eis servata baptismatis forma; consequens omnino est, Gregorium illos e contrario de novo baptizari noluisse, verèque baptizatos judicasse, si fuissent in forma legitima baptizati. Atque adeo in ea illum fuisse sententia, posse Paganos absolutè validè baptizare. Quod unum ex Gregorii II. rescripto intulit D. Thomas, intulimus & nos, in adducta modò probatione Systematis Catharini.

De reliquo lepida est, atque festiva, quæ a te huic nostro Argumento assuitur distinctiuncula, ut vim ejus omni ex parte declines. Non posse scilicet, inquis, Judæum atque Paganum ritus illos exercere, uti sibi suæque sectæ Sacramentales & Sacros; posse tamen illos exercere, uti Sacros & Sacramentales nobis, Ecclesiæque Catholicæ; si eos tales nobis & Ecclesiæ esse cognoverint. Age enim, id absolutè & summè possint, quis dixerit eos velle, & revera facere, aut etiam moraliter posse, qui Ecclesiam nostram habent uti profanam? Illique ipsi Pontifices, qui ritus aliquos nostros ab illis exercitos probarunt aliquando, E. G. collata Baptismata, nusquam inquisiere, num illos uti nobis & Ecclesiæ nostræ sacros interna mente exercuerint. Quod illi quæsituri erant, si ritus illos, uti nobis & Ecclesiæ nostræ sacramentales & sacros, interna intentione exercendos censuissent, ut rati & validi haberentur. Sed pergamus ad reliquas probationes, ex Ecclesiæ praxi, & usu petitas.

VI. Certè num esset irritum Calvinistarum Baptisma, in Galliis dubitatum est olim, nonnullis in Neustria, & Provincia irritum opinantibus, quia, ut ajebant, *non habent Calvinistæ intentionem baptizandi, in remissionem peccatorum*. Re ad examen vocata, in Concilio Provinciali Rothomagensi anno 1581., & Aquensi anno 1585. Calvinistarum Baptisma ratum, validumque judicatum est. Cujus quidem judicii hanc rationem unicam dedere Præsules Galliarum: *Quia constabat Calvinistas in cœtu publico baptizare, in forma verborum, & materia a Christo instituta: nec de hoc facto ambigi poterat:* uti ferunt laudatorum Concilio-

ciliorum Acta. Satis igitur esse significarunt Præsules illi, si ritus integer peragatur prudenter, ac seriò, ut in publico Ecclesiæ cœtu fieri solet; eaque idcirco intentio adhibeatur, quæ joco opponatur, & ludo: nec de altera secretiori impiorum Ministrorum intentione quæsierunt, an ab illis adhibeatur, nec ne.

Equidem non inficior ego, Calvinianos eam quoque interiorem intentionem adhibere; eosque velle prorsus intimo corde hunc ritum, uti sacramentalem: at de hoc ipso, tanquam ad valorem Baptismatis necessario, minimè quæsierunt Galliarum Episcopi; satis superque fore arbitrati, si prudenter, ac seriò peragatur ritus externus. Neque obest, quod mihi non ita pridem insusurrabat Juvenis ornatissimus ad Calvinianorum Baptisma tanquam irritum rejiciendum: Unusquisque, ajebat ille, ut opinatur & sentit, ita & agit: at Calviniani vulgò opinantur ac sentiunt, non esse necessariam, in conferendo Baptismate, intentionem faciendi quod facit Ecclesia: igitur verisimillimum est, eos illam nequaquam adhibere: atque ita illorum Baptisma verisimiliter nullum est. Non inquam id obest: Quia tametsi Calviniani eam intentionem necessariam non existiment, ut Baptisma validè ministretur; eam tamen necessariam existimant, ut decenter, piè ac religiosè conferatur. Quare moraliter certi sumus, eorum Baptisma validum esse, utpote cum ea intentione ministratum, quam illi ad piam religiosamque administrationem, reputant necessariam.

VII. Dictis colophonem apponet nostræ hujus ætatis factum horrendum, quod ante annos circiter 80. Massiliæ contigit. Perditus Sacerdos, Parochialis Ecclesiæ Sanctæ Mariæ ab aquis fluentibus (vulgò *les acoules*,) Pastor, seu veriùs lupus inventus est, magicis artibus deditus, pactoque execrando diabolo obligatus; qui per annos admodum 20. quibus Parochiam rexit, seriò quidem oblatos sibi parvulos baptizabat, totumque ritum externum seriò peragebat; secretiori nihilominus intentione, totum quod agebat exterius, retractabat, infantesque, quos lustrabat, diabolo devovebat. Extremis vitæ metis admotus impius Pastor Ludovicus Gaufredus, (hoc illi nomen erat) peccatum fassus est publicè, factique pœnituit, atque ita e vivis excessit. Vix dici queat, quot inde nati scrupuli, quot conscientiæ morsus, in iis maximè, qui a nefario Ministro tincti fuerant; quorum & ego aliquos novi. De iterando Baptismate plurimi cogitabant. Quid tandem? Sententiam rogati Doctores Sorbonici, quid facto esset opus, pronunciarunt nihil esse iterandum, stetisse Baptismata rata, validaque; flocci que faciendam impii Ministri declarationem, qui post peractos seriò sacros ritus, postea nihil se conficere voluisse, pue-

puerosque diabolo devovisse dictitabat. Id enim in ejus potestate non erat, pueros diabolo devovere, effectumque Sacramenti impedire, administrato seriò, ac liberè Sacramento.

Secundùm D. Thomæ mentem Doctores Sorbonici pronunciarunt, *in 4. Sententiarum dist. 6. Quæst. 1. Art. 2. Quæstiuncula 2. Sacramentum autem Baptismi est, quo mediante acquiritur effectus Baptismi in anima baptizati: undè tunc est recta intentio, quando baptizans seu baptizatus Sacramentum ordinat ad effectum Sacramenti, qui est salus. Si ergo intentio adsit in Baptizante, quia intendit Sacramentum conferre, sed desit rectitudo quia ordinat Sacramentum ad finem indebitum, non propter hoc in recipiente impeditur perceptio Sacramenti, quia ad hoc fertur intentio baptizantis; neque effectus Sacramenti; quia mundatio interior a Ministro non est: unde ejus intentio* (prava scilicet, & occulta) *ad hoc nihil facit*, ad irritandum scilicet Sacramentum.

Idem secutis aliquot annis Doctores Sorbonici pronunciarunt, occasione Petri Lavardini Cenomanensis Episcopi; qui pariter morti proximus denunciaverat, nullum se sacris Ordinibus, occulta secretaque mente, initiare voluisse, tametsi sacros de more ritus seriò peregisset, adeo ut nullus perversam ejus intentionem occultam deprehendere potuisset. Et has tamen ordinationes ratas, validasque Doctores Sorbonici pronunciarunt.

De quibus lege Jacobum Santabovium in solutionibus Casuum Conscientiæ *Tom. 2. Casu 17.* ubi & hoc alterum memoriæ prodidit. Cum paucos ante annos Ecclesiæ Parochialis S. Ægidii sacrilegus Curio, Christianæ religionis tandem factus apostata publicè fassus esset, toto se pastoralis officii tempore, baptisma seriò quidem, prudenterque ministrasse; intus tamen, secretaque mente, totum quod forinsecus ageret, retractasse: in eo tamen stetere Baptismate quotquot ab eo fictè, ac simulatè tincti fuerant, consulta, ut credere par est, Academia Parisiensi: unaque omnium inventa est illustris fœmina; quæ, ut est sexus ille infirmus, ac debilis animo, baptizari secundò voluit, obtinuitque pro imperio: cæteri omnes susceptum Baptisma ratum, validumque tenuerunt.

Quid ad hæc æmuli obtrectatores, qui Catharini Sententiam tanto fastidio despiciunt? Facta enim hæc, lataque de illis Sorbonæ judicia in dubium verti nequeunt, suntque in Galliis nostris lippis & tonsoribus nota.

VIII. Iis exemplis ne victus superatusque videatur Domesticus Impugnator, tria subtimidè frigidèque reponit. 1. Ecclesiam Ceno-

nomanensis Episcopi ordinationes, & Parochi Massiliensis Baptismata iterari quidem, quasi nulla fuerint, non jussisse; sed & illa etiam, quasi rata fuerint, iterari non vetuisse. 2. Sacramenta illa fuisse a Doctoribus Sorbonicis rata ac valida pronunciata, quia æstimatum est, a Ministris fuisse collata, qui eorum duntaxat effectus, gratiæ scilicet collationem, & characteris impressionem simpliciter nollent; non qui Sacramenta ipsa, ut Sacramenta sunt, perficere occulta secretaque mente detrectarent. 3. Quia Ministris illis nullam se perficiendi Sacramenti intentionem internam habuisse declarantibus, nulla est data fides: quemadmodum viro in Matrimonio juncto nulla daretur fides, qui post initum in facie Ecclesiæ cum fœmina minus grata conjugium, a qua postmodum vellet abscedere, publicè affirmaret, se absque intentione interna consensum in matrimonium præbuisse.

Ad populum phaleras illas, non ad Theologos, maximè Gallos, quales esse gloriamur. In primis enim ex quo Ecclesiæ Præsules Sacramentum, de cujus nullitate mota lis erat, caussa cognita atque discussa non iterant, ratum validumque judicasse censentur; quin ultra necesse sit decretum aliquod edi, quo illud idem iterari prohibeant. Quod in allatis casibus contigisse norunt Galli Theologi omnes, maximè verò Cenomanenses, & Massilienses.

Insuper ex Responso Jacobi Santabovii, qui una cum aliis Doctoribus Sorbonicis in consultationem adhibitus fuerat, perspectum est, quæstionem tunc de Episcopo motam fuisse, *qui non modò nullam intentionem habuerat administrandi Sacramenti Ordinis, dum ritum ab Ecclesia præscriptum exercuerat; imò qui fassus erat, nullam se intentionem habuisse suscipiendi Ordinis Episcopalis, dum ipsemet fuerat inauguratus Episcopus*. Quare duplex tunc quæstio movebatur: prior quidem, num fuisset ille validè ordinatus Episcopus: altera, num fuissent alii ab eo subinde validè ordinati præsbyteri: quòd utroque casu interna secretaque defuisset intentio Sacramenti per se & absolutè perficiendi.

Eccur tandem, rogo te Professor eximie, Episcopo Cenomanensi, & Parocho Massiliensi, nullam se perficiendorum Sacramentorum intentionem internam habuisse, in mortis articulo declarantibus, fides nulla data fuisset; cum quæ in mortis vicinia confessio fit præteritarum culparum, nonnisi sincera, ingenua, candida esse possit? Nec est simile quod affers exemplum viri Matrimonio juncti, cui nulla datur fides, si consensum ad Matrimonium sibi defuisse declaret publicè. Is enim ad sui commodum protestatur, ut hoc pacto ab ingrata uxore possit abscedere. Nemo autem in judicio pro se suisque commodis testis accipitur.

pitur. Qui verò extremis vitæ metis admotus, Sacramenta ſacrilege, fallaciter, fraudulenter miniſtraſſe declarat, is certè contra ſe ipſum, atque ad ſui dedecus & infamiam atteſtatur. Unumquemque autem contra ſe ipſum, & ad ſui accuſationem, teſtem audiri & accipi, jura clamant.

C A-

CAPUT VII.

Hæc eadem sententia Doctoris Angelici suffragio, Romanorumque Pontificum judiciis confirmatur; alia domestici impugnatoris suffugia præcluduntur.

I. TAmetsi nunquam sese D. Thomæ juratum Discipulum præbuerit Catharinus; (quam ob caussam haud ita bene audit in Thomisticis Scholis) in hoc tamen quod expendimus, propugnando systemate, ita Sanctissimo Præceptori adhæsit intimè, ut mirari mihi subeat, vel unum de Schola Thomistica in contrariam sententiam abiisse.

Solam externi ritus seriò peragendi intentionem abundè sufficere, ut ratum sit, ac validum Sacramentum, palam adstruit D. Thomas 3. *part. Quæst.* 64. *Art.* 8. ubi de intentione Ministri ex instituto disputat in hæc verba: *Quando aliquid se habet ad multa, oportet quod per aliquid determinetur ad unum, si illud effici debeat. Ea verò quæ in Sacramentis aguntur, possunt diversimodè agi, sicut ablutio aquæ, quæ fit in Baptismo, potest ordinari & ad munditiam corporalem, & ad sanitatem corporalem, & ad ludum, & ad multa alia hujusmodi: & ideo oportet quod determinetur ad unum, id est, ad Sacramentalem effectum, per intentionem abluentis. Et hæc intentio exprimitur per verba, quæ in Sacramentis dicuntur.* Eam igitur intentionem sufficientem existimat Doctor Angelicus, quæ verbis ipsis exprimitur; non alteram postulat interiorem, & occultiorem, quæ quandoque sacrorum verborum expressioni repugnat.

II. At hæc levia, graviora sunt quæ sequuntur. Pergit Doctor Angelicus: cum enim in argumento secundo difficultatem sibi objecisset, quo pacto si Ministri intentio necessaria est, securitas nobis inesse poterit de suscepto validè Sacramento, omnisque scrupulus amovebitur; cum dubitari semper possit, num Minister veram habuerit perficiendi Sacramenti voluntatem: quid reponit ad hæc D. Thomas? An fortè quod reponere coguntur adversæ sententiæ vindices: nos scilicet de secreta etiam intentione Ministri moraliter esse certos; quia ex seria tractatione Sacramenti, quam videmus, præsumendum est, Ministrum Ecclesiæ rectè pro officio se gerere, internamque intentionem adhibere? Minimè gentium: sed Catharini Systema palam tuetur Doctor Angelicus. Ita quippe respondet ad 2. *Minister Sacramenti agit in persona totius Eccle-*

siæ, cujus est Minister. In verbis autem, quæ profert, exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti, nisi contrarium exterius exprimatur ex parte Ministri, vel Recipientis Sacramentum. Intentio igitur Ecclesiæ, Ministri verbis expressa, sufficit ad perfectionem Sacramenti; nec ei quidquam officit occulta mentis intentio contraria, nisi signo aliquo contrario exprimatur, juxta Doctorem Angelicum.

III. Scio esse Aliquos, qui cum nebulas ipsis solis radiis offundere malint, quàm apertissimæ veritati fasces submittere, ea D. Thomæ lucidissima verba cavillantur. Reponunt scilicet, sentire Doctorem Angelicum, intentionem Ecclesiæ, verbis sacramentalibus expressam sufficere, non quidem ad perfectionem Sacramenti simpliciter, sed ad securitatem suscipientis: quatenus ex illa intentionis expressione, moraliter certus est homo Sacramentum suscipiens, intentionem quoque interiorem Ministrorum adesse. Vah ludicrum interpretamentum, contextui e diametro repugnans! *Sufficit*, inquit Doctor Angelicus, *ad perfectionem Sacramenti;* festivi verò interpretes, *non sufficit*, inquiunt, *ad perfectionem Sacramenti, sed ad securitatem suscipientis;* textumque prorsus adulterant.

Verùm nihil apertiùs, ad absonum interpretamentum exsufflandum, mentemque Doctoris Angelici ab omni cavillatione vindicandam occurrit, quàm quod habet ille *in 4. Sentent. dist. 6. Quæst.* 1. *Art.* 2. *Quæstiuncula* 1. *ad* 2., ubi cum eandem sibi objectionem fecisset obviam, eodem prorsus responso diluit; sed lucidioribus verbis, quæ nullo possint glossemate declinari. *In Baptismo*, inquit, *& in aliis Sacramentis, quæ habent in forma actum exercitum, non requiritur mentalis intentio, sed sufficit expressio intentionis, per verba ab Ecclesia instituta. Et ideo si forma servatur, nec aliquid exterius dicitur, quod intentionem contrariam exprimat, baptizatus est.* Non igitur de securitate suscipientis tantùm, sed de valore Baptismi disputat D. Thomas. Tantumque abest, ut mentalem intentionem, hoc est, secretam illam, occultamque exigat, & de illa suscipientem securum esse dicat, dum expressionem intentionis exterius apprehendit, nti novi Interpretes obtendunt; quin potius mentali illa intentione ablegata, solam intentionis expressionem, quæ seria formæ prolatione continetur, necessariam existimat, ut stet validum Sacramentum.

Unde *Quæstione* supra laudata *tertiæ Partis Art.* 10. exponens quandonam intentionis perversitate fiat irritum Sacramentum, ita pronunciat: *Cum aliquis non intendit Sacramentum conferre, sed derisoriè aliquid agere, & talis perversitas tollit veritatem Sacramenti, præcipuè quando suam intentionem exterius manifestat.* Intentio ergo, qua perficitur Sacramentum, illa est, quæ in seria sacri

tri ritus administratione importatur, eique nusquam officit maligna Ministri voluntas, sacro ritui contraria, si occulta mente tegatur, nec manifestetur exterius. Quo capite Catharini sententia sita est.

Nec audiendus Joannes Baptista Gonetus, qui ex hoc ipso Doctoris Angelici verbo, *præcipuè quando suam intentionem exteriùs manifestat*, argumentum petiit in oppositum; inquiens, si tunc *præcipuè* tollitur Sacramenti veritas, quando Minister contrariam intentionem exterius manifestat; igitur & tunc etiam, etsi minus *præcipuè*, tollitur veritas Sacramenti, dum contrariam intentionem exterius minimè manifestat: non inquam audiendus. Ex aliis quippe locis supra laudatis compertum est, *τὸ præcipuè* sumi illic absolutè, non comparatè; ut significetur tunc tantùm veritatem tolli Sacramenti, dum contraria manifestatur intentio.

Cum enim loco paulò ante laudato ex *lib. 4. Sententiarum dist. 6.* absolutè dicatur, stare ratum ac validum Sacramentum, modò contraria Sacramenti minimè perficiendi intentio *non exprimatur exteriùs*; consequens profectò est, stare semper ratum ac validum Sacramentum; illiusque veritatem nusquam, ac ne minùs quidem principaliter tolli, quando irritandi Sacramenti intentio latet occulta. Atque ita absolutè, non comparatè tantùm loquitur hìc Doctor Angelicus, nisi sit sibi palam apertèque contrarius. Hanc porro loquendi formulam, qua vox *præcipuè* non comparatè, sed absolutè sumitur, non esse Doctori Angelico prorsus insolitam, meliùs cæteris novit Gonetus ipse; quippe qui objectis sibi D. Thomæ Testimoniis exagitatus aliquando, ac malè pressus, quæ totam ea in voce *præcipuè* vim faciunt; hoc uno se responso exsolvit: *absolutè* loqui Doctorem Angelicum *non adversativè*, quod est *comparatè*. Quod illi in expediendis morum, & gratiæ quæstionibus quandoque contingit.

Ita nostri plerique nodum illum extricant. Ego verò illam Goneti cavillationem, quæ hac una voce *præcipuè* ludit incautos, brevi observatione eludi posse crediderim multò faciliùs. Perversam scilicet Ministri intentionem duobus posse modis externè manifestari; primò quidem, aperta patentique Sacramenti derisione; ut si jocando ludendoque baptizet minister impius atque sacrilegus, histrionis in modum: secundò, irreligiosa duntaxat, atque indebita rei sacræ tractatione; ut si Minister volens ac sciens quidpiam omittat eorum, aut fortè tractet indignè, quæ Ecclesia factitat baptizando; undè possit dubium aliquod de perversa illius voluntate in adstantium animis suboriri. Qua posita distinctione, responderi posse crediderim; Doctorem Angelicum loco laudato rectè sapienterque dixisse, veritatem Sacramenti *præcipuè* tolli, si Mini-

stri

ſtri intentionis perverſitas priori modo manifeſtetur exteriùs; (undè ait, *ſi Miniſter intendat deriſoriè aliquid agere*) ut vel ſic obliquè ſignificet, tolli quoque, etſi *minùs præcipuè*, veritatem Sacramenti, ſi altero fortè modo minùſque patenti voluntatis perverſitas innoteſcat. Numquam tamen tollatur hæc veritas, ſi nullo omnino modo ea fiat perverſitas manifeſta, ſed tota intus in corde & animo deliteſcat.

Ad pleniorem illius diſtinctionis *abſolutè* non *comparatè* dilucidationem animadvertendum eſt, terminos omnes ſignificantes aliquem exceſſum, ſi de aliquo dicantur abſque comparatione ad alterum, cenſeri *abſolutè* dici, & tunc unum alteri non preferre, ut ſi dicam: *præcipua eſt mihi cura de Petro*, Petrum nemini præfero. At ſi hujuſmodi termini de aliquo dicantur, facta ad alterum comparatione, cenſentur *comparatè* dici, & tunc unum alteri præferunt, ut ſi dicam: *Ex duobus filiis meis Petro & Paulo*, *præcipua eſt mihi cura de Petro*, Petrum præfero Paulo. Similiter ſi dicam abſolutè: *Gonetus eſt doctiſſimus Theologus*, verum dicam, & Gonetum nemini diſtinctè præferam. At ſi dicerem: *Gonetus eſt Theologorum doctiſſimus*, falſum dicerem, quia ſic Gonetum omnibus Theologis anteponerem, cum quibus eum compararem.

IV. Aliam eludendæ D. Thomæ auctoritatis viam iniit domeſticus Impugnator, qui poſt quæſitas varias diſtinctionum ambages, quibus priora a nobis adducta SS. Doctoris teſtimonia elidere conatus eſt; ubi ad iſtud tandem venit, quod eſt inter omnia diſertiſſimum, *ex lib.* 4. *Sent. diſt.* 6. *quæſt.* 1. *art.* 2. *quæſtiunc.* 1. *ad* 2. variorumque Theologorum interpretamenta rejecit, quæ illius palato non ſapiunt, uti nec noſtro, eo demum devenit ut dicat: *Reſpondeo fatendo verbis illis contineri doctrinam de externa intentionis ſufficientia; ſed nego quod S. Thomas ſolutionem illam adbibuerit tanquam ſuam; hanc quippe non ut ſuam, ſed ut probabilem duntaxat aliorum reſponſionem attulit.*

Annon quæſo iſtud eſt, nodum diſrumpere, non ſolvere? Quamquam enim ad argumenti ſibi propoſiti ſolutionem id dicat Sanctiſſimus Doctor, ſecundum aliquorum ea de re Theologorum opinionem afferendo; perſpectum tamen eſt eum in ſecundam illam opinionem deſcendere, eamque ut veriorem & meliorem amplecti. Liquet id duplici ex capite: 1. Quia niſi eam ſecundam ſententiam, ut veriorem amplecteretur, ſuamque faceret, nullam propoſitæ ſibi objectioni ſolutionem ſuam daret, inſolutumque relinqueret argumentum: cum opinio ſeu ſententia prior, inter reſpondendum relata, rejecta tandem ab eo ſit, ac repudiata. 2. Quia eandem illam quæſtionem tractans ſecutis inde temporibus, 3. *parte ſummæ Theologicæ quæſt.* 64. *art.* 8. eandemque ſibi ſecundo loco obje-

objectionem proponens; cui pariter ex duabus Theologorum sententiis, *in quarto sententiarum libro* relatis, respondet atque satisfacit, primam rejecit apertè, secundam amplectitur *ut meliorem*, suamque facit. Figmentum igitur est inter omnia maximum, D. Thomam objectæ sibi difficultati ex propria mente propriaque sententia non respondisse, laudato *libri* 4. loco, sed ex aliena duntaxat: cum hanc ipsam aliorum sententiam amplexus sit, feceritque suam.

Dictis nihilosecius insistit fervidus actor: utque momentum hoc nostrum, ex duorum Divi Thomæ locorum collatione petitum eludat, respondet; *falsum esse quod S. Thomas idem sibi argumentum proponens, & in Summa & in Sententiis, hic iterum in Summa sua adhibeat, eandemque doctrinam tradat utroque in loco*.

Quid itaque rei sit videamus, & summæ Theologicæ contextum cum Sententiarum contextu conferamus. *Libro* itaque 4. *sent. Dist. 6. Quæst.* 1. *art.* 2. titulus sic inscribitur. *Utrum intentio baptizantis ad Baptismum requiratur?* Objectio 2. sic habet: *Intentio hominis non est alicui certa nisi sibi. Si ergo requiratur intentio ad Baptismum, non erit certum de aliquo, quod sit baptizatus, nisi apud eum, qui baptizavit: & hoc est inconveniens, quod homo sit in tanto dubio salutis*. Responsio ad hanc secundam objectionem sic effertur: *Ad* 2. *dicendum, quod ad hoc dupliciter secundum diversas opiniones respondetur. Quidam enim dicunt, quod si desit mentalis intentio in baptizante, non confert Sacramentum Baptismi: tamen in adulto supplet fides, & devotio effectum Baptismi, ut periculum ex hoc baptizato, qui ignorat intentionem baptizantis, nullum proveniat. Si autem sit puer, creditur piè, quod summus Sacerdos, scilicet Deus, defectum suppleat, & salutem ei conferat: Si tamen non facit, non injustè facit, sicut nec in illo, qui Sacramento non subjicitur. Alii dicunt quod in Baptismo, & in aliis Sacramentis, quæ habent in forma actum exercitum, non requiritur mentalis intentio, sed sufficit expressio intentionis, per verba ab Ecclesia instituta. Et ideo si forma servatur, nec aliquid exterius dicitur, quod intentionem contrariam exprimat, baptizatus est. Non enim sine caussa in Sacramentis necessitatis, scilicet Baptismo, & quibusdam aliis, actus baptizantis tam sollicitè expressus est, ad intentionis expressionem*.

In Summa verò Theologica 3. *parte quæst.* 64. *art.* 8. titulus sic inscribitur, *Utrum intentio Ministri requiratur ad perfectionem Sacramenti?* Objectio 2. sic habet: *Non potest homini esse nota intentio alterius. Si igitur intentio Ministri requiratur ad perfectionem Sacramenti, non posset homini ad Sacramentum accedenti esse notum, quòd Sacramentum suscepisset; & ita non posset habere*

bere certitudinem salutis, *præcipuè cum quædam Sacramenta sint de necessitate salutis*, *ut infra dicetur*. Responsio ad secundam hanc objectionem sic effertur, *Ad secundum dicendum*, *quòd circa hoc est duplex opinio*. *Quidam enim dicunt*, *quòd requiritur mentalis intentio in Ministro*, *quæ si desit*, *non perficitur Sacramentum*: *sed hunc defectum in pueris* (*qui non habent intentionem accedendi ad Sacramentum*) *supplet Christus*, *qui interiùs baptizat*; *in adultis autem*, *qui intendunt Sacramentum suscipere*, *supplet illum defectum fides*, *&* *devotio*: *sed hoc satis posset dici*, *quantum ad ultimum effectum*, *qui est justificatio a peccatis*; *sed quantum ad effectum*, *qui est res*, *&* *Sacramentum*, *scilicet quantum ad characterem*, *non videtur*, *quòd per devotionem accedentis possit suppleri*: *quia character nunquam imprimitur nisi per Sacramentum*. *Et ideo alii meliùs dicunt*, *quod Minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ*, *cujus est Minister*. *In verbis autem*, *quæ profert*, *exprimitur intentio Ecclesiæ*, *quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti*, *nisi contrarium exterius exprimatur*, *ex parte Ministri*, *vel recipientis Sacramentum*. Jam quis non videat, binas illas opiniones, secundum quas propositæ objectioni respondetur, easdem omnino utrobique esse: secundam autem a Doctore Angelico uti *meliorem* apertè distinctèque probari in Summa, quæ simpliciter proposita fuerat in Sententiis?

In scirpo itaque nodum quærit vir paulò subtilior, qui ut aliquod eas inter opiniones utrobique propositas discrimen ostendat, observat, in Sententiarum libro non de omnibus Sacramentis agi, sed de illis duntaxat, *quæ habent in forma actum exercitum*; cum contra in Summa Theologica de omnibus indiscriminatim Sacramentis agatur. Pape, quàm acuta quàm subtilis observatio! Ecquot quæso Sacramenta sunt, quæ non habent in forma actum exercitum, seu quorum in forma actus ministrantis non exprimitur? Unum duntaxat Eucharistiæ Sacramentum: in cæterorum quippe omnium formis, ministrantis actus expressus est. Si itaque Theologis ita opinantibus fidem damus, solo excepto Eucharistiæ Sacramento, *non requiritur in Sacramentis mentalis intentio*, *sed sufficit expressio intentionis per verba ab Ecclesia instituta*. Quod Catharini adversarii jugulum petit. Sed & alio ex capite futilis est observatio illa. Quia dum dicunt Theologi illi, non requiri mentalem intentionem *in Baptismo*, *&* *in aliis Sacramentis*, *quæ habent in forma actum exercitum*; ad alterius Sacramenti, quod actum exercitum in forma non habet, exclusionem non loquuntur; sed in quibus id præ cæteris accidat, specialiter notant; in quibus scilicet id potiori titulo potiorique ratione contingit, quod aliàs absolutè contingit in omnibus.

Futi-

Futilior multò est altera observatio, dum ostendere nititur, D. Thomam opinionem secundo loco notatam *in 4. Sententiarum libro*, non adoptasse, nec fecisse suam; *quia aliàs sibi ipsi contrarius dicendus foret*; quippe qui in hac ipsa quæstiuncula, & „ alibi sæpe Ministri intentionem necessariam docet; cum hic e „ contrario sola intentionis expressio sufficere dicatur. Insuper o„ mnia Sacramenta, proindeque Sacramentorum formas, non ab „ Apostolis, sed immediatè a Christo instituta fuisse disertè do„ cet, *dist.* 2. *quæst.* 1. *art.* 4. Cum hic Sacramentorum formæ, „ seu verba, in quibus illorum stat forma, *ab Ecclesia instituta* „ dicantur.

Ecquis enim non ista brevi verbo conciliet? intentionem necessariam exponens, non occulta secretaque mente conceptam, sed formæ verbis expressam: formasque Sacramentorum a Christo ipso secundùm substantiam institutas intelligens; etsi secundum modum & ordinem ab Ecclesia institutæ non incongruè dici possint. Maximè cum celeberrimorum Theologorum sententia sit, Christum D. quorundam Sacramentorum materias & formas in genere duntaxat instituisse, earumque determinationem in specie, Apostolis & Ecclesiæ reliquisse. Sed ad alias sententiæ nostræ probationes accedamus.

V. Succedit hoc in genere probationum generale principium a D. Thoma positum *in 4. Sent. dist.* 5, *Quæst.* 2. *Art.* 2. *Quæstiuncula* 1. ex quo necessaria consecutione colligitur, eum pro certo tenuisse, internam illam, secretam, ac purè mentalem Ministrorum intentionem, non esse ad Sacramenti valorem necessariam. Contendit enim eo loci, ea quæ sunt de substantia Sacramenti, seu quæ necessaria sunt, ut Sacramentum quantum ad substantiam ratum sit, validumque, *Certa omnino esse* debere suscipientibus, iisdemque omnino nota: imò ea maximè ratione probat, probitatem Ministrorum, ad Sacramenti efficaciam, non esse necessariam, quod hæc non omnino sit certa, sed quandoque fidelibus ignorata, Sacramenta suscipientibus. *Dicendum*, inquit, *quod in Sacramentis est aliquid, quod est de substantia Sacramenti, & aliquid, quod est de convenientia Sacramenti, & solemnitate. Si ergo subtraheretur aliquid, quod est de substantia Sacramenti, non erit verum Sacramentum: si autem subtraheretur aliquid eorum, quæ requiruntur ad solemnitatem, vel convenientiam Sacramenti, propter hoc non desinit esse Sacramentum. Undè cum bonitas Ministri non sit de substantia Sacramenti, quia non omnino certa est, sed quandoque ignorata; ea autem, quæ sunt de substantia Sacramenti oportet esse certa, patet quod subtracta bonitate Ministri, adhuc est Sacramentum, dummodo alia, quæ sunt de Sacramenti substantia* ob-

observentur. Quidni ergo colligamus, ex mente Doctoris Angelici, internam, secretam, ac mente abditam Ministrorum intentionem non esse ad ratum, validumque Sacramentum necessariam? Quandoquidem & illa omnino certa non est, sed quandoque, imò sæpissimè ignorata; nec magis ea suscipientibus constat, quàm probitas Ministrorum: cum de utraque non nisi moralem ut ut maximè certitudinem possimus habere.

Num hoc generale D. Thomæ principium, *quæ sunt de substantia Sacramenti oportet esse omnino certa*, sat sibi constet, communique Theologorum sententiæ congruat, qui moralem certitudinem sufficere ponunt, hoc loco nec quærimus, nec expendimus; qui de sola nunc Doctoris Sanctissimi mente, atque sententia, qualis illa sit, disputamus. Illud tamen non omiserim observare, D. Augustinum hoc idem doctrinæ principium posuisse, adversus Donatistas disputantem, *Lib. 1. contra Litteras Petiliani Cap.* 3. Qua de re pleniùs loco suo.

VI. Sequitur momentum alterum longè graviùs, quod efficacissimæ demonstrationis loco haberi debet. Non minor, imò major in adultis Sacramenta suscipientibus intentio requiritur *recipiendi*, quàm in Ministris intentio *faciendi* quod facit Ecclesia. Undè Doctor Angelicus 3. *parte*, *Quæst. 68. Art.* 7. *ad* 2. disertè pronunciat, *quod si in adulto deesset intentio suscipiendi Sacramentum*, *esset rebaptizandus*; quasi Baptisma omni ex parte nullum suscepisset. Et Innocentius III. R. P. *Cap. Majores*, *extra de Baptismo*, *& ejus effectibus: Ille qui nunquam consentit*, *sed penitus contradicit*, *nec rem*, *nec characterem suscipit Sacramenti*. Quanquam enim ad Sacramentum, ut simpliciter actio est, passivè tantùm se habeat homo suscipiens; ad illud tamen, ut Sacramentum est, etiam activè se habet, volens scilicet, sciensque suscipiendo. Idque usque adeo verum est, ut illi ipsi hæretici, qui necessariam in Ministro intentionem negant, eam tamen in adulto suscipiente necessariam fateantur.

Jam inquio ego, D. Thomæ explicatissima sententia est, sufficere in adulto suscipiente Sacramentum, intentionem externi ritus seriò suscipiendi, ut Baptisma, quoad characteris impressionem, validum sit; tametsi intus secreta mente repugnet ille, minimèque consentiat. Ita ille *in 4. Sent. dist. 6. Quæst.* 1. *Art.* 2. *Quæstiuncula* 3. Ubi postquam præmisisset, coactionem alicui illatam ad suscipiendum Sacramentum, talem ac tantam esse posse, *ut principium suscipiendi totaliter sit ab extra*; uti dum aliquis reclamans, atque reluctans immergitur violenter: quo casu Sacramentum ita coactè susceptum nullum esse concedit; quia ea susceptio libera non est, contrariaque suscipientis intentio, seu repugnantia, ac relucta-

fuctatio palam proditur: subjungit tamen Sanctissimus Doctor, ad institutum nostrum: *Si autem fit coactio inducens, sicut minis, vel flagellis, ita quod baptizatus eligat potius Baptismum suscipere, quam talia pati, tunc suscipit Sacramentum, sed non rem Sacramenti:* seu gratiam sanctificantem, propter contrariam intentionem, ac repugnantiam in corde latentem. Quod aliis verbis dixerat paulò ante: *Sciendum quod non requiritur in adulto voluntas absoluta suscipiendi quod Ecclesia confert; sed sufficit voluntas conditionata, sicut est in voluntariis mixtis.* Satis igitur est, judice Doctore Angelico, si Sacramentum seriò forinsecus recipiatur, ut stet ratum, validumque, quoad characteris impressionem; tametsi secretior, & occulta recipiendi desit intentio, imò contraria non recipiendi voluntas animo delitescat. Quanto itaque magis id satis erit, ut validè conferatur? Minor quippe, aut certè non major in conferente, quàm in adulto suscipiente desideratur intentio.

VII. Neque verò privata est illa D. Thomæ sententia. Ita Pontifices Summi, ita Concilia sæpenumero pronuntiarunt. Sic Hadrianus I. R. P. *Epist.* 8., quæ extat Tomo II. Conciliorum Galliæ, Saxones suppliciorum metu ad Baptismum adactos, Sacramentum verè suscepisse decernit, *etsi foris tantùm*, (Pontificis verba sunt) *non intus consenserant:* quia videlicet ritum externum seriò forinsecus acceperant, ut interminatum supplicium effugerent, tametsi intus Baptismi susceptioni reluctati essent. Sic etiam Innocentius III. R. P. *Capite Majores; extra de Baptismo: Is qui terroribus, atque suppliciis violenter attrahitur, & ne detrimentum capiat, Baptismi suscipit Sacramentum; talis, (sicut & is, qui fictè ad Baptismum accedit,) Characterem suscipit Christianitatis impressum; & ipse tanquam conditionaliter volens, licet absolutè non velit, cogendus est ad observantiam fidei Christianæ.* Sic demum Concilium Toletanum IV. *cap.* 57. Sisebuti Principis factum improbat quidem, qui Judæos ad Baptismum suscipiendum metu suppliciorum adegerat, vetatque ne quid hujusmodi in posterum attentetur, propter periculum subversionis: subjungit tamen, illos, qui ita metu suppliciorum adacti, Baptisma seria forinsecus mente susceperant, ad Christianæ Religionis observantiam adigendos esse; *quia jam constat*, (Concilii Toletani verba sunt) *eos esse Sacramentis Divinis associatos, & baptismi gratiam, percepisse.* (*a*) Quibus omnibus perspicuum sit, non modò in foro externo, & ex juris præsumptione, hujusmodi Baptismata valida fuisse judicata, ut ad Christianæ Religionis observantiam obligari possent Judæi, ficto sic animo baptizati; verùm etiam in foro interiori, atque ex rei veritate, rata fuisse, validaque; cum Ju-

(a) *Apud Labb. Tom. 6. pag.* 1465.

Judæos illos characteris impressionem accepisse Innocentius III., & Concilium Toletanum IV. verbis conceptissimis definiverint.

Atque hinc obiter videas, quàm sit futile quod domesticus Impugnator reponit, ne iis exemplis victus superatusque videatur: viros scilicet illos metu suppliciorum ad baptismum suscipiendum adactos, internam habuisse suscipiendi Baptismatis intentionem, non quidem ante intentatas minas, sed postea saltem, dum re ipsa sunt baptizati: Ecclesiamque eorum Baptisma validum judicasse; quia de internæ intentionis defectu non constabat. Id inquam futile. Cum enim ii *foris tantùm*, *non intus consensisse* dicantur; necesse est ut suam illam repugnantem voluntatem internam, post intentatas etiam minas, ac in ipsa Baptismatis susceptione tenuerint. Rursus, cum *conditionaliter volentes* ad Baptismum accessisse dicantur, licet *absolutè nollent*; necesse est, ut tunc absolutè baptizari noluerint, dum conditionaliter volebant: conditionaliter porro duntaxat voluere post intentatas minas, & in ipsa Baptismatis susceptione; (quandoquidem ante minas intentatas nulla omnino ratione volebant) igitur & tunc quoque repugnantem tenuere suscipiendo Baptismati voluntatem: internam utique, de qua hìc unicè disputamus. Neque refert ad infirmandam, quam inde petimus nostræ sententiæ probationem, quod Ecclesia de hujusmodi intentionis internæ defectu, qui Judæis illis accessisse dicebatur, certa non esset: cum ea Baptismata rata validaque judicaverit, eo quoque supposito intentionis internæ defectu. Id ergo certum indubitatumque, Ecclesiam priscis illis temporibus baptismata rata validaque censuisse, quæ repugnante interna voluntate, suscepta essent, modò externa suscipiendi voluntas atque consensio accessisset.

VIII. Id ipsum non ita pridem experti sumus anno *1683*. in ea scilicet solemni clade, qua Turcæ Viennam Austriæ obsidentes, mirabili Dei judicio percussi sunt. Factum refert Illustrissimus Præsul Franciscus Genettus Episcopus Vasionensis, *Tractatu de Baptismo Tom. III. pag.* 324. Scilicet cum Turca quidam, *Orcbamus* nomine, mortem undequaque obversantem effugiens, inter mortuorum acervum aliquandiu vivus delituisset, ac tum superveniente nocte, militis Poloni vestibus indutus, in Christianorum exercitum irrepsisset ignotus, a milite christiano, nescio quo, linguæ errore detectus est; qui eidem cruentam mortem intentavit, ni subito Christianam Religionem profiteretur, ac Sacrum Baptisma susciperet. Assensit *Orcbamus*, externè tamen, ac forinsecus, ut mortem sibi intentatam effugeret; nulloque pacto intendens animo, Mahumeticam sectam deserere: atque ita a Christiano milite baptizatus est. Re postmodum in judicium vocata, valeret ne

Ba-

Baptisma hoc pacto susceptum ; valere illud , quantum ad Characteris impressionem , pronunciatum est : quia consensum externum dederat, etsi metu mortis expressum ; nulloque externo signo contrariam prodiderat intentionem.

Idem alio casu experti sumus, quem idem ille Vasionensis Episcopus retulit *pag.* 342. Hebræi scilicet alicujus matrimonio juncti, qui ut uxori suæ ad Christianam Religionem conversæ complaceret, moremque gereret, Baptismum fictè suscepit ; externum scilicet ritum libenti, prompto, gratoque in speciem suscepit animo; intus tamen , secretaque mente nolebat accipere , imò cordis intimo repudiabat , nolebatque re ipsa Christianus fieri . Qui tamen Baptismus ratus, validusque, quoad Characteris impressionem, judicatus est. Adeo scilicet verum est, satis esse, ea quæ facit Ecclesia, seriò extrinsecus adhibere, atque recipere , ut rata sint , ac valida Sacramenta : quo casu nulla vel Ministri , vel recipientis occulta intentione contraria irritantur.

IX. Atque hinc internoscere facile est , quid sibi velit Doctor Angelicus 3. *parte Quæst.* 68. *Art.* 7. dum sinceram , & minimè simulatam in suscipiente desiderat intentionem , ut ratum sit , ac validum Sacramentum. Et dum *in* 4. *Sent. Dist.* 27. *Quæst.* 1. *Art.* 2. *Quæstiunc.* 4. ait : *Si aliquis ablutionem exteriorem reciperet , non intendens accipere Sacramentum, sed ludum, & dolum facere, non esset baptizatus*. Perspicuum quippe est , id eum desiderare , ut præcipuus Sacramenti effectus obtineatur, justificatio scilicet suscipientis ; non ut stet validum Sacramentum secundum se se , & quoad Characteris impressionem. Aut certè si de Sacramenti absoluta validitate eum agere velit aliquis; de simulata intentione intelligendus erit, quæ prodatur exterius, ut *Art.* 8. *qu.* 64. declaravit. Aliàs secum ipse pugnabit Doctor Angelicus.

CAPUT VIII.

D. Augustinus Catharini sententiæ præformator, atque assertor ostenditur: falsa domestici impugnatoris interpretatio refellitur.

I. Occasione celeberrimæ controversiæ, quam de fide in Sacramentorum administris necessaria, adversus Ecclesiam moverant Donatistæ, varia sibi permixtè, atque confusè proponit dubia Sanctissimus Doctor *Lib. 7. de Baptismo contra Donatistas c.* 53. ab hisce verbis initium faciens disputandi: *Solet etiam quæri, utrum approbandum sit Baptisma; quod ab eo, qui non accepit, accipitur, si fortè hoc curiositate aliqua didicit, quemadmodum dandum sit: & utrum nihil intersit, quo animo accipiat ille, cui datur, cum simulatione, an sine simulatione: si cum simulatione, utrum fallens, sicut in Ecclesia, vel in ea, quæ putatur Ecclesia; an jocans, sicuti in mimo: & quid sit sceleratius, in Ecclesia fallaciter accipere; an in hæresi, vel schismate sine fallacia, idest, animo non simulato; & utrum in hæresi fallaciter, an in mimo cum fide, si quisquam inter agendum repentina moveatur pietate? Quamquam talem si etiam illi conferamus, qui in ipsa Catholica Ecclesia fallaciter accipit, mirum si dubitatur quis, cui præferendus sit?*

Ex tot illis confusè permixtèque propositis dubiis, unum est, quod agitatam hactenus quæstionem contingit de proximo; imò quod illam intimè refert; verbis sono quidem aliquanto diversis; eundem tamen apud æquos æstimatores sensum habentibus. Quid enim aliud est quærere, *Utrum probandum sit Baptisma, quod cum fallacia, & simulatione datur, aut fortè recipitur;* quam illud ipsum quærere, quod hactenus disputavimus; sit ne ratum, validumque Baptisma, quod seriò, omnique semoto joco forinsecus datur, recipiturve, intus tamen occulta, secretaque mente rejicitur, aut negatur? quandoquidem in ista facti specie, simulatio, atque fallacia in eo maximè posita est, ut quod externè fit; seriò, liberè, atque prudenter, intus in animo, clam atque secretò retractetur.

Porro tametsi D. Augustinus tot illa sibi proposita dubia non tam solvat, quam posteris solvenda relinquat: quodque de Baptismo mimicè, & jocolariter collato, aut etiam fortè suscepto, motum est dubium, ab Oecumenica Synodo solutum iri peroptet, no-

vaque

vaque revelatione clarescere: duo tamen de eo, quod nostra nunc interest, proposito dubio disputando ponit, statuitque indubitanter, ac certò; quæ Sanctissimum Doctorem Catharini sententiam, ac nostram præformasse, ac docuisse, palam, apertèque demonstrent.

Primò. *Præteritis Majorum statutis, non dubito*, inquit Augustinus, *etiam illos habere Baptismum, qui quamvis fallaciter id accipiant, in Ecclesia tamen accipiunt, vel ubi putatur esse Ecclesia ab eis, in quorum societate id accipitur, de quibus dictum est; Ex nobis exierunt:* hoc est, apud hæreticos, vel schismaticos. Ex quo profectò consequens est, judice Augustino Majorum etiam suorum statutis edocto, stare ratum, validumque Baptismum, seu in Ecclesia, seu extra Ecclesiam fallaciter, & cum simulatione suscipiatur. Quid verò illud est, *Baptismum fallaciter, & cum simulatione suscipere*, nisi ritum illum, quem facit Ecclesia, in se, & supra se exterius fieri velle, seriòque recipere; intus verò corde, & animo abnuere, recusare?

Secundò. Observat paulò ante Sanctissimus Doctor, tales cum ea fallacia, & simulatione baptizatos, si eorum tandem prodatur simulatio, atque fallacia, excommunicatione quidem in Ecclesia puniri, aut per pœnitentiam sanari, a nemine tamen rebaptizari: quod significat illis verbis observatione dignissimis, *Si postea* simulatio *prodatur, nemo repetit, sed aut excommunicando punitur illa simulatio, aut pœnitendo sanatur*. Quod etiam *lib. 1. cap. 12.* observaverat: *In illo*, inquiens, *qui fictus accesserat, ut non denuo baptizetur, sed ipsa pia correctione, & veraci confessione purgetur, quod non posset sine Baptismo, ut quod ante datum est, tunc valere incipiat ad salutem, cum illa fictio veraci confessione recesserit*. Ex quibus & illud consequens est, Baptismum cum fallacia, & simulatione susceptum (seu seriò forinsecus acceptatum, intus tamen corde, & animo recusatum) ratum, validumque fuisse ab Ecclesia judicatum; etiam ubi simulatio, atque fallacia detecta erat. Aliàs nil dubitandum, quin si vel levis de illius Baptismatis nullitate suspicio fuisset, Ecclesia Catholica fallaces illos, simulatosque rebaptizasset. Imò & illud sequitur ultimum: Baptismum fictè simulatèque susceptum, quoad Characteris impressionem, quod hìc maximè quæritur, valuisse: cum sublata fictione, nullaque illius facta iteratione, ad salutem valere inceperit.

II. Aberrant vero turpiter nonnulli, qui ut Augustinum Catharino, & nobis eripiant, summa fiducia respondent: Doctorem Sanctissimum, nomine *Baptismi cum fallacia, & simulatione suscepti*, non eum intellexisse, qui seriò prudenterque externè, forisque suscipitur, intus tamen corde, & animo recusatur; atque adeo non illum ratum, validumque censuisse: sed eum intellexisse duntaxat, qui licet

licet interna simul, atque externa intentione suscipiatur, sine fide tamen, debitisque dispositionibus, seu cum conscientia peccati mortalis plerumque recipitur : quem hodie viri de Schola *Baptismum fictum*, seu *cum fictione susceptum* de more vocitant : fictione scilicet dispositionum, non fictione Sacramenti: quem idcirco ratum, validumque censuerit Sanctissimus Doctor, uti & in præsentia Theologi censent universi.

Aberrant illi, inquam. Augustinum enim id nominis, quo sensu diximus hactenus, usurpasse, duo evincunt apertissimè. Primò, quod non semel ibidem affirmet, posse Sacramentum Baptismatis in hæresi, vel schismate dari vel suscipi, sine simulatione, atque fallacia, ut ex recitato paulò ante contextu liquet. Quis autem sibi finxit unquam, in hæresi, vel schismate dari, vel suscipi posse Baptismum, cum fide, debitisque dispositionibus? Non ergo simulatio, atque fallacia, de qua disputat Augustinus, fidei defectus est, bonarumque dispositionum, seu conscientia peccati mortalis. Secundò, quod asserat identidem Augustinus, in Ecclesia *putatitia*, atque adeo falsa, reperiri perinde posse veraces, atque fallaces Baptismatis datores, & receptores. Non itaque fallacium nomine, infideles, malèque dispositos intelligit; uti nec nomine veracium, fideles, benèque dispositos denotat : cum fideles, ac benè dispositos in falsa Ecclesia dari impossibile sit.

III. Fallitur & noster domesticus adversarius, qui de bonis malisve recipientium dispositionibus silens, Augustinum nomine fallaciter simulatèque recipientis aut dantis eum putat intellexisse, *qui Sacramentum tradit aut recipit absque fide aliqua de illius veritate aut utilitate : quam tamen fidem eo ipso exterius simulat, quo Sacramentum sponte serióque suscipit*. Augustinus enim fallaces hujusmodi ac simulatos datores & susceptores in vera etiam Ecclesia esse supponit, dum quæstiones has movet: *Quid sit sceleratius, in Ecclesia fallaciter accipere; an in hæresi vel schismate, sine fallacia? ... utrum nihil intersit, quo animo accipiat ille, cui datur; cum simulatione aut sine simulatione: Si cum simulatione; utrum fallens, sicut in Ecclesia, vel in ea, quæ putatur Ecclesia? .... Utrum hoc magis Baptisma sit acceptandum, cum & tradens & accipiens fallaciter agunt, in ipsa unitate Catholica, an illud, quod in mimo datur?* Porro in Ecclesia nullus est aut potest esse, qui fidem de Sacramenti veritate & utilitate non habeat; cum vel hoc ipso Ecclesiæ fidem habere desineret, ejusque societatem amitteret: non itaque de hujusmodi fallacibus & simulatis datoribus & susceptoribus loquitur D. Augustinus, qui fidem de sacramenti veritate & utilitate non habent.

Ecquas vero rimas quærit ille ut elabatur, vimque argumenti hujus

hujus effugiat? Audiamus: *Quamvis nemo sit nisi per fidem integram verum Ecclesiæ membrum, potest tamen qui fide caret reperiri in Ecclesia, seu in ipso fidelium cœtu, ibique baptisma vel conferre, vel recipere: ad id namque satis est, ut qui recipit, fidem simulet; qui vero ministrat, nondum sit a communione cœtuque fidelium, ut hæreticus, segregatus.* Scilicet, si rectè intelligo, homo sine fide in Ecclesia esse potest, de Ecclesia seu membrum Ecclesiæ esse non potest.

Atqui, subsumo ego, de fallacibus & simulatis datoribus & receptoribus loquitur Augustinus, qui non modò in Ecclesia sint cœtuque fidelium, sed & qui sint de Ecclesia, seu qui fidem Ecclesiæ teneant: cum de iis distinctè loquatur, qui sunt in ipsa unitate Catholica: (*Tradens & accipiens fallaciter agunt in ipsa unitate Catholica*) quo nomine fidem Catholicam ubique passim intelligit Augustinus, a qua habet Ecclesia quod sit una: Non itaque de iis agit, qui fidem de Sacramenti veritate & utilitate non habent.

IV. Turpiùs longè multò falluntur, ac etiam peccant, qui ut Augustinum non modò Catharino, ac nobis eripiant, sed & Luthero, atque Calvino per summam perfidiam tradant, perfractè reponunt: Doctorem Sanctissimum, nomine *Baptismi cum fallacia, & simulatione dati, aut fortè suscepti*, eum intellexisse, qui sine ulla prorsus intentione faciendi quod facit Ecclesia, tam interna, quam externa datur, aut fortè suscipitur: eumque Baptismum hujusmodi ratum, validumque idcirco dixisse errando, quod nihil tunc temporis ea de re definivisset Ecclesia. Vah temerarios, atque audaces Augustini reprehensores! quos Cardinalis Norisius pro meritis exagitat, *in Vindiciis Augustinianis Cap.* 4. *Parag.* 7. Certè si sic est, ut iniqui censores effutiunt, non modò in supino errore fuisse convincitur Augustinus, sed & tota retro Majorum traditio, totaque illius ævi aberravit Ecclesia. Quandoquidem quod illic de Baptismo fallaciter, & simulatè suscepto pronunciat D. Pater, *ex præteritis Majorum statutis* indubitanter accepisse, ac didicisse profitetur: illumque Baptismum fallaciter, & simulatè susceptum, ubi semel prodita est simulatio, atque fallacia, a nemine unquam in Ecclesia iteratum, ac repetitum fuisse, contestatur.

His ergo præclusis effugiis, probatum relinquitur, Augustinum Catharini systema, de externa, ut vocant, in Sacramentis administrandis, ac recipiendis intentione, præformasse, ac docuisse.

V. Idem ex generalibus Augustinianæ Doctrinæ principiis apertè colligitur, quibus scilicet D. Parens Donatistas, Ministrorum fidem, ad Sacramentorum efficaciam, postulantes confutavit, ac vicit. *Lib.* etenim 1. *contra Litteras Petiliani Donatistæ*, principii loco

loco ponit, ac sæpius inculcat. Iniquam, & maculosam baptizantis conscientiam, secretam licet, & occultam, baptizato nocere nequaquam posse, & Sacramentum effectu suo vacuare: & Petilianum Donatistam, quod aliter vulgata apud suos Epistola docuisset, exagitat multis modis. Cum enim dixisset Donatista, *Conscientiam dantis* baptismum *attenditur*, *qui abluat accipientis*: sic in eum insurgit Augustinus *cap.* 1. *Quid si lateat dantis conscientia*, & *fortasse maculosa sit*, *quomodo poterit accipientis abluere conscientiam*, *si*, *quemadmodum dicit*, conscientia dantis attenditur, qui abluat accipientis? *Si enim dixerit*, *ad accipientem non pertinere quidquid mali latuerit in conscientia dantis*, *ad hoc fortasse valebit illa ignorantia*, *ut de conscientia baptizatoris sui non possit nesciens maculari*. *Sufficiat ergo*, *ut alterius conscientia maculosa*, *cum ignoratur*, *non maculet*: *Numquid autem etiam abluere potest?*

Pergit Sanctissimus Doctor, positumque principium (iniquam scilicet, & maculosam baptizantis conscientiam baptizato nocere non posse, & Baptismum effectu suo vacuare) probat, atque confirmat *Cap.* 3. hac maximè ratione: quia si ex recta baptizantis conscientia penderet Baptismatis efficacia, baptizatorum salus semper esset incerta, illorumque spes ponenda esset in homine, videlicet baptizante. *Quomodo*, inquit, *de istis Baptizatoribus securi erunt*, *si conscientia dantis attenditur*, *quæ latet oculos accepturi? Ita secundum eorum sententiam fit salus illa*, *spiritalis incerta*, *dum contra Scripturas Sanctas*, *quæ dicunt*, bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine: & maledictus omnis, qui spem suam ponit in homine; *spem baptizandorum auferunt a Domino Deo*, & *in homine ponendam esse persuadent*. *Undè fit omnino*, *ut non incerta*, *sed prorsus nulla sit salus*: quia Dominus est salus, & vana salus hominis. *Itaque quisquis in homine spem posuerit*, *etiam quem justum*, & *innocentem novit*, *maledictus est*.

Quid plura? Dictis semper insistens Sanctissimus Doctor, altera ratione evincit *Cap.* 5. efficaciam, vimque Baptismatis a bona, malave baptizantis conscientia pendere non posse; quia non conscientia baptizantis justificat baptizatum, sed Christi justitia; nec spiritualis regenerationis auctor est homo quicumque fidelis, & sanctus; sed Christus solus, qui unus est origo, & radix, & caput baptizatorum. *Neque enim*, inquit ille, *etiam cum per Sanctum*, & *fidelem dispensatorem gratia spiritalis credentibus impertitur*, *dispensator ipse justificat*, *ac non ille unus*, *de quo dictum est*, quod justificat impium? *Aut vero Apostolus Paulus caput est*, & *origo eorum*, *quos plantaverat*; *aut Apollo radix est eorum*, *quos rigaverat*; *ac non ille*, *qui eis in credendo fidem dederat*: *cum*

idem

idem dicat. Ego plantavi, Apollo rigavit, ſed Deus incrementum dedit : itaque neque qui plantat , eſt aliquid , neque qui rigat , ſed qui incrementum dat Deus . *Nec radix eorum erat ipſe , ſed potius ille , qui ait ,* Ego ſum vitis, vos eſtis ſarmenta? . . . . *Origo mea Chriſtus eſt , radix mea Chriſtus eſt , caput meum Chriſtus eſt . . . . . Me innocentem non facit niſi qui mortuus eſt propter delicta noſtra , & reſurrexit propter juſtificationem noſtram . Non enim in Miniſtrum , per quem baptizor , credo ; ſed in eum , qui juſtificat impium. Cap. 7. libri laudati.*

VI. Sic ſanè Auguſtinus nervosè prorſus , invictè , & eleganter in Donatiſtas, ut Baptiſmatis efficaciam ex ſecreta, & occulta baptizantis conſcientia, fide nimirum , ſanctitate, ac religione minimè pendere demonſtraret : de iis quippe Miniſtrorum dotibus, eſſent ne ad Sacramentorum efficaciam neceſſariæ, quæſtio illis erat. At quidni quoque totam illam Divi Auguſtini ratiocinationem , (ſi principia ipſa quibus innititur, accuratè perpendimus) ad quæſtionem, quæ nobis in manibus eſt, dirimendam trahamus; ut alteram ex altera finiamus?

1. Si enim ex fide , & ſanctitate baptizantis , vis & efficacia Baptiſmi pendere nequit , judice Auguſtino , quod ex occulta , ſecretaque illius conſcientia pendere non poſſit : quid quæſo ex interna illa , menteque abdita , de qua nunc agimus, intentione pendebit ; quæ occultæ perinde , ſecretæque conſcientiæ motus eſt?

2. Si ex fide , & ſanctitate baptizantis , vis & efficacia Baptiſmi pendere nequit , quia vel ſic Baptizatorum ſalus ſemper eſſet incerta ; (quod magnum Doctori Sanctiſſimo incommodum viſum eſt) illorumque ſpes ponenda eſſet in homine , fideli nimirum, & ſancto: quid quæſo ab interna illa, menteque abdita, de qua quærimus, intentione pendebit efficacia Baptiſmi? cum & ſic baptizatorum ſalus perinde eſſet incerta , quibus nihilo magis explorata eſt mentalis intentio, quam fides, & ſanctitas baptizantium: ſpeſque perinde ponenda eſſet in homine , intimam illam , ſecretamque intentionem habente, ac fortè mentiente.

3. Si ex fide , & ſanctitate baptizantis , vis & efficacia Baptiſmi pendere nequit, quia non conſcientia baptizantis juſtificat baptizatum, ſed Chriſti juſtitia; nec ſpiritualis regenerationis auctor eſt homo quicumque baptizans etiam fidelis, & ſanctus; ſed Chriſtus ſolus, qui baptizatorum omnium & origo, & radix, & caput eſt: quid quæſo ex interna illa, & mente abdita intentione baptizantis pendebit ; cum nec ea baptizantis intentio hominem baptizatum juſtificet, ſed Chriſti juſtitia; nec ſpiritualis regenerationis auctor ſit homo quicunque , interna licet , occultaque intentione

ductus, ac motus, sed Christus solus, qui nostrum omnium & origo, & radix, & caput est?

Quidquid ad hæc Catharini oppugnatores reposuerint, ut ab iis se se argumentis expediant, reponent pariter Donatistæ, ut totam illam Augustini argumentationem, & ratiocinationem elidant.

VII. Experimento id videas probesque magis in Domestico impugnatore nostro, qui nihil quidquam reposuit, ut tria illa argumenta elideret, aliquodve inter internam intentionem, & fidem sanctitatemque discrimen afferret, quod Donatistæ perinde non exsufflent, aut ad sui contra D. Augustinum defensionem arripiant.

Respondent siquidem primò, Conscientiam cujusque hominis, sanctitatem nimirum & fidem, usque adeo esse occultam, ut de illius rectitudine aut pravitate nulla possit esse moralis certitudo: intentionem autem internam, de Sacramento verè conficiendo aut suscipiendo, ex seria liberaque illius administratione aut susceptione externa fieri nobis moraliter certam.

At quidni utrumque pari libertate negaverint Donatistæ, omniaque ex æquo procedere dicant? cum externa perinde fidei & sanctitatis indicia, in insignibus Hypocritis videamus frequentissimè, quibus virorum prudentum ac Præsulum perspicaciæ illudunt; & quæ jactantur internæ intentionis signa conspicua sæpe fallant: atque utinam non ita sæpe.

Respondet secundò, in hypothesi Donatistarum, spem salutis in homine positum iri, quia rectam hominis conscientiam, non ad Sacramenti confectionem, sed ad Sacramenti jam confecti efficaciam exigebant: cum contra in hypothesi Theologorum internam Ministri intentionem postulantium, ea hominis ministrantis intentio necessaria dicatur, ad ipsam Sacramenti confectionem, ex ipsa Christi institutione.

Ut quid quæso non reposuerint Donatistæ, futile discrimen hoc esse, quantum attinet ad spem in homine collocandam? Quovis enim pacto Sacramentum, quo salus obtinetur a Deo, ab homine pendere dicatur, seu ut validè conficiatur, seu ut confectum suam habeat efficaciam, spes perinde ponenda erit in homine; illic quidem suam illam internam intentionem adhibente; isthic verò fidem & sanctitatem afferente.

Ubi verò replicat Adversarius, spem salutis in homine internam intentionem adhibente non esse reponendam, quia id præstat ille ut instrumentum ad hoc ipsum a Christo Domino institutum: Quidni etiam Donatistæ acriùs instent, ex divina quoque Sacramentorum institutione, factum esse, ut confecti jam Sacramenti efficacia ex Ministri conscientia pendeat?

Respondet ad tertium Argumentum vir eximius loco primo: Mo-

Momentum illud tertium, si quid evinceret, plusquam oporteat probaturum; aquam scilicet verbaque Evangelica non esse ad verum Baptismum necessaria; cum Christi justitia, quæ sola justificat impium, tam illa duo videatur excludere, quàm occultam secretamque intentionem.

Ad quod perinde reponent Donatistæ, plusquam oportet probaturum hoc Argumentum, quo eos urgebat Augustinus; dum ex fide & sanctitate baptizantis, vim & efficaciam Baptismi pendere non posse contendebat; quia non conscientia baptizantis justificat impium, sed Christi justitia.

Respondet secundo loco, Christi justitiam, Christumque ipsum nostræ justificationis caussam esse principem: atque ita nihil obesse quominus ab interna Ministri intentione pendeat etiam salus nostra; quia ab ea nonnisi ut a caussa ministeriali pendere censetur; quam Caussa princeps nequaquam excludit: obesse tamen ne a Ministri fide ac sanctitate salus hominis pendeat; quia efficacia Sacramenti jam confecti ab iis tanquam a caussa principali penderet; quod nulla patitur ratio.

At quidni id esse falsissimum Donatistæ reponant; seque perinde sentire dicant, Sacramenti confecti efficaciam ex fide sanctitateque Ministri, nonnisi ut caussa ministeriali pendere? ut planè una eademque utrobique sit ratio. Et quidem haud satis scio, an ea Sacramenti conficiendi, & Sacramenti jam confecti distinctio, quam nobis Impugnator occentat, aliquod habeat in Donatistarum systemate fundamentum, aut locum; ac non ipsi perinde contendant, Sacramenta nonnisi a Ministris fidelibus ac justis confici posse.

Utcumque tamen se res habeat, ex dictis hactenus illud planè conficitur, quod antea paucis innuimus: quidquid ad illa tria ex D. Augustino petita momenta Catharini oppugnatores reposuerint, ut ab illis expediant sese; Donatistas pariter responsuros, ut totam illam Sanctissimi Doctoris argumentationem, & ratiocinationem elidant.

C A-

CAPUT IX.

Idem Catharini systema rationibus Theologicis confirmatur: Domesticus adversarius refellitur.

I. ULtimum præsenti controversiæ sigillum ponunt momenta rationum longè gravissima, quibus Doctorem Angelicum, aliosque magni nominis Theologos usos video. Quæ enim modò ex Augustino allata sunt, non est cur denuo Lectoribus ingeram.

Primùm istud esto. Ecclesia Respublica quædam est, a Christo Domino instituta: quotquot in ea Sacramenta administrant, uti personæ publicæ sacra munia obeunt, Christi scilicet, & Ecclesiæ nomine, non suo. Ea ergo Sacramentis administrandis intentio necessaria est, quæ Ministris inest, ut publicæ personæ sunt, agentes juxta Christi institutionem; non ut personæ privatæ sunt, agentes contra Christi Domini voluntatem. Intentio enim conditioni personæ, quam sustinet, respondere debet. Porro intentio ritus externi seriò peragendi, quæ in ipsa seria administratione, formæque ab Ecclesia præscriptæ seria prolatione continetur, publicæ personæ intentio est, eaque conformis institutioni Christi Domini: altera secretior, nulloque signo prodita, personæ privatæ intentio reputatur, estque plerumque institutioni Christi planè contraria: illa ergo, non ista requiritur, nec priori posterior officere potest, si seriò peracta administratio secretiori voluntate retractetur.

Sic Judex, ut superiùs observabam, pro tribunali sedens, partibus auditis, servatisque publici juris formulis, voce gravi, vultu, habituque senatorio, seriò sententiam pronuncians, validè pronunciat, verèque reum absolvit, aut damnat; nulloque pacto necesse est, ut occulta, secretaque voluntate damnare velit, aut absolvere: quia sententiam pronunciat uti persona publica, & nomine Principis, eam judicii formam instituentis. Nec audiretur Judex ille, si rebus seriò peractis atque prudenter, postmodum jactitaret, noluisse se intus, & ex animo reum absolvere, aut fortè damnare.

Quod hic porro de Judice dico, non exemplum duntaxat est, instituto nostro accommodatum, sed ipsa res est in controversiam adducta. Etenim Sacramentum pœnitentiæ judicialis actus est, Christique vice Sacerdos absolvit, uti Judex nomine Principis. Quid ergo necessarium reputabimus, ut Sacerdos intus, & ex animo reum absolvat; nec satis esse putabimus, si ritum externum

seriò

seriò peragat, atque prudenter, in iis circumstantiis, quibus determinatur ad agendum tanquam Christi, & Ecclesiæ publicus administer? Aut quid nefarios Sacerdotes curabimus, qui postquam omnia seriò, & ritè forinsecus peregerunt, præscriptisque formis absolverunt pœnitentes, obtrudunt subinde dictitantque, noluisse se ex animo, & intus absolvere?

Ab eo primo momento nostro ut expediat sese domesticus Impugnator, reponit (primi syllogismi minori propositione distincta) intentionem externi ritus seriò peragendi, publicæ personæ intentionem esse, si ritus ille intendatur, ut est sacra quædam apud Christianos cæremonia; secus tamen si ritus ille intendatur, ut secundum se præcisè sumptus, & prout est quædam res merè profana. At nec sic quidem nodum solvit, sed stringit potius. Quia Minister, de quo maximè disputamus, in debitis scilicet circumstantiis publicè celebrans aliquod Sacramentum, postulatus & requisitus, ritum illum, sin minus expresè atque distinctè, at saltem virtualiter & implicitè, uti sacrum & Sacramentalem intendit: cum iis in circumstantiis talis re ipsa sit necessariò & essentialiter: ut laudato judicis exemplo compertum est.

II. Momentum probationis alterum istud erit, quandoquidem de Judicibus mentio incidit. Quemadmodum operatio Sacramentalis in Ministro regulatur, & dirigitur intentione, ita judicium ferendum a Judice, ipsius scientia, & cognitione dirigitur. Quod enim in Judice scientia juris facit, id in Sacramenti Ministro facit intentio. Porro ut rectum sit, justumque judicium, regulari, ac dirigi debet per scientiam Judicis, non utique privatam, sed publicam; seu quam habet ille, ut persona publica est, non ut est persona privata: cum judicare debeat ex notitia quam habet ut Judex; hoc est, ex allegatis, & probatis, etiam contra propriam opinionem. Itaque pari titulo administratio Sacramenti, ut rata sit, validaque, dirigi debet ac perfici ea intentione, quam Minister habet, ut persona publica est, non ut est persona privata. Jam verò, uti sæpius jam dictum est, intentio ritus externi seriò peragendi, quæ in ipsa seria administratione consistit, personæ publicæ intentio est. Ea igitur sola sufficit, ut ratum sit, ac validum Sacramentum.

III. Tertium a pari, ut ajunt, momentum istud esto. Juramentum seriò, liberè, atque ex formulis juris emissum, quo quis fidem suam alteri obligavit, perinde valet, & stat, jurantemque perinde adstringit, tametsi intus occulta, secretaque mente jurare nolit, animumque jurandi non habeat, imò potius eo se juramento nullatenus obligandi. Idque non alia de caussa, nisi *quia Dominus, qui testis est conscientiæ, ita accipit juramentum, sicut homo,*

mo, *cui juratur*, *intelligit*; ut ait S. Isidorus Hispalensis *Lib.* 2. *Sententiarum Cap.* 31. habeturque *Can. quacunque arte*, *Caussa* 22. *Quæst.* 5. Hinc illæ pravi dogmatis propositiones ab Innocentio XI. damnatæ die 2. Martii *1679*. *Cum caussa licitum est jurare*, *sine animo jurandi* ..... *Si quis*, *vel solus*, *vel coram aliis*, *sive interrogatus*, *sive sponte propria*, *sive recreationis caussa*, *sive quocunque alio fine juret*, *se non fecisse aliquid*, *quod revera fecit*, *intelligendo intra se aliquid aliud*, *quod non fecit*, *vel aliam viam ab ea*, *in qua fecit*, *vel quodvis aliud additum verum*, *revera non mentitur*, *nec est perjurus*. Porro, inquio ego, tam jurandi voluntas atque intentio necessaria est juramento, quàm sacri ritus celebrandi necessaria est Sacramento. Unde qui juramentum balbutiret nesciens, atque nolens, ut in furia, ebrietate, vel somno, juramentum fecisse minimè censeretur. Itaque pari titulo, ac etiam fortasse meliori, stat ratum, ac validum Sacramentum, suumque sortitur effectum, quoties ex intentione, ut loquuntur, externa, seriò liberèque conficitur; quanquam occulta, secreta, ac merè mentali intentione intus in animo retractetur.

Neque verò sat bonum se præbet moralis Theologiæ professorem domesticus adversarius; qui ad hujus momenti solutionem, veluti ridente Minerva respondet; Juramentum absque interna jurandi voluntate, juramentum re ipsa non esse, defectu scilicet alicujus ad illius essentiam spectantis; etsi propter divini testimonii exterius assumpti reverentiam, in foro etiam interno jurantem adstringat. Quis id æquo ferat animo? Si enim juramentum re ipsa non est, non est ergo perjurus qui violat, etsi fortè aliunde peccet: cum nemo perjurus censeatur, nisi qui violat juramentum. Ut quid ergo ab Innocentio XI. damnata est propositio paulò ante notata, *Si quis*, *vel solus*, *vel coram aliis*, *sive interrogatus*, *sive sponte propria*, *sive recreationis caussa*, *sive quocumque alio fine*, *juret*, *se non fecisse aliquid*, *quod revera fecit*, *intelligendo intra se aliquid aliud*, *quod non fecit*, *vel aliam viam ab ea*, *in qua fecit*, *vel quodvis aliud additum verum*, *revera non mentitur*, *nec est perjurus*. Est igitur, velit nolit morum doctor atque magister, etiam tunc verum ac proprium juramentum, uti tunc verum est propriumque mendacium; quamquam promittendi jurandique voluntas desit interius; modò sit illa ei, cui promissio fit, exterius declarata. Ut habet Doctor Angelicus 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 7. *ad* 4.

IV. Quartum a ratione momentum istud accipe, & quidem cæteris, quantum intelligo, luculentiùs. Quoties duæ voluntates occurrunt inter se mutuò pugnantes, ea effectum obtinet, quæ vera voluntas est, non illa quæ mera velleitas reputatur: absoluta quippe voluntas velleitatem contrariam vincit, & irritat. Id in nauta

peri-

periclitante comprobatur, qui licet merces suas servare vellet, si tutò quidem id posset, eas tamen in mare projicit, dum irato Neptuno jactatur, ut se a naufragio servet incolumem: quia voluntas absoluta vitam servandi, velleitatem illam superat, quâ suas etiam merces vellet servare, si posset. Jam nefarius Sacramenti Minister, qui ritum sacramentalem servare intendit, eumque seriò exercet, ac liberè, omni semoto joco, ac ludo; intus tamen occulta mente ritum hunc sacramentalem esse non vult, nec suos effectus in suscipiente producere: hic, inquam, duplici voluntate jactatur; absoluta una, qua lubens ac volens ritum seriò celebrat; inefficaci altera, qua ritum hunc sacramentalem esse nollet, qui tamen ex Christi institutione sacramentalis revera est: Prior ergo voluntas vincit, superatque secundam, ut nihil illa officiat Sacramento.

Certè Theologorum omnium concors sententia est, Ministrum Calvinianum E. G. qui baptizare quidem intendit, non tamen characterem imprimere, quem ex sectæ suæ principiis negat, characterem nihilosecius imprimere, perinde ac si re ipsa intenderet: quia, inquiunt illi, voluntas characterem non imprimendi, mera velleitas est, quæ ab absoluta voluntate baptizandi superatur; nec potest quis effectum prudenter nolle, ubi semel caussam voluerit. Idem sanè in casu nostro contingit: voluntas illa secretior, quâ nefarius Sacerdos ritum sacramentalem, a se seriò ministratum, sacramentalem esse nollet, mera velleitas est, quæ ab altera voluntate absoluta ritum seriò ministrandi superatur: nec potest quis prudenter velle, ut ritus ille sacramentalis re ipsa non sit, quem uti sacramentalem Christus instituit.

V. Ratio quinta hæc esto. Sacramentum sensibile signum est, a Christo Domino institutum: quidquid ergo ad essentiæ illius constitutionem pertinet, sensibile debet esse: cum sensibile ex insensibili constitui nequeat. Intentio autem illa Ministri interior, secretior, & mente abdita, sensibilis profectò non est; benè tamen exterior altera, sacramentalibus verbis expressa. Ista ergo, non illa ad Sacramenti constitutionem, & perfectionem desideratur.

Si quis verò reponat, ex multorum Theologorum opinione, intentionem Ministri partem non esse Sacramentum intimè constituentem; sed conditionem duntaxat, ad Sacramenti efficaciam, a Christo Domino præfinitam; alia via instaurabitur argumentum. Nempe quod non Ministri, sed Christi voluntas, atque intentio illa ipsa sit, quæ operatur in Sacramentis: *Neque enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus*, ut ait Apostolus 1. *ad Cor. cap.* 3. *Et sive Petrus baptizet, sive Paulus, Christus est qui baptizat*, effectumque Baptismatis opera-

tur, ut loquitur Augustinus. Si qua ergo in Ministro desideratur intentio, uti conditio ad Sacramenti efficaciam præfinita, illa est, quæ Christum exprimit baptizantem, absolventem, consecrantem, effectumque cujuslibet Sacramenti in suscipientibus operantem. Hæc autem non occulta, non secreta, non mente abdita Ministri intentio est; sed externa, verbis sacramentalibus seriò prudenterque prolatis expressa, ac declarata.

Et verò Sacramenti Minister nonnisi Christi Domini dispensator est, ac veluti procurator: juxta illud 1. *ad Cor.* 4. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei*. Ad ratum autem validumque dispensatoris, & procuratoris ministerium, satis est sincera Domini voluntas, serio liberoque dispensatoris actu aut instrumento declarata; etsi is occulta secretaque mente totum esse velit irritum & inane. Undè rem Domini perinde legitimè vendit, ejusque dominium jure transfert, ac legibus congruenter; modò seriò, liberè, omnique semoto joco, cum aliquo paciscatur & transigat; quamquam intus occulta secretaque mente repugnet, nolitque ratum esse, quod agit.

VI. Postremum istud habeto momentum, a morali, & congruenti ratione petitum. Incredibile est, Christum Dominum Sacramentorum Auctorem, illorum vim, & efficaciam iis conditionibus illigasse, quæ nec a suscipientibus, nec ab ipsa etiam Ecclesia discerni, & internosci possint, num re ipsa sint adhibitæ, vel omissæ. Sic etenim fidelium saluti minus prospexisse videretur. Quandoquidem fideles satis sibi cavere non possent, ne sibi in recipienda sacramentali gratia, fraus fieret a Ministris, conditiones illas secretiores, atque occultas, in fidelium perniciem sacrilegè omittentibus. Hujusmodi porro est mentalis illa, atque secretior, de qua disputamus, intentio; quæ num sit a Ministris adhibita, nec ab ipsis suscipientibus Sacramenta, nec ab ipsa etiam Ecclesia discerni, ac retegi potest: cujus tamen fraudulenta omissione, atque defectu, Sacramenta ad salutem etiam maximè necessaria, uti Baptismus, & Pœnitentia, effectu vacuari dicuntur. Non est itaque verisimile, Christum Dominum, qui neminem vult perire, sed salvari vult universos, Sacramentorum vim, & efficaciam ab interna, atque secreta Ministrorum intentione suspendisse. *Neque enim justum est*, inquit D. Joannes Chrysostomus *Homilia* 85. *in Joannem; propter alterius malitiam, ad salutis nostræ Symbola fide accedentes offendi*.

Eccur quæso Christus Dominus Sacramentorum vim, & efficaciam ex Ministrorum fide, & sanctitate minimè suspendit; sed ea quoque rata voluit esse, ac valida, etsi ab impiis, & infidelibus conferantur? Nisi ut fidelium saluti, quæ a rata, validaque Sacra-

cramentorum collatione maximè pendet, provideret, atque conſuleret; ne ſcilicet patenti periculo committeretur fidelium ſalus, a quo illi cavere ſibi non poſſent; quippe qui tot Miniſtrorum hypocriſim, ſanctitatem ac fidem egregiè mentientium retegere nequeunt. Quidni verò ſimile quidpiam, de occulta, ſecretaque Miniſtrorum intentione, cum Catharino dicamus, ab ea ſcilicet non fuiſſe ſuſpenſam a Chriſto Domino Sacramentorum efficaciam, atque virtutem: cum vel ſic iiſdem fermè periculis commiſſa eſſet hominum ſalus, a quibus nulla meliori via cavere ſibi homines poſſent? Næ quæſo miſeram hominum ſortem, quorum ſalus ab occulta, ſecretaque hypocritarum fraude penderet?

Non eſt ita profectò (ne quis fortè probationem hanc noſtram in nos ipſos retorquere velit) non eſt ita in hypotheſi externæ intentionis ſacri ritus ſeriò celebrandi, ex qua Sacramentorum efficaciam pendere concedimus, etſi in Miniſtrorum arbitrio perinde ſit, & negari ab iis, atque omitti ex æquo poſſit. Cum enim externa illa ſit, quæ a nobis deſideratur Miniſtrorum intentio, poteſt & a ſuſcipientibus Sacramenta, & ab adſtantibus, & ab ipſa Eccleſia obſervari, retegi, deprehendi: atque ita poteſt, ne ex Miniſtri malitia deſit, præcaveri; aut ſi defuerit, emendari ac reſarciri. Non eſt igitur in ea externæ intentionis hypotheſi, commiſſa perinde periculis hominum ſalus.

Fruſtra verò reponat aliquis, habere nos de interna illa, ſecretaque intentione, quod ſit a Miniſtris adhibita, moralem (ut alibi diximus) certitudinem. Quanquam enim ita ſit, non idcirco tamen vis infringitur argumenti, imò potius augetur multò magis. Quandoquidem hæc ipſa, quam habemus, de interiori, ſecretaque intentione, moralis certitudo, ſeu juſta præſumptio, in cauſſa potius eſt, cur ne Miniſtris deſit, minimè caveamus; & ſi fortè defuerit, factam nobis fraudem emendari, ac reſarciri non curemus.

VII. Iis omnibus momentis a ratione petitis ſigillum ponet petita ab Eccleſiæ auctoritate probatio longè graviſſima: ex judicio nempe lato in Concilio plenario Arelatenſi, & Nicæno primo, ad finiendam graviſſimam illam de rebaptizandis Hæreticis controverſiam, quæ ſæculo tertio vertente Eccleſiam Africanam cum Romana commiſerat. Ex quo quidem tunc lato judicio, neceſſaria conſecutione colligitur, Eccleſiam Catholicam ratum validumque pronunciaſſe eorum Hæreticorum Baptiſma, qui cum ritum omnem externum ſeriò quidem obſervent, formamque Evangelicam ritè debitèque pronuncient; intus tamen ſecretaque mente non ſervant, imò vitiant intimo corde atque corrumpunt. At erit hujus probationis proferendæ atque urgendæ locus opportunior. *Cap.* 13. *n.* 4.

VIII. Quæ cum ita sint omnia, illud professò consequens est, quod tanquam totius hujusce quæstionis colophonem, a studiosa Juventute alta mente repositum velim: Ministrum scilicet impium, liberè seriòque, omnique semoto joco, Sacramentum publicè ministrantem, illud idem nullatenus irritare; tametsi secretam, occultamque irritandi voluntatem animo gerat, ac secum ipse interna mente deliberet, *non intendo facere quod facit Ecclesia*.

Quid enim sibi vult, qui ita secum occultè deliberat, dum interim seriò, ac liberè celebrat? Quid illud est, per fidem Numinum! quod facit Ecclesia, quod ipse tamen facere non intendit? Vel enim ritus ipse externus est, in certa materia, & forma præscripta, quem Ecclesia quidem facit, ipse tamen non facere deliberat. At si sic est, deliberatio illa est facto contraria, ipsoque facto rescinditur. Quomodo enim facere non intendit, deliberatque non facere, quod re ipsa seriò, & liberè facit? Nihil quippe seriò, liberèque fit, nisi ex judicio rationis, & electione voluntatis. Non potest itaque iniqua illa deliberatio non faciendi ritum externum, facto ipso rescissa, ac retractata destruere Sacramentum; cum potius hæc ipsa seria Sacramenti celebratione destruatur.

Vel ergo illud quod facit Ecclesia, quod ipse tamen facere non intendit, est ritus ipse formaliter ut sacramentalis; quem certè uti sacramentalem Ecclesia facit, ipse tamen nolit uti sacramentalem efficere. At si sic est, non propterea irritat Sacramentum, quod aliunde seriò, & liberè administrat. Primò, quia non est in ejus potestate efficere, ut ritus ille sacramentalis non sit, quem Christus uti sacramentalem instituit. Secundò, quia expressa illa intentio ritum perficiendi, formaliter ut Sacramentalis est, non est ad Sacramenti valorem necessaria: ut patet in Hebræo Baptismum nostrum validè, ut sæpe definitum est, ministrante: qui certè ex quo Hebræus est, ritum illum uti Sacramentalem velle non potest, quem non esse sacramentalem firmissimè tenet.

Vel demum illud quod facit Ecclesia, quod tamen ille facere non intendit, ipsemet Sacramenti effectus est; quem Ecclesia producere quidem intendit, ipse tamen non producere occulta mente deliberat. At si sic est, ea stulta deliberatio multò minus irritat Sacramentum, quod seriò, liberèque forinsecus ministratur: tum quod in Ministri potestate non sit, posita caussa, divina virtute operante, effectum caussæ præpedire: tum quod hæc ipsa intentio producendi effectum Sacramenti, ad Sacramenti valorem, & efficaciam necessaria non sit: ut patet in Pelagianis, Lutheranis, & Calvinianis, Sacramentum Baptismi validè ministrantibus, etsi nullam producendorum illius effectuum habeant voluntatem.

Ita-

Itaque quocunque res cadat, modò facrilegus, impiusque Minifter Sacramentum liberè, feriò, omnique femoto joco forinfecus adminiftret, illud idem nequaquam irritat, tametfi fecretam, occultamque irritandi voluntatem animo gerat, ac fecum ipfe interna mente ftultè, impièque deliberet, *Non intendo facere quod facit Ecclefia*. Non quod non fit intentio faciendi neceffaria; fed quia non occulta, fecretaque neceffaria eft, fed externa duntaxat: quam ille profectò habet, qui ritum externum feriò, liberèque miniftrat; quidquid ille in contrarium impiè, & facrilegè meditetur, atque deliberet.

Jam ad objecta diluenda veniendum: quorum plena expeditaque folutio fententiam hactenus propugnatam magis magifque confirmabit, meliorique in lumine collocabit.

CAPUT X.

Satisfit Objectis in contrarium fieri solitis: ac primum quidem ex Concilii Tridentini auctoritate petitis: domestici adversarii cavilli retunduntur.

I. PRimam in nos ex Concilii Tridentini auctoritate impressionem faciunt Theologi recentiores; quibus nihil tam in ore solet esse, quàm fuisse Catharini sententiam in sacra Synodo prædemnatam, eodem cum Protestantium errore anathemate inustam, atque confixam. Audiamus itaque disputantes.

A Concilio Tridentino, inquiunt illi, definitum est, requiri in Ministro intentionem faciendi quod facit Ecclesia: sed Ecclesia facit ritum illum externum, ut re ipsa sacramentalis est; hoc est, facit ea mente, eoque fine ut sacramentalis sit: igitur id nisi Minister intendat, irritum est Sacramentum.

Egregiè verò, atque subtiliter! Perinde ac si quis diceret, a Concilio Tridentino definitum est, requiri in Ministro intentionem faciendi quod facit Ecclesia: sed Ecclesia facit ritum illum externum, uti peccatum originale delentem, uti characterem imprimentem: igitur nisi id omne Minister intendat facere, irritum est Sacramentum. Quasi vero? Pelagianorum ergo & Calvinianorum Baptisma irritum erit: nemo enim illarum sectarum minister est, qui ritum illum externum celebrare velit, uti peccatum originale delentem, & characterem imprimentem: quandoquidem pertinaciter utrumque illi negant.

Ad Dialecticos igitur hujusmodi disputatores amando, ut argumentationis formulas discant. Fallacia enim eo in argumento committitur, aliusque medius terminus in minori subsumitur, quàm in majori positus est. Concilium quippe, ut in majori ponitur, requirit in Ministro intentionem faciendi quod facit Ecclesia, non intentionem faciendi quod ipsa facit, eo modo quo facit, eodemque fine, ut additur in minori. Legant, relegant Concilia, Decreta Pontificum, nihil hujusmodi quidquam invenient. Quare turpiter aberrant Catharini oppugnatores, qui hæc duo promiscue miscent, ut illum Concilio Tridentino repugnantem ostendant. Quod Ecclesia facit, est ritus externus, in certa materia, & forma præscripta, & id certè facere intendit, quisquis ritum illum semoto joco, seriò, & liberè facit. Quomodo enim seriò & liberè faceret, nisi facere intenderet; cum liber actus esse non possit nisi a vo-

voluntate, cum intentione finis? Quod verò Ecclesia intendit per hujusmodi ritum, seu finis, propter quem Ecclesia ritum illum exercet, est sanctificatio suscipientis, characteris impressio, deletio peccati originalis: & hunc intentionis modum, seu finem illum intentionis, non esse in Ministro necessarium, plus satis in superioribus demonstravimus. Primum illud, nempe facere quod facit Ecclesia, ad intentionem verè pertinet: istud alterum, nempe facere eo fine, quo facit Ecclesia, pertinet ad rectitudinem intentionis, ut Sacramentum piè, ac religiosè ministretur, non ut validè conferatur. Audiant Doctorem Angelicum, totum id angelicè explicantem *in 4. Sent. dist. 6. qu. 1. art. 2. quæstiuncula 2. ad primum. Quamvis ad Sacramentum requiratur intentio faciendi, quod facit Ecclesia, non tamen requiritur quasi de necessitate Sacramenti existens, facere quod facit Ecclesia, propter hoc, quod Ecclesia facit: & in hoc consistit rectitudo intentionis.* Quid apertius, quid nitidius, ad nostræ sententiæ confirmationem?

II. Pari laborat æquivoco, quod verbis aliquantulum immutatis iidem objiciunt. In Ministro desideratur intentio faciendi quod facit Ecclesia: sed Ecclesia E. G. baptizando, justificat hominem, delet originale peccatum, imprimit characterem; igitur & hæc omnia debet Minister intendere, ut sit ratum, & validum Sacramentum. Duo quippe distinguenda veniunt: quod per se se, & immediatè facit Ecclesia; ritus nimirum externus, in certa materia, formaque ministratus; & quod per hujusmodi ritum, seu mediante ritu eadem facit Ecclesia; justificatio scilicet peccatoris, cæteraque in argumento recensita. Ac primum quidem debet Minister intendere, intenditque re ipsa, dum seriò, liberèque ministrat; non item alterum, quod non ad ipsam pertinet intentionem, sed ad rectitudinem intentionis, ut loquitur D. Thomas loco laudato.

III. Ita nos in editione prima. Insurgit modò contra responsum hoc nostrum domesticus impugnator. Quod facit, inquit, Ecclesia, quodque Minister debet intendere, ex judicio Concilii Tridentini, non est ritus certa materia formaque simpliciter constans, seu ritus præcisè, nudè ac materialiter tantum spectatus; sed ritus ut a Christo Domino institutus, ut in Christiana Ecclesia sacer, ut a cæremonia profana distinctus: At Minister seriò tantum liberèque forinsecus ritum Sacramentalem exercens, non eum exercet nisi præcisè in se se nudè ac materialiter spectatum; non ut a Christo Domino institutum, non ut in Christiana Ecclesia sacrum, non ut a profana cæremonia diversum; maximè dum secretam gerit in animo intentionem, totum quod agit exterius irritandi: Non habet igitur intentionem a Concilio Tridentino postulatam, ut sit ratum ac validum Sacramentum.

Data

Data Majori, in qua nonnihil dubii poſſet eſſe, ad Minorem reſpondeo, Miniſtrum quidem a nemine poſtulatum ac requiſitum; ſed ſponte ſua clanculum ac ſecretò, atque ut vulgò dicitur, extra debitas circumſtantias Sacramentalem ritum agentem, eumdem præcisè in ſe ſe nudè ac materialiter ſpectatum exercere: non ita tamen dum ritum in debitis circumſtantiis exercet, ac publicè. Tunc enim, ſin minus expreſsè atque diſtinctè, at ſaltem virtualiter & implicitè ritum intendit, uti Sacramentalem, & a Chriſto Domino inſtitutum: cum iis in circumſtantiis talis re ipſa ſit neceſſariò & eſſentialiter. Quis autem neſciat, hac in ſpecie ſufficere virtualem, & implicitam intentionem?

IV. Alteram in nos, ex ejuſdem Concilii Tridentini auctoritate, impreſſionem faciunt Theologi recentiores. Concilium *Seſſ.* 14. *de Sacramento Pœnitentiæ*, ad validam abſolutionem conferendam deſiderat, *ut Sacerdoti non deſit animus ſeriò agendi, & verè abſolvendi:* itaque ultra ſeriam actionem, ſeu ſeriam adminiſtrationem Sacramenti, veram etiam abſolutionis collationem in Sacerdote requirit: at vera abſolutionis collatio, ut condiſtincta a ſeria actione, ſeu a ſeria adminiſtratione Sacramenti, intentionem internam dicit; quemadmodum ſeria Sacramenti adminiſtratio externam intentionem importat: igitur ſacra Synodus utramque ad Sacramenti valorem deſiderat intentionem. Maximè verò, cum non modò ſeriam actionem, veramque abſolutionem deſideret ſacra Synodus in Miniſtro, ſed etiam *animum* ſic agendi, abſolvendique: quæ loquendi formula internam denotat intentionem, a ſacra Synodo deſideratam. Ea enim ex animo facere dicimur, quæ interna ſinceraque mente, & intentione præſtamus.

Reſpondeo: de mente Concilii Tridentini Lutherum damnantis nos melius judicare non poſſe, quam ex errore Lutheri damnati. Quandoquidem Concilium Tridentinum, nomine *veræ abſolutionis*, quam ultra ſeriam Sacramenti adminiſtrationem in Sacerdote deſiderat, ut verè ſit pœnitens abſolutus, nihil aliud intelligit, niſi rectam plenamque formæ abſolutionis prolationem; ita ſcilicet ut Sacramentum non modò ſeriò miniſtretur, verùm etiam plenè, ac integrè perficiatur: quorum ſi deſit alterutrum, non ſit pœnitens abſolutus: quanquam ille abſolutum ſe eſſe certiſſimè credat: quod ſtultè Lutherus deliraverat. Ille enim abſolutionem a Sacerdote joco datam non ſolum valituram ajebat, modò ſe abſolutum pœnitens certò crederet; (ut ex ejus articulis a Leone X. damnatis antea vidimus) verùm etiam verba ipſa a Domino, aut ab Eccleſia præſcripta, ſalvo Sacramento mutari poſſe contendebat. Imò eo progreſſus eſt impudentiæ *lib. de Captivit. Babylonica cap. de Baptiſmo*, ut valiturum Baptiſmum dictitet, ſi in nomine hominis ab im-

improbo Ministro conferretur, modò in nomine Domini ab adulto susciperetur. Sic enim scribit loco laudato: *Si quis, non in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizaret, sed in nomine puri hominis, modò baptizatus in nomine Sanctissimæ Trinitatis Sacramentum susciperet, esset validè baptizatus*. Quos omnes errores ut configeret sacra Synodus Tridentina, seriam Ministrorum actionem esse voluit, simulque veram, plenam, & integram absolutionis formæ prolationem faciendam edixit, ut suum Sacramentum sortiatur effectum. Quare subsumpta argumenti propositio negatur omnino. Vera enim absolutionis collatio, de qua loquitur Synodus, seriæ Ministri actioni conjuncta, ac superaddita, intentio interna non est, de qua præsens est disputatio; sed plena, & integra absolutionis formæ prolatio; quæ etiam sine interna, secretaque absolvendi intentione stare potest. Uno verbo dicam, *desideratur in Sacerdote animus verè absolvendi*: hoc est, animus verè proferendi absolutionis verba; non scurriliter & jocosè; quod Lutherus sufficere contendebat, modò se pœnitens crederet absolutum.

Futilius est longè multò, quod ad objectionis cumulum additur. Animus enim ille seriò agendi, verèque absolvendi, quem postulat sacra Synodus, non occultus, interiorque ille est, de quo quæritur in præsentia, sed externus duntaxat, hoc est, seria forinsecus administratione, plenaque & integra absolutionis prolatione expressus, & manifestus, quem scilicet pœnitens observare facilè possit; quique si fortè desit, *Pœnitens Sacerdotem jocosè absolvere, & non seriò agere deprehendat*, ut loquitur sacra Synodus.

V. Sed inquiunt adversæ partis Actores: Concilium Tridentinum præcipit intentionem faciendi quod facit Ecclesia, tanquam aliquid distinctum ab applicatione materiæ, & formæ: quandoquidem post imperatam hujusmodi applicationem, intentionem habendam subinde præscribit, ut quidpiam ab illa diversum. At intentio peragendi ritum illum externum, non est quid distinctum ab applicatione materiæ, & formæ; aut certè si quid ab ea distinctum est, ita tamen illi indivulsè cohæret, ut planè inutile sit, istam de novo exigere, dum illa semel injuncta fuit: siquidem implicat quempiam ritum externum peragere, materiamque, & formam applicare, nisi applicare intendat.

En ultimum partis adversæ conatum, sed penitus irritum. Intentio enim peragendi ritum externum, ab ipso externo ritu, seu ab applicatione materiæ & formæ distinguitur: est enim interior, & deliberatus voluntatis actus, ritum Ecclesiæ celebrandi. Jam quod additur in argumento, *intentio saltem peragendi ritum externum inseparabilis est ab applicatione materiæ, & formæ*, distin-

guendum est: est inseparabilis ab applicatione seria, & libera, verum est; ab applicatione qualicunque etiam mimica, & joculari, falsum est. Quare non frustra præter externi ritus administrationem, seu applicationem materiæ, & formæ, præcipitur a Concilio Tridentino intentio adhibenda: ut videlicet ritus ille non quomodolibet, sed liberè, seriò, omnique semoto joco peragatur. Hancque veram esse sacræ Synodi mentem, dum intentionem necessariam definivit, inde maximè liquet, quod Lutheri Error, quem damnandum sibi sumpsit sacra Synodus, quemque antea damnaverat Leo X. in eo positus esset, quod Sacramentum joco datum validum effutiret. Quare eam duntaxat intentionem necessariam in Ministro definivit sacra Synodus, quæ jocum excluderet, aut fictionem externo aliquo signo prodeuntem.

Novit id, ingenuèque fassus est Cardinalis Pallavicinus, sacræ Synodi interpres, atque Historicus *Lib. 9. Cap. 6. Sententia Tridenti proscripta eadem est quam Leo X. per suam Constitutionem in Lutbero damnavit; videlicet ita fuisse a Christo institutum Sacramentum, ut etiamsi Minister per manifestam irrisionem ac ludibrium illud peragat, effectum consequatur.*

Quidni quoque dicamus, ad eum partis adversæ conatum faciliùs superandum: Concilium Tridentinum intentionem faciendi quod facit Ecclesia non præcipere in Ministro, ut quid aliud a seria & libera applicatione materiæ & formæ; sed idem majoris explicationis gratia lato fidei decreto sancire? Ut intelligamus, hoc ipsum quod a Ministro faciendum simpliciter dixerat, tanquam fidei dogma dixisse. Unde ita sub anathemate tenendum edixit, Canone undecimo septimæ sessionis.

VI. Urgent nihilominus ex adverso. Mimus, inquiunt illi, qui Baptismum in theatro ludit, eundem jculariter conferendo, externum Baptismi ritum conferre vult; non enim joculariter conferret, nisi vellet: & tamen Baptismus joculariter collatus nullus est: igitur satis non est intentio externi ritus peragendi.

Mera hæc hallucinatio est, putidaque æquivocatio. Mimus enim Baptismum joculariter conferens in theatro, ut irrideat, aquam quidem insundere, verbaque proferre vult, cum re ipsa & infundat, & proferat: at cum id joculariter peragat, non vult baptizare, sed Baptisma repræsentare, & irridere. Uti planè dum verba contractus matrimonialis in scena profert, datque conjugales manus ad confarreationem, re ipsa verba proferre vult, manusque dare; non enim proferret, ac daret, nisi vellet; sed cum hæc joculariter faciat, non vult contrahere Matrimonium, sed repræsentare, & irridere.

Undè & aberrant nonnulli de vulgo, (dicam id obiter) qui putant,

tant, ob id unum non valere Matrimonia in theatro a mimis contracta, quia quod exterius peragunt, interna mente retractant. Ea ratio absona est. Non sufficeret enim Matrimonio irritando interna illa retractatio, si quod exterius peragunt, serium esset. Nam si quod in scena peragunt, seriò peragerent in Ecclesia coram testibus, & Parocho, staret profectò Matrimonium; quamvis occulta mente totum id retractarent, nollentque perficere Sacramentum. Idcirco ergo scenica Matrimonia sunt, quia ultra internam mentis retractationem, hoc ipsum, quod exterius peragunt, ludicrum est. Nec refert, quod plerumque ita se mimi componant, ut seriò agere videantur: satis enim ludum prodit scenicus apparatus, totumque theatri choragium.

VII. Addo & ego: si duo mimi, vir, & mulier, quo momento contractus Matrimonialis verba proferunt, dantque mutuas manus in scena, vellent interna mente, sinceroque animi actu mutuam fidem obligare; non idcirco Matrimonium contraxisse censerentur. Primùm quidem, ex nova Ecclesiæ disciplina, quæ matrimonia clandestina irrita pronunciavit. Hoc siquidem Matrimonium clandestinum esset, tametsi multis præsentibus fieret, ac etiam fortassis coram Parochis, & Sacerdotibus, si fortè scenis interessent: quia quotquot ibi præsentes adsunt, non testes Matrimonii, sed spectatores ludi reputantur. Secundò, ex ipsa Sacramenti natura Matrimonium nullum esset: quia Matrimonium etiam clandestinum, quale erat ante Concilium Tridentinum, non solo consensu interno contrahebatur; sed consensu signis, hoc est, verbis, aut nutibus expresso: omne quippe Sacramentum sensibile signum est: signa autem illa, verbaque scenica, quibus duo mimi consensum exprimerent, pro nihilo habentur, hoc ipso quod scenica sunt; nec internum, quem fortè gerunt, consensum exprimere reputantur: quia theatri verba, non ad internos animi motus exprimendos, sed ad fingendum duntaxat usus hominum destinavit. Undè hoc in casu esset quidem consensus internus, sine signo tamen externo: atque ita nullum contraheretur Matrimonium, nullum perficeretur Sacramentum.

CAPUT XI.

Petita ex D. Augustino, & D. Thoma recentium Theologorum Momenta refelluntur.

I. SEd ad id, undè digressa videtur oratio, revertamur. Sumptis ex Augustino viribus, bellum in nos animosiùs instaurant Theologi recentiores, urgentque in hunc fermè modum acriter disputando.

D. Augustinus *Lib. 7. de Baptismo contra Donatistas Cap.* 53. cum sibi quæstionem proposuisset, an Baptismus mimicè, & joculariter susceptus valeat, duo reponit: Primò desiderare se Concilii plenarii definitionem, divinamque illustrationem in eliquanda difficultate adeo salebrosa: secundò, privatam ea de re sententiam profert: aitque, si fortè ipse in Concilio, ubi res illa tractaretur, judicium ferre cogeretur, ita se pronunciaturum: Nempe *habere eos Baptismum, qui ubicunque, & a quibuscunque illum verbis evangelicis consecratum, sine sua simulatione, & cum aliqua fide suscepissent*. Ad Baptismum igitur adulti desiderat Augustinus, ut sine simulatione conferatur: æqua enim, ut in antecedentibus diximus, conferentis, ac suscipientis adulti intentio exigitur. Porro is, qui ritum externum seriò quidem administrat, omniaque ab Ecclesia præscripta exterius adhibet, interius tamen revocat, ac veluti retractat intentionem, simulatè se gerit: is itaque, ex Augustini sententia, non peragit Sacramentum.

Eo me nodo faciliùs exsolvo, & Augustinum Catharino nostro concilio. Ac primò quidem, Augustinus loco illo objecto, Baptismum joculariter, & mimicè susceptum omnino secernit a Baptismo simulatè, & cum fallacia suscepto: quia in priori ritus externus palam, apertèque deridetur; in hoc quippe jocus mimicus positus est: in altero ritus externus seriò peragitur, & interna mente fictio tegitur; in eo siquidem stat simulatio, atque fallacia. De priori, an valeat, sententiam non præcipitat Augustinus, sed Concilii generalis definitionem optat, novamque ut ait illustrationem: de secundo quid sentiat, obiter insinuat, verbis in objectione laudatis. In ea Baptismatum discretione statuenda, stat cum Augustino Catharinus; unum ab altero longè secernit; imò primum, nempe mimicum, & joculare, nullum esse pronunciat, adversus Lutheranorum, & Calvinianorum errorem: quia quam optaverat Augustinus generalis Concilii definitionem, nondum ætate

sua

ſua prodeuntem, viderat ſuo tempore Catharinus; decreta ſcilicet Conciliorum, Conſtantienſis, Florentini, & Tridentini. Alterum, nempe ſimulatum, & fictum, validum putat Catharinus, iis nixus fundamentis, quæ ſuperioribus Capitibus expoſuimus; maximè verò Innocentii III. auctoritate *Cap. Majores, de Baptiſmo, ejuſque effectibus: Qui fictè ad Baptiſmum accedit, characterem ſuſcipit Chriſtianitatis impreſſum.*

At inquiunt: ad Baptiſmum deſiderat Auguſtinus loco objecto, *ut ſine ſimulatione ſuſcipiatur*. Benè eſt, ſed id deſiderat, ut fructuoſus ſit ad juſtificationem ſuſcipientis, non ut validus ſit ad characteris impreſſionem: talis etenim eſt etiam ſimulatè, fictèque ſuſceptus. Ne quis verò putet, merum iſtud effugium eſſe, reſponſum ex triplici capite confirmo. Primò, quia Auguſtinus loco laudato ad Baptiſmum non modò deſiderat, ut ſine ſimulatione ſuſcipiatur, verùm etiam cum aliqua fide: perſpicua verba ſunt, *ſine ſua ſimulatione*, inquit, *& cum aliqua fide ſuſcepiſſent*: at ſecundum Auguſtinum, non eſt neceſſaria fides in ſuſcipiente, ut Baptiſmus validus ſit, quoad characteris impreſſionem, ſed ut fructuoſus ſit ad animæ ſanctificationem: Igitur non eſt neceſſaria ſinceritas, ad characteris impreſſionem, ſed ad animæ ſanctificationem. Secundò, quia Auguſtinus, poſt verba in objectione laudata, ſubdit e veſtigio: *quamquam eis ad ſalutem ſpiritualem non prodeſſet, ſi charitate caruiſſent; qua Catholicæ insererentur Eccleſiæ.* Supponit ergo Sacramentum ſimulatè ſuſceptum, ſi modò ſimulatio occulta ſit, valere aliunde ad characteris impreſſionem, tametſi non proſit ad ſalutem, propter ſimulationis peccatum. Tertiò (quod maximè notandum venit) quia Auguſtinus hoc ipſo in loco, qui nobis objicitur, paucis interjectis, Baptiſmum fallaciter ſuſceptum uti validum habet: idque certè ſtatuit, non uti opinionem, de qua fortè dubitaret, quemadmodum interpretantur aliqui, aut in cujus confirmationem nova Conciliorum decreta optaret; ſed uti rem compertiſſimam, Majorumque ſtatutis eliquatam, ac definitam. Auguſtini verba hæc ſunt: *Jam præteritis Majorum ſtatutis non dubito, etiam illos habere Baptiſma, qui quamvis fallaciter id accipiant, in Eccleſia tamen accipiunt, vel ubi putatur eſſe Eccleſia*, & non eſt: ut apud hæreticos, & ſchiſmaticos. Quid verò amabò eſt, *Baptiſmum fallaciter accipere*, niſi externum ritum omnem ſuſcipere, nullo oppoſitæ intentionis dato ſigno, interius autem externam illam intentionem retractare? quæ ipſamet Catharini hypotheſis eſt. Qui itaque Catharino Auguſtinum objiciunt, eundem Catharini patronum invenient, ſi ſemotis præjudiciis legere velint.

II. Idcirco meliùs conſulti illorum aliqui, Auguſtino doctrinæ

ſuæ

suæ dure relicto, suppetias a Doctore Angelico petunt, quem totum a suis partibus stare putant. Quare testimonium ejus altiùs exaggerant *in 4. Sentent. Dist. 27. Quæst. 1. Art. 2. Quæstiuncula 4. de Matrimonio* dicentis: *Expressio verborum sine interiori consensu Matrimonium non facit*. Et *in responso ad 2. Si desit consensus mentalis ex parte unius, ex neutra parte est Matrimonium*. Quibus paria habet Innocentius III. *Cap. Tua nos, extra de Sponsalibus, & Matrimonio in quinto Decretalium*; conceptissimis verbis decernens, non contrahi Matrimonium, nisi consensus verbis aliisve signis expressus, internus etiam sit, mentalis, & minimè fictus. Quod etiam communiter docent Theologi, Legumque periti, ubi de consensu ficto in Matrimonio disputant. Ex quibus istud in nos conficitur argumentum: Matrimonium novæ legis Sacramentum est, cujus Ministri sunt ipsimet contrahentes: sed non perficitur Matrimonium solo contrahentium externo consensu, verbis, aliisve signis expresso, nisi interior quoque sit, mentalis, ac minimè fictus: non itaque perficitur Sacramentum sola Ministrorum intentione, sacramentalibus verbis expressa, nisi interna quoque accedat intentio.

Et hunc quoque nodum paucis extricare possemus, negando contrahentes Ministros esse Matrimonii, ut Sacramentum est: quod certè eruditissimi Theologi negant, Legumque periti; qui non contrahentes, sed Sacerdotem benedicentem Ministrum esse contendunt: Quos longo ordine in meis Melchioris Cani Vindicationibus appellavi *Cap. 7.* nempe Guillelmus Parisiensis *Lib. de Sacr. Tract. de Matr. Cap. 9. Quæst. 1., & Cap. 1. de Bapt.*, Petrus Paludanus *in Lib. 4. Sent. Dist. 5. Quæst. 2.* Simon Vigorius *in Suffragio Tridenti dato*, cujus meminit Cardinalis Pallavicinus *Lib. 22. Hist. Cap. 9. n. 5.* Melchior Cano *Lib. 8. de Locis Theolog. Cap. 5.* Dominicus Bannes *in Comment. ad primam Part. D. Thomæ Quæst. 1. Art. 8.* Franciscus Cardinalis Toletus *Lib. 7. Institut. Cap. 2.* Guillelmus Estius *in Lib. 4. Sentent. Dist. 26. Parag. 10.* Franciscus Sylvius *in Supplemento Quæst. 42. Art. 1. Quæsit. 1.* Joannes Marius Scribonius *Disput. 9. de Matrimonio*, Vincentius Contensonius *Lib. 11. Theolog. mentis, & cordis Part. 4. Disp. 4. Cap. 1. de Sacramento Matrimonii*, Franciscus Combefisius *ad Orat. Damasceni in Constantium Caballinum*, Claudlus Frassenius *in Scoto Academico Tractat. 3. de Matrimonio Disp. ultima, Art. 1. Quæst. 3.* Gaspar Jueninus *in Comm. Histor. Dogm. de Sacramentis Dissert. 12. de Matrimonio Quæst. 3.*, Natalis Alexander *in Theolog. Dogmat., & morali Lib. 2. de Sacramento Matrimonii Art. 5. Paragr. 2.* In ea porro tot Virorum eruditorum de Matrimonii Administro sententia, nihil ad præsens institutum valet oppositum argumentum:

sic etenim falsum est, contrahentes ministros esse Matrimonii; atque ita falsa est suppositio. Age tamen, & contrahentes hujusce Sacramenti Ministros esse, juxta vulgarem opinionem concedamus: vertunt ima summis, qui istud nobis objiciunt, mutantque quadrata rotundis. Aliud enim est consensus unius conjugis in alterum, aliud est intentio perficiendi Sacramentum. Consensus unius conjugis in alterum, per verba, aliave signa expressus, est forma, aut certè caussa efficiens Matrimonii: intentio autem perficiendi Sacramentum, non est forma, nec caussa efficiens Matrimonii, sed conditio desiderata ex parte conjugum, ut Ministri sunt Sacramenti. Quia autem consensus fidei mutuæ, re ipsa consensus non est, quantumvis verbis expressus sit, nisi sit etiam interior, atque mentalis: idcirco Matrimonium nullum est, defectu nimirum formæ necessariæ, dum consensus verbis expressus, interior etiam, mentalisque non est. At non dicitur tunc Matrimonium nullum, ex defectu solius Ministrorum intentionis. Quare propositum argumentum a præsenti quæstione peregrinum omnino est. Agimus enim de interna, atque mentali Ministri intentione, quam necessariam esse negamus, ad perficiendum quodcunque Sacramentum; propositum autem argumentum probat ut ut maximè, formam Matrimonii, quam in interiori consensu signis expresso positam dicunt, ad perficiendum Matrimonium esse penitus necessariam. Ecquis dubitet? at nihil istud ad nos, motamque hactenus controversiam.

III. Si quis autem quærat ex me, quorsum conjugum consensus inter sese mutuus, non externus duntaxat esse debeat, hoc est, verbis, ac signis expressus, verùm etiam internus, atque mentalis, ut stet validum Matrimonium: non ita tamen esse debeat intentio Ministri, perficiendi quodcunque Sacramentum? (nam & inde contra nos argumentum a simili fieri posset) Respondeo latum inter utrumque discrimen esse: quia mutuus conjugum consensus, quidpiam intimum, internum, atque mentale pro objecto habet; fidem scilicet mutuam, animorumque conjunctionem, quam sibi mutuò conjuges spondent; intentio verò Ministri quidpiam externum, atque sensibile pro objecto habet, ritum scilicet sacramentalem, in tali materia, talique forma perficiendum. Atque ita nil mirum, si conjugum consensus signis expressus, interior etiam, mentalisque esse debeat; non item tamen intentio Ministri perficiendi Sacramentum.

IV. Nec est quod mihi quispiam objiciat, Doctorem Angelicum argumentum inde a simili petiisse *in 4. Sent. Dist. 27. Quæst. 1. Art. 2. Quæstiuncula 4.*, eaque maximè comparatione probasse, expressionem verborum, sine interiori conjugum consensu, non effice-

ficere Matrimonium ; quia sola interior Ministri intentio sine exteriori non sufficit ad Baptismum. *Sicut se habet*, inquit ille, *ablutio exterior ad Baptismum, ita se habet expressio verborum ad hoc Sacramentum:* Matrimonium. *Unde sicut si aliquis ablutionem exteriorem reciperet, non intendens accipere Sacramentum, sed ludum, & dolum facere, non esset baptizatus : ita expressio verborum sine interiori consensu Matrimonium non facit.*

Id inquam frustra quispiam objiciat. Tum quod de intentione Ministri sacri Baptismatis non hic agat Doctor Angelicus, sed de intentione suscipientis: quæ altera difficultas est aliquantulum gravior, de qua nobis non est in præsentia disputatio. Tum quod de intentione suscipientis loquatur, *qua ludum facere vellet:* quam & nos ad validum Baptisma suscipiendum non sufficere, ultrò citròque concedimus, qui seriam forinsecus sacri Baptismatis tum susceptionem, tum collationem postulamus. Id ni dicamus, erit sibi contrarius Doctor Angelicus, qui eodem *Lib. 4. Sentent. Dist. 6. Quæst. 1. Art. 2. quæstiunc. 1. ad 2. Mentalem intentionem* non desiderat in Ministro, sed *solam intentionis expressionem.*

V. Hæc si minus solvendæ difficultati sufficiunt, quæ ex consensu matrimoniali petitur adversus Catharini Systema ; hoc tibi breviùs & expeditiùs responsum habeto. Dum Doctor Angelicus, legumque periti contendunt, interiorem consensum esse necessarium ad validum Matrimonium, atque ita consensum fictum contrahendo Matrimonio non sufficere, communiter docent, de interiori consensu loquuntur, cujus objectum sit verbum illud externum, *Ego te accipio in Conjugem*, aliudve signum sensibile, quo sibi mutuam fidem Conjuges spondent : adeo ut validum esse nolint Matrimonium, nisi Contrahentes interno voluntatis actu verbum illud externum proferre velint, aliudve sensibile signum dare, illudque re ipsa seriò dent atque liberè: Non de interiori consensu loquuntur, cujus objectum sit ipsamet mutuæ fidei obligatio: Quasi verò necesse putent ad valorem matrimonii, ut contrahentes interna etiam mente, cordisque intimo mutuam illam fidem obligare velint, quam datis signis externis sibi invicem forinsecus spondent. Absit id a virorum eruditorum mentibus. Ex antedictis enim *Cap. 9. Num. 3.* perspectum est, promissionem solemniter seriò ac liberè datam perinde valere, ac promittentem adstringere, tametsi interius desit animus promittendi, fidemque suam obligandi. Aliàs nemo unquam de contracto validè Matrimonio certus esse posset ; cum nemini constare possit, liberis illis seriisque mutuæ fidei signis, sibi ab altero Conjuge datis, internum secretumque consensionis actum accessisse. Quapropter consensus fictus, quem Matrimonio contrahendo sufficere negant Theologi legumque

que

que periti, non ille simpliciter est, cui interior voluntatis assensus minimè respondet, quo velint Conjuges sese externis illis verbis aut signis invicem obligare; sed ille qui non modò secreto animo retractatur, verùm etiam minus liberè datur, aut minus seriò.

Quare nihil Theologi legumque periti a Catharini systemate dissentiunt, etiam ubi de Consensu matrimoniali disputatur. Uti enim ad ratum validumque Sacramentum satis esse vult Catharinus in Ministro externam celebrandi sacri ritus intentionem; quæ licet externa dicatur ratione objecti, (quia est de ritu externo celebrando) est tamen interna ratione principii; quia deliberatus est mentis actus, quo Minister ritum illum externum celebrare constituit, celebratque re ipsa: ita D. Thomas, legumque periti, ad validum Matrimonium satis in contrahentibus esse volunt externam mutuæ fidei promissionem, quæ licet externa dicatur ratione objecti, (quia est de dandis mutuæ fidei signis externis) est tamen interna ratione principii; quia deliberatus est mentis actus, quo contrahentes signa illa externa dare constituunt, dantque re ipsa. Ac velut administrato liberè ac seriò Sacramento, nihil officere docet Catharinus, si fortè contraria Ministri intentio animo delitescat, modò ne prodatur exterius; ita contracto liberè ac seriò matrimonio, nihil officere docent Theologi, legumque periti, si fortè interior contrahentium dissensus animo delitescat, nulloque signo prodatur exterius. Aliàs consensus externè datus fictus est judicandus, veroque contrahendo matrimonio non sufficit, propterea quod illata vi incussoque timore sit datus.

Uno verbo, id postulant Theologi legumque periti ad ratum validumque matrimonium, ut contrahentes intimo liberoque mentis assensu, hoc est, nulla vi nulloque timore concussi, externa mutui consensus signa sibi invicem donent. Quo facto, nihil matrimonio officiat, si fortè interno mentis actu nolint fidem sibi invicem obligare. Perinde enim remanent obligati in foro etiam interno: quia Deus conscientiæ testis ita promissionem accipit alteri conjugi factam, ut ille ipse, cui fit, eam intelligit. Quod fusiùs *Cap. 9.* demonstravimus.

VI. Sed ais, annon systema istud nostrum secum ipso pugnat, dum seriam ritus externi celebrationem postulamus, ut stet validum Sacramentum, tametsi secreta Ministri intentione retractetur? Quandoquidem *seria* celebratio non est, dum secreta, occultaque Ministri intentione retractatur.

Respondeo, actum humanum serium dupliciter dici: primò, quia nec fictus est, nec simulatus, dum scilicet interior actus externo respondet: secundò, quia jocularis non est, neque scenicus;

dum scilicet quidquid in actu externum est, semoto ludo fit, atque joco, etsi fortè interno actui minimè respondeat. Sacramentalem igitur actum secundo sensu serium esse volumus; quia talem sacra Synodus Tridentina necessarium definivit, adversus Lutheranorum, & Calvinianorum errorem: non priori sensu actum serium postulamus; cum nec talem postulent sacræ Synodi, Romanique Pontifices, ut ratum sit, ac validum Sacramentum. Dicam id expeditiùs atque simpliciùs: ludum internum officere Sacramento negamus; externum officere profitemur: non pugnant autem ista duo, sed stant sæpe simul, exterior gravitas, ludus interior. Atque ita nil secum pugnat sententia nostra.

VII. Ad restim funiculum addunt aliqui, ut D. Thomam in suas partes trahant. Si externa, inquiunt illi, ministri intentio, quæ in seria sacri ritus celebratione consistit, ratum validumque faceret Sacramentum, non autem interior menteque abdita; certè ubi non est in Ministro intentio illa exterior, nullum prorsus Sacramentum esset, etsi fortassis adesset interior: at contingere potest, subjungunt illi, ut ratum sit ac validum Sacramentum; E. G. ut rata validaque sit Consecratio Corporis Christi, etsi desit exterior intentio; seu etsi ritus non observetur externè, imò penitus omittatur: Non igitur exterior intentio ratum validumque efficit Sacramentum, sed potius interior. Minorem subsumptam D. Thomæ suffragio probant, *in* 4. *Sent. Dist.* 13. *quæst.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 6. *Remotis his, quæ non sunt de essentia rei, nihilominus res manet; undè cum hujusmodi ritus, & quantum ad determinationem horæ, vel loci, vel indumentorum, non sint de essentia Sacramenti, sed de solemnitate, si omittantur; nihilominus consecratum est sacrificium; dummodo adsint ea, quæ sunt de essentia Sacramenti, scilicet ordo, & intentio ex parte consecrantis, & materia, & forma, ex parte consecrati: tamen graviter peccat, qui aliter facit, & degradandus esset*. Et 3. *part. quæst.* 83. *art.* 3. *ad* 8. *Si Sacerdos verba consecrationis proferat super materia debita, cum intentione consecrandi, absque omnibus prædictis, scilicet domo, & altari, calice, & corporali consecratis & cæteris hujusmodi per Ecclesiam institutis, consecrat quidem in rei veritate Corpus Christi; peccat tamen graviter, ritum Ecclesiæ non servans*.

Confirmant hoc ipsum exemplo sacrilegi Sacerdotis, qui cum ad patibulum duceretur, panes in pistoris taberna venales, prolatis elata voce verbis Eucharisticis consecravit; qui certè externam Ecclesiæ intentionem non habuit, in seria sacri ritus celebratione positam; quam potius impiè & sacrilegè violavit.

Re-

Respondeo sacrum ritum, in cujus seria celebratione necessariam intentionem positam volumus, illum solum esse, qui a Christo Domino tanquam Sacramenti essentia institutus est; seriam nempe applicationem debitæ formæ ad debitam materiam: non illum verò, qui ab Ecclesia ad congruentem religiosam ac piam Sacramenti celebrationem est additus: ad quem illa spectant omnia, quæ a Doctore Angelico recensentur. Qui ergo debitam formam debitæ materiæ applicat, Ecclesiæ intentionem censetur habere; quanta satis est, ut sit valida consecratio; etsi ecclesiasticum ritum omittens, non eam habeat intentionem, quæ ad religiosam piamque Sacramenti confectionem præscribit Ecclesia.

Cæterum de sacrilego Sacerdote, qui supra venales panes ad patibulum ductus verba protulit Eucharistica, *hoc est corpus meum*; quorumdam eruditorum sententia fuit, nullam ab eo consecrationem esse factam; propterea quod is *intentionem*, ut ajebant, *Ecclesiæ non habuisset, quæ Ministros suos decenter ac reverenter rem sacram facere vult*. Ita nempe pronunciavit Illustrissimus Petrus de Marca Archiepiscopus Parisiensis, *in Opusculo quodam posthumo* per D. *Fagetum* publicato. Verùm non observavit vir summus, futilem cassamque esse rationem adductam; aliudque longè esse quod intendit Ecclesia, ut sit validum Sacramentum; aliud quod intendit & mandat, ut piè ac religiosè ministretur. Ad primum quidem id Ecclesia vult, ut minister seriò liberèque formam materiæ applicet suæ (quod fecisse videri potest sacrilegus sacerdos) ad alterum, ut rem sacram faciat decenter ac reverenter; quod ille profectò non fecit. Aliàs si ad validum Sacramentum, istud quoque alterum necessarium foret, non modò memorati sacrilegi Sacerdotis Consecratio nulla fuisset; sed & alterius cujusque minus pii minusque religiosi Sacerdotis, qui rem sacram publicè in Ecclesia facit, *irreverenter* tamen & *indecenter*. Quod certè Theologorum nemo unus somniavit.

Ego tamen, (si meum hic judicium de facto sacrilegi Sacerdotis interponere liceat) nullam fuisse consecrationem opinabor: Non quidem quia rem sacram *decenter ac reverenter non fecit*, ut philosophati sunt aliqui; sed quia rem sacram non fecit seriò, formamque materiæ applicavit irrisoriè: eique propterea defuit exterior intentio, qualem hactenus ad validam Sacramenti confectionem, necessariam propugnavimus. Quamquam enim non id egerit impius Sacerdos, ut vel oblectationem inde caperet aliquam, vel ut adstantes recrearet, & provocaret ad risum, (quod facit mimus in Theatro) id egit tamen, ut ipsum luderet ac profanaret Sacramentum; quod necessariæ intentioni repugnat; ac tum ma-

ximè dum prava profanandi ludendique voluntas signis externis, factique circumstantiis innotescit: quod certè memorato in casu accidisse, liquet. Quis enim ex circumstantiis loci ac temporis, quo ea facta seu potius tentata est consecratio, ex conditione personæ consecrantis, ipsoque demum consecrandi modo, pravam atque sacrilegam intentionem voluntatemque non illico deprehendit? Hac ergo de caussa, meo quidem judicio, nulla tunc facta est consecratio.

CA-

CAPUT XII.

Objecta, ex Romanæ Inquisitionis Decreto, difficultas eliditur, expeditur: novæ Domestici adversarii argutiæ refelluntur.

I. DEcreto Romanæ Inquisitionis tanquam ariete admoto, Catharinum impetunt recentiores: eo nimirum quod die 7. Decembris anno 1690. sub Alexandro VIII. datum est: ubi inter propositiones 31. hæc damnatur assertio, *num.* 28. *Valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus verò in corde suo apud se resolvit, non intendo facere, quod facit Ecclesia.* Quo telo Catharini sententiam, ac nostram petitam existimant.

At perperam prorsus atque injuria. Ea quippe proscripta propositione, Catharini sententia ac nostra minimè continetur. In illa siquidem temperamenta desunt, a Catharino, & a nobis apposita, quæ rei summam planè conficiunt. Contendimus enim primò, valere Baptismum ab eo collatum, qui seriò, omnique semoto joco, ritum omnem externum observat; tametsi intus intentionem, quam prodit exterius, intra se retineat, atque retractet: Proscripta verò propositio, nulla seriæ, & ab omni joco semotæ administrationis mentione facta, valere Baptismum affirmat, si ritus externus quomodolibet administretur: atque ita justè ferulam meruit. Sic enim Baptismus etiam a mimo, ludendi caussa collatus in scena, validus esset. Ille enim ritum omnem externum observat, tametsi ludens, atque irridens. Non itaque sententia nostra eo telo petita est, sed Calvini, & Lutheri doctrina; qui Baptismum etiam scenicum, ac theatralem, ratum, ac validum fabulantur: quæ sententia a nonnullis malè feriatis imprudenter recudebatur in Belgio, aut certè recudi ferebatur.

Secundò, valere Baptismum contendimus, modò liberè ministretur, & in iis maximè circunstantiis, ex quibus determinatur Minister ad agendum publico Ecclesiæ nomine: Proscripta verò propositio nullam hujusmodi libertatis, & circumstantiarum mentionem ingerit: sed universim valere dicit quocunque casu, modò ritus exterius peragatur. Sic ergo valeret Baptismus ab eo collatus, qui hærente suis faucibus gladio, ad proferenda verba compelleretur. Ille quippe Minister ritum externum observaret, tamet-

si

si coactè, & in ea circumstantia, in qua certè non tenetur agere, uti Minister Ecclesiæ, illiusque nomine. Nihil itaque cum Catharini sententia, ac nostra commune habet propositio ab Alexandro proscripta.

Tertiò loquitur propositio damnata de Ministro, qui intra se diceret. *Non intendo facere quod facit Ecclesia:* At in systemate nostro Minister id intra se dicere non potest; quia supponimus Ministrum seriò, & liberè facientem quidquid Ecclesia facit: implicat autem ut qui seriò, & liberè facit quod facit Ecclesia, intus intra se dicat. *Non intendo facere quod facit Ecclesia*. Quomodo enim seriò, & liberè faceret, si facere non intenderet? Esset profectò ea protestatio contraria facto. Non ergo systema Catharini, & nostrum ea damnatione petitum est, sed aliud longè diversum.

II. Quocirca sanctè & religiosè profiteor, me quo tempore Decretum illud editum est, Romæ substitisse, seriòque nonnullos primæ notæ Præsules Consultores, qui in ferenda sententia Judices sederant, interrogasse, num Catharini sententiam eo Decreto proscribere voluissent; eosque semel iterumque id pernegasse, professosque aliud longè a Catharini systemate, ea proscripta propositione contineri.

Et quidem etiam post latum Decretum illud, Catharini sententiam a gravissimis Theologis propugnatam videmus: a Gaspare Juenino, Oratorii Domini Jesu Presbytero, *in Commentario Historico-Dogmatico de Sacramentis*, nusquam a Romana Sede proscripto, etsi Theologicæ illius Institutiones haud ita propitium Romanum Cœlum habuerint: ubi etiam objectum sibi Decretum illud interpretatur, & cum Catharini sententia conciliat: ab Illustrissimo Præsule Francisco Genetto Episcopo Vasionensi, in *Theologia morali*, ante annos circiter viginti, Clementi XI. nuncupata, eodemque Pontifice annuente, Venetiis edita; ubi varios conscientiæ casus juxta Catharini systema eruditè resolvit, *in Appendice Tomi tertii*: ab Auctore *Summæ Alexandrinæ*, ante annos aliquot Romæ cum approbatione Magistri sacri Palatii Apostolici, aliorumque Curiæ Censorum, typis editæ, ac nuper ex Benedicti XIII. jussu anno 1725. publicatæ: in cujus *Tom. I. Tractatu de Sacramentis in genere pag. 32. n. 47.* assertio ista ponitur, ac defenditur, Catharini sententiam spirans, ac intimè referens. (Ad Parochum Massiliensem alludit hic auctor, Ludovicum Gaufredum, de quo supra *cap. 6.*) *Si perditus Sacerdos, & magicis artibus deditus, pactoque execrando diabolo obligatus, seriò quidem baptizaverit infantes sibi oblatos, perfundens aqua, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & veram, ac sinceram voluntatem habuerit exercendæ exterioris illius cæremoniæ, qua bapti-*

zans

zans Ecclesia utitur, eamque re vera exercuerit, per speciem hominis eò illam dirigentis, quò Ecclesia dirigit; sed tamen intentionem habuerit, quoties baptizavit, infantes sibi oblatos devovendi Diabolo; pueris illis non nocuit sacrilega intentio Ministri: Illos enim per Baptismum Deo consecravit Christus, qui baptizat, *consecravit Columba, idest Ecclesia; quorum nomine Minister baptizavit; Neque vim verborum Evangelicorum, quæ integra seriò protulit, frustrare potuit. Idem est de aliis Sacramentis judicium.* Quid aliud per fidem Numinum Catharinus? quid aliud & nos?

Sed & nemo nescit, sententiam illam in publicis circulis Romæ persæpe defendi, probante, ut illic moris est, sacri Palatii Apostolici Magistro, publico conclusionum censore, & approbatore. Quod utique minimè fieret, si Ambrosii Catharini systema Alexandri VIII. decreto fuisset inustum.

Ecquis etiam facilè sibi persuadeat, Alexandrum VIII. damnare Decreto suo voluisse Innocentium IV. cujus est ista sententia, Catharini systema verbis etiam crudioribus exprimens: *Non est necesse, quod Magister gerat in mente facere quod facit Ecclesia; imò si contrarium gereret in mente, scilicet non facere quod facit Ecclesia, sed tamen facit, quia formam servat, nihilominus baptizatus est, dummodo baptizare intendat.* Super *Caput si quis puerum Tit. de Baptismo*: quanquam non esset ille Pontifex; dum hæc scripsit, sed privatus Canonici Juris interpres.

III. Hæc nos ad decreti Alexandrini explicationem responsa dedimus, priori Vindiciarum istarum Editione, adeo per se se resoluta ac decretoria, ut refractariola quæque ingenia rapiant ac devinciant. Repugnat nihilosecius domesticus Impugnator, subdolisque cavillis conatur evertere. Audiamus itaque Cavillatorem.

Damnata, inquit ille, ab Alexandro propositio de eo Ministro loquitur, *qui ritum omnem externum observat*: sed ad ritum externum pertinet seria libera publica rei sacræ pertractatio: est itaque damnata propositio, de Ministro intellecta etiam seriò liberè ac publicè celebrante.

Ingeniosè scilicet atque subtiliter disputatum! Quasi verò non aliud sit, quod ad ritum sacramentalem pertinet, ex parte Sacramenti; alterum quod ad eumdem pertinet ex parte Ministri: (quæ duo in ritu sacramentali sapienter distinguit Doctor Angelicus *in 4. sent. dist. 13. qu. 1. art. 2. quæst. 6.*) Primum est materia & forma, alterum est seria liberaque materiæ & formæ applicatio. Porro damnata est propositio, quod de Ministro loquatur ritum omnem observante, quantum ad primum, non itidem quantum ad alterum. Atque ita nihil Catharinum ejusque vindices ea damnatio contingit.

In-

Inſtat Cavillator : Intellecta propoſitio de Miniſtro jocosè & & ſcurriliter miniſtrante, in Concilio Tridentino damnata jam fuerat, contra Lutherum & Calvinum : non itaque neceſſe erat ut ab Alexandro VIII. ſecundò damnaretur, ſi de eo duntaxat Miniſtro re ipſa dicta eſt, ut interpretari nobis libuit.

Eccur quæſo ſecundò damnari neceſſe non fuit, ſi qui primùm in Luthero & Calvino a Patribus Tridentinis damnatus eſt error, a nonnullis Theologis recentioribus recudebatur in Belgio? aut certè recudi ferebatur.

Verùm urget ille : Nullus ætate noſtra inventus eſt Theologus Belga, qui propoſitionem illam, Lutherano ſenſu acceptam de ſcripto docuerit; quique Baptiſmum ſcenicum & theatralem ratum validumque commentus ſit.

O tu quis es, & ubi gentium vivis, qui iſthæc nobis occentes? Num fortè apud Garamantas & Indos, ut ignores, Lutheranum ſenſum erroremque, Catharini ſyſtematis defenſoribus fuiſſe ſemper affictum ab æmulis obtrectatoribus, qui alterum ex altero fluere ignoranter arbitrabantur? Nihil itaque mirum, ſi Lutheranus hujuſce propoſitionis ſenſus, Belgis nonnullis Theologis per ſummam calumniam attributus, novo Alexandri VIII. Decreto damnatus ſit.

CA-

CAPUT XIII.

Momentum a Prisca Patrum Orientalium Historia petitum eliditur, exsufflatur.

I. Dispendium operæ faciam, si surda aure præteriero observationem historicam, qua non ita pridem Vir eruditus, ac mihi summè colendus, in publica disputatione evincere satagebat, priscos Ecclesiæ Patres ab eo, quod defendimus, Catharini systemate longiùs abscessisse.

Perspectum est, ajebat ille, permultos Ecclesiæ Patres, ac in iis maximè Athanasium *Orat.* 3. *contra Arianos*, Basilium *Epist.* 1. *Canonica ad Amphilochium*, Cyrillum Jerosolymitanum *in Præfatione Catecheseon*, post celebratas Synodos Arelatensem, atque Nicænam, ubi Rebaptizantium error proscriptus fuerat, hæreticorum Baptisma rejecisse; eosdemque, si ad Ecclesiam accederent, secundò tinxisse. At hæreticorum Baptisma non ideo rejicere poterant laudati Patres, quod sine fide collatum esset; cum Ministri fidem ad Baptismi valorem minimè necessariam, laudatæ Synodi definivissent: nec quod hæretici joculariter Sacramenta sua ministrarent; cum contra & seriò, & liberè ministrare universos, exploratissimum esset: Horum ergo Baptisma rejiciebant laudati Patres, quod nefarios illos viros sinceram, internam, secretamque perficiendi Sacramenti intentionem non habere, suspicarentur. Adeoque illam ipsam, ad Sacramenti valorem, necessariam intentionem Ecclesiæ Patres, præsertim Orientales existimarunt.

Cujus animalis cauda illa sit, haud satis capio: adeo est illa ab suo capite longe deducta. Quidni veriùs auguremur nos, Athanasium, Basilium, & Cyrillum, hæreticorum Baptisma, etiam post lata Arelate, & Nicææ judicia rejecisse; eosdemque, si ad Ecclesiam accederent, secundò tinxisse, alia planè de caussa, quàm quæ in eo fingitur argumento? Nempe quod metus esset, ne ii Baptismatis formam lustrando vitiassent; qui magna ex parte contra Trinitatis fidem errabant. Unde & Athanasius, hac ipsa in *Oratione* 3. qua Baptismum Arianorum, tanquam *vanam speciem*, *inaneque simulacrum* rejicit, hanc judicii sui rationem assignat: *Non enim in Patre, & Filio tribuunt Baptisma Ariani, sed in Creatore, & creatura, in Factore, & factura.* Quod idem de nonnullis saltem Arianis observat Doctor Angelicus 1. *part. quæst. 61. art.* 1. illos scilicet baptizare solitos, *in nomine Patris majoris, & Filii minoris.*

ris. Ex quibus proinde intelligimus, quo ſenſu de iiſdem Arianis, laudata jam *Oratione* 3. dixerit Athanaſius. *Nomen Patris, & Filii, quia illa in Scripturis vident, ſimulant ſe ſe nominare* baptizando; nempe quod ſacra illa nomina Divinarum perſonarum extremis labiis pronunciando, ſpuriis gloſſematibus ſenſu vacuarent.

II. Quanquam nihil eſt cur hoc ipſum quæramus effugium, ut ab eo nos expediamus argumento. Ideo enim Cyrillus, Baſilius, aliique nonnulli Orientalis Eccleſiæ Patres hæreticorum Baptiſma repudiabant, illoſque ad Eccleſiam reduces novo Baptiſmate initiabant, quod Miniſtri fidem ad Sacramenti valorem neceſſariam reputarent, etſi ſecus Arelatenſis Synodus, atque Nicæna decreviſſent: tum quia Synodi Arelatenſis in Occidente celebratæ auctoritatem non agnoſcebant: tum quia Africanorum errorem in Nicæna Synodo, per legitimam duntaxat conſequentiam damnatum, necdum tunc deprehenderant: tum demum, idque præcipuè, quia quæſtionem illam (ſit ne hæreticorum Baptiſma recipiendum, an rejiciendum,) diſciplinæ caput eſſe, non juris arbitrabantur: in quo privatis Eccleſiis, priſcis ſuis ſtare moribus, atque uſibus licitum eſſet: quidquid ea in re Oeconomiæ cauſa laudatæ Synodi ſtatuiſſent. Undè & Baſilius poſt Nicænam Synodum *ad Amphilochium* ſcribens, *Rectè admonuiſti*, ait, *quòd oportet uniuſcujuſque regionis morem ſequi: quod variæ fuerint de ipſorum Baptiſmate diſſenſiones*.

Neque verò id mirum, cum primi ipſi controverſiæ hujus auctores, Cyprianus, Firmilianus, cæterique Africæ Præſules, non juris, ſed diſciplinæ quæſtionem eſſe contendiſſent, in qua cuique Epiſcopo liberum eſſet & ſentire, & ſervare quod vellet. Undè Cyprianus *in Epiſt.* 72. *ad Stephanum* R. P. ſuo & Synodi Africanæ nomine data, *Scimus*, inquit, *quoſdam, quod ſemel imbiberint, nolle deponere, nec propoſitum ſuum facilè mutare, ſed ſalvo inter Collegas pacis & concordiæ vinculo, quædam propria, quæ apud ſe ſemel ſint uſurpata, retinere. Qua in re nec nos vim cuiquam facimus, aut legem damus, quando habeat in Eccleſiæ adminiſtratione, voluntatis ſuæ arbitrium liberum unuſquiſque Præpoſitus, rationem actus ſui Domino redditurus*. Et *Epiſt.* 76. *ad Magnum: Oſtendi quid nos, quantum in nobis eſt, ſentiamus; nemini præſcribentes, quominus ſtatuat quod putat unuſquiſque Præpoſitus actus ſui rationem Domino redditurus*.

III. Cæterum laudatos in argumento Eccleſiæ Patres, Athanaſium, Baſilium, Cyrillum Jeroſolymitanum, alioſve quoſcunque libet, ideo tunc hæreticorum Baptiſma rejeciſſe, quod illos internam, ſecretamque de qua agimus intentionem nequaquam adhibere ſuſpicarentur, (quod ajebat fervidus Diſputator) figmentum eſt

inter

inter omnia maximum, quod nemini unquam venit in mentem. Sic enim omni ſubinde ætate, ac etiam poſt recepta, probèque intellecta Synodi Arelatenſis, atque Nicænæ Decreta, hæreticorum Baptiſma perinde rejeciſſent; illoſque, ubi ad Eccleſiam redibant, ſecundò tinxiſſent: cum eam ſemper de viris perfidis ſuſpicionem habere poſſent, num ſecretam illam internamque intentionem non adhibuiſſent. Quod tamen ſecus accidiſſe perſpectum eſt. Imò quoties ſecutis inde temporibus, de nonnullis hæreticis ad Eccleſiam reducibus denuò baptizandis eſt actum, quod minus rectè ſua in ſecta baptizati crederentur; de ſervata quidem a Miniſtris ſuis debita forma, deque ſacro ritu feriò, prudenterque peracto quæſitum eſt diligenter; de interna verò ſecretaque intentione ab iiſdem adhibita, quæſtio planè nulla eſt habita. Adeo ſcilicet perſuaſum Patribus erat, eam in Miniſtris, ut rata, validaque ſint Sacramenta, minimè deſiderari.

IV. Sed quid juvat his immorari? Imò ſi quid ex celebri illa de rebaptizandis hæreticis controverſia, priſcis Eccleſiæ ſæculis agitata extundi poteſt, quod ad quæſtionem hanc noſtram trahere liceat; longè verius ex lato tunc demum ſolemni judicio momentum petetur in gratiam Syſtematis Catharini, quàm ex ſingulari, quæ modò nobis objicitur, quorundam Græcorum Patrum opinatione, contra Catharinum.

Supremo enim Eccleſiæ judicio definitum tandem eſt, ratum ſtare validumque Baptiſma, a quibuſvis Hæreticis, etiam de Trinitate pravè ſentientibus; quales tunc plurimi erant, adminiſtratum; modò tamen verbis Evangelicis, ſeu cum diſtincta Divinarum perſonarum invocatione collatum eſſet. Ita quippe Concilium Arelatenſe I. *Can.* 8. *Placuit, ut ſi ad Eccleſiam aliquis de hæreſi venerit, interrogent eum Symbolum; & ſi perviderint eum in Patre & Filio, & Spiritu Sancto eſſe baptizatum, manus ei tantùm imponantur, ut accipiat Spiritum Sanctum.* (*a*) Ex quo conſequens eſt, ratum fuiſſe validumque baptiſma Arianorum illorum; qui licet Dei Filium *adoptivum* duntaxat agnoſcerent, eundemque puram putamque *creaturam* exiſtimarent, verba nihilominus Evangelica. *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, pura caſtaque tingendo proferebant. Porro, inquio ego, quotquot tales erant Ariani, ii certè intentionem, ut vocant, externam habebant faciendi quod facit Eccleſia, faciebantque re ipſa; ſacrum ſcilicet ritum, uti præceptum eſt, exercendo: internam tamen intentionem non habebant; imò potius occulta ſecretaque mente, contra quod facit Eccleſia, baptizabant *in nomine Creatoris & creaturæ*; cum eum verborum Evangelicorum, quæ extremis

Ggg 2

(a) *Apud Labb. Tom.* I. *pag.* 1452.

mis labiis proferebant, sensum esse animo figerent, secretaque mente conciperent. Erat ergo ratum validumque Baptisma, cum sola externa intentione faciendi quod facit Ecclesia ministratum, interna intentione non accedente, imò veriùs repugnante, secretòque negante ac revocante quod pronunciabatur exterius. Qui enim Dei *Filium* extremis duntaxat labiis dicit, intus verò *Filium tantum adoptivum*, *puramque creaturam* intelligit, menteque concipit; is certè intus in animo negat quod profitetur exterius. Et hoc tamen Baptisma ratum validumque supremo Ecclesiæ judicio pronunciatum est. Catharini ergo systemati favet quammaximè latum ultimò tandem, in caussa Rebaptizantium, Ecclesiæ judicium.

Neque verò reponi potest, Arianum Ministrum Baptisma verbis Evangelicis conferentem, intus etiam secretoque animo baptizare velle. Quamquam enim baptizare fortasse intus & in animo velit; quia tamen non in *veri Filii Dei* nomine interna mente vult baptizare, sed in nomine *Filii* duntaxat *adoptivi*, seu *creaturæ*, quam eo filii nomine concipit; non censetur idcirco interna secretaque mente velle facere quod facit Ecclesia: ut profectò externè non faceret quod facit Ecclesia, si nudè simpliciterque baptizaret, & loco *Filii*, *Creaturæ* nomen distincta voce in forma Baptismatis pronunciaret. Sicut enim Ecclesia ritum illum exercet in debita materia, ita quoque in debita forma, qualis scilicet in Evangelio præscripta est: quam idcirco Arianus interna mente corrumpit ac vitiat; dum eam longè aliter mente concipit, quam Ecclesia ipsa concipiat atque intelligat.

Quod autem de Baptismo Arianorum diximus hactenus, de Baptismo perinde Macedonianorum, & Sabellianorum æqua ratione dici potest; ut ex hoc quoque in gratiam systematis Catharini petatur argumentum. Cum & Macedoniani, nomine *Spiritus S.* in forma Baptismatis expresso, nonnisi creaturam intus in animo intelligerent; & Sabelliani nomine *Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*, nonnisi personam unicam tribus titulis insignitam, occulta secretaque mente perciperent. Quare & ii interna, ut ajunt, intentione, perinde ac Ariani carebant, id faciendi quod facit Ecclesia, solamque externam adhibebant, dum Baptismatis formam extremis labiis pronunciabant. Quorum tamen Baptisma, non secus ac cæterorum Hæreticorum, ratum est habitum, solemni illo Ecclesiæ judicio atque decreto, quo lis illa magna, de rebaptizandis Hæreticis, tandem aliquando finita est.

CA-

CAPUT XIV.

Ducta a ratione, adversus Catharini Systema, Momenta reliqua diluuntur: Domesticus adversarius denuò refellitur.

I. AB auctoritate pugnare, recentibus Theologis haud satis visum: Theologica ratione nos urgent, eaque non una. Quid ergo suus illis Mercurius inspirarit, videamus.

Totum, inquiunt illi, quod in Baptismatis ritu externum est, seriò, & liberè peragi potest, tametsi Sacramentum minimè conferatur: illud ergo satis non est ad perficiendum Sacramentum. Alio quippe fine infundi aqua potest, alio fine possunt & verba proferri. E. G. Si quis aquam infundat, ut sordentem, aut corporaliter ægrotantem puerum corporaliter abluat; addatque inter abluendum, *Ego te abluo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; non ut verba sacramentalia proferat, sed ex pietate tantùm id dicat; utque Apostolo religiosiùs obsequatur præcipienti, ut quidquid agimus *in verbo, & in opere, in nomine Domini faciamus*. Tunc porro, inquiunt illi, omnia quæ Catharinus ad Baptismi valorem postulat, inveniuntur; nempe voluntas seriò peragendi ritum illum in Ecclesia frequentatum, nimirum externam corporis ablutionem, sacrorumque verborum prolationem: quamvis ablutio illa non agatur, ut sacramentalis est, sed ut medicinalis. Aut ergo concedendum, puerum illum ita ablutum validè esse baptizatum, quod nemo dixerit prudens; aut fatendum, satis non esse ad valorem Baptismatis, si ritus externus seriò peragatur, ac liberè; adsitque duntaxat intentio verbis seriò prolatis expressa; sed aliam prorsus desiderari, qua ritus externus intendatur, ut sacramentalis est, utque ab Ecclesia peragitur.

In hoc argumento Gonetus noster, aliique delicias faciunt, quod ego præ cæteris nauci facio. Seria enim externi ritus celebratio a Catharino, nobisque hactenus propugnata, uti ad valorem Sacramenti sufficiens, non illa solùm est, quæ joco, ludoque opponitur, sed & illa, quæ in iis circumstantiis fiat, ex quibus Sacerdos determinatur ad agendum, ut Minister Ecclesiæ, ejusque nomine: ita scilicet ut qui ritum externum seriò peragit, non modò jocosè non agat, verum etiam nulla externa circumstantia, nulloque externo signo prodat, se aliud agere, quàm quod agit Ecclesia baptizando. Ceterum qui aquam infundit, ut sordentem, aut ægrotantem puerum abluat, cum pia illa, & religiosa Sanctis-

simæ

simæ Trinitatis invocatione, etsi jocosè non agat, ipso tamen abluendi modo, aliisque circumstantiis satis exterius prodit, se aliud quidpiam agere, quàm quod agit Ecclesia baptizando. Quin illæ ipsæ sordes, quibus inquinatus est puer, morbusve quo affectus est, satis per sese indicant, non ad animæ sanctificationem, sed ad munditiam corporis, illiusve curationem fieri hujusmodi lotionem. Quid si puer ille sit antea baptizatus? Si a parentibus corporaliter abluendus offeratur, non suscipiendi baptismatis gratia? Si ablutio profano in loco fiat? Si quis illum abluendo fricet? Aliaque id genus in ea lotione contingant? An non quæso satis apertè indicant illa, eum, qui sic puerum abluit, eaque verba pronunciat, sacrum Ecclesiæ ritum peragere nolle? Quare ex ipsius Catharini judicio, nullum hac occasione perficitur Sacramentum: quia voluntas non agendi hujusmodi ablutionem, uti sacramentalem, & sacram, occulta non est, sed variis indiciis, & circumstantiis manifesta.

II. At ecce, inquient mihi: & id etiam contingere potest, ut sola secreta, occultaque intentione contraria, nullo etiam signo manifestata, fiat irritum Sacramentum; quamvis seriò, liberèque ritus exterior peragatur, in iis circumstantiis, ex quibus determinatur Sacerdos ad agendum nomine publico. Idque satagent ostendere ex Rubricis Missalis Romani *Par. 7. de defectibus in celebratione Missarum occurrentibus:* ubi sic legitur: *Si quis Sacerdos habeat coram se undecim Hostias*, supra quas omnes proferat verba consecrationis, *& intendat consecrare solum decem, non determinans, quas decem intendit: in his casibus non consecrat, quia requiritur intentio.* Aut si dimidiam duntaxat partem Hostiæ consecrare intenderet, nec eam ullo modo designaret, nihil consecraret. Sed iis in casibus, totus ritus externus seriò, liberè celebraretur, atque solemniter supra omnes Hostias: nec per aliud impediretur consecratio, quam per contrariam intentionem occultam, nullo externo signo manifestatam: igitur hæc sola sufficit irritando Sacramento etiam solemniter ministrato.

Næ quæso lepidi Theologi, qui Missalis Rubricas, tanquam Ecclesiæ definitiones nobis objiciunt, ex quibus decretorium peti possit argumentum? cum potius (paucis exceptis, quæ ex nonnullis Ecclesiæ statutis in Canone relatis expressæ sunt) non nisi privatorum Theologorum resolutiones illæ sint, de moribus, & ritibus scribentium, quæ in Missali libro ad commodum Sacerdotum inseruntur. Adeoque nil mirum si ita propositos casus resolvant, juxta sententiam Catharino contrariam, quæ frequentior, & communior in Scholis est. Cæterum stando principiis sententiæ Catharini, dicendum est vice versa, fieri consecrationem omnium Ho-

Hostiarum, supra quas consecrationis verba seriò, liberè & solemniter proferuntur: quantumvis secretò intendat Sacerdos non consecrare omnes, aut mediam duntaxat unius partem indeterminatam; imò tametsi secretò nihil intenderet consecrare.

Næ tu verò lepidior, nostri hujus responsi, quod antea dederamus, reprehensor & osor; qui ut objectam Missalis Romani rubricam, tanquam Pontificiam definitionem recipiendam ostendas; secundum quam de proposito undecim Hostiarum casu judicare necesse sit, non privatorum Theologorum resolutionem, a qua dissentire sit liberum; decretum profers S. Rituum Congregationis, his verbis expressum: *Demum renovando decreta aliàs facta, mandat S. Congregatio, in omnibus & per omnia servari Rubricas Missalis Romani, non obstante quocumque prætextu, & contraria consuetudine, quam abusum esse declarat. Et facta relatione horum decretorum S. D. N. Urbano VIII. Sanctitas sua annuit, & ab omnibus ubique servari, & in Missali Romano noviter imprimendo apponi mandavit*. Nec advertis vir erudite, sancitum id esse statutumque de Rubricis, Missæ celebrandæ ritus, & cæremonias præscribentibus; quas nonnulli *prætextu contrariæ consuetudinis*, pro arbitrio immutabant: non de Rubricis variorum Theologorum opiniones complectentibus; secundum quas de nonnullis inter celebrandum occurrentibus casibus judicare, privatis Sacerdotibus liceat, quid illis facto sit opus, ut errata, si quæ forte contigerint, emendentur. De iis quippe Theologorum opinionibus nihil unquam Ecclesia statuit, ut pro Canonibus habeantur.

Age tamen, & laudatam Missalis Libri Rubricam uti canonicam Ecclesiæ resolutionem accipiamus; adhuc tamen in tuto sumus. Eam quippe regulam intelligendam esse reponimus, iis duntaxat in casibus, in quibus Sacerdos aliquo externo signo manifestat, nolle se omnes Hostias consecrare, aut indeterminatam duntaxat unius partem. Cæterum si nullo id signo manifestet, omnes profectò consecrat Hostias, omnesque illarum partes, supra quas sacra de more verba pronunciat seriò, liberèque.

Quare si qui sunt Catharini sententiæ vindices, qui de proposito Hostiarum consecrandarum casu, juxta Missalis Romani rubricam judicarunt; ut profectò Angelus de Clavasio, & Sylvester Prieras judicasse feruntur: ii certè aut ea in hypothesi sunt locuti quam innuimus; aut si absolutè dixerunt, rejiciendi omnino sunt; utpote qui statutis doctrinæ suæ principiis minus hæreant, caussamque per imprudentiam prodant, quam tuentur.

III. Urgent nihilominus ex adverso, argumento e contrario petito. Contingit aliquando, ut sola secretior, & interior intentio Ministri ratum, validumque efficiat Sacramentum, etsi non accedat

dat exterior illa intentio, quæ in seria formæ prolatione consistit: igitur ad ratum, validumque Sacramentum conficiendum, plus juvat interna, atque secretior intentio Ministri, quàm quæ prodit exteriùs seria formæ prolatione. Patet, inquiunt, antecedens ex *Epist.* Zachariæ R. P. ad Bonifacium Episcopum, quæ refertur in *Capite Retulerunt*, *Distinct.* 4. *de Consecratione*. *Retulerunt nuncii tui*, inquit Zacharias, *quod fuerit in eadem Provincia Sacerdos*, *qui latinam linguam penitus ignorabat*, *& dum baptizaret nesciens latini eloquii*, *infringens linguam diceret*, *Baptizo te in nomine Patria*, *& Filia*, *& Spiritu Sancta*. *Ac per hoc tua Reverenda Fraternitas consideravit eos rebaptizare*. *Sed Sanctissime Frater*, *si ille*, *qui baptizavit*, *non errorem introducens*, *aut hæresim; sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis infringendo linguam*, *ut supra fati sumus*, *baptizans dixisset*, *non possumus consentire*, *ut denuo baptizentur*. Nempe quod ratum illud, validumque Baptisma censeatur. Porro eo in casu, non alia ratione ratum, validumque judicatum est Sacramentum, quàm quia recta fuit interna, secretaque ignari Ministri intentio, verba illa tanquam veram, germanamque Baptismi formam bono animo proferentis; quæ tamen vera, germanaque forma non est, Ecclesiæque intentionem minus exprimit.

Ad quæ tamen reponere juvat, momentum hoc, si quid evinceret, plus probaturum, quàm revera probandum esset: nempe ratum esse, validumque Baptisma, vi solius intentionis interioris Ministri, absque debita forma in Evangelio præscripta: qnod nemo non videt esse falsissimum. Dicendum ergo, hoc etiam in casu, de quo rogatus est Zacharias R. Pont. externam quoque ignari, barbarique Sacerdotis intentionem accessisse: quia seriò, omnique semoto joco ea verba tingendo pronunciaverat: quæ tametsi per sese, ac virtute impositionis, seu ex Grammaticæ lege nihil significent, Ecclesiæque intentionem nequaquam exprimant; exprimunt tamen atque significant ex accommodatione, bonoque animo proferentis. Quare tametsi mutatus sit Evangelicæ propositionis sensibilis sonus, mansit tamen idem sensus.

At inquies, quid in caussa est cur verba ita corruptè prolata forinsecus, Ecclesiæ tamen intentionem exprimant, ratumque faciant Sacramentum; nisi bonus animus proferentis, seu secretior ignari Ministri intentio, qua corruptis vocabulis illis *Patria*, *& Filia*, *& Spiritu Sancta*, significari vult Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum? Igitur secretior mentis intentio illa ipsa est, quæ ratum efficit Sacramentum.

Verùm hallucinaris tu longè maximè, qui bonum illum proferentis animum, bonamque illam ignari Ministri intentionem, inter-

ternam omnino putas esse, occultam, secretam, menteque abditam; quam contra & nota ignari Ministri inscitia, & simplex minimèque dolosa Sacramenti administratio faciunt manifestam. Nemo quippe est, qui ita eum velle, ita sentire, ita intendere, ex ipsa conditione personæ, non statim intelligat. Uti planè dum Sacerdos balbus, qui litteram liquidam Rex linguæ impedimento pronunciare non potest, his verbis consecrat Eucharistiam, *hoc est Corpus meum;* nemo qui eum balbum novit, non statim intelligit, id eum animo velle atque intendere, quod alii quibus benè pendula lingua est, dum ajunt, *hoc est Corpus meum*.

IV. Sunt qui opponant, nonnulla saltem esse Sacramenta, quæ ex ipsa sui ratione postulare videntur in Ministro intentionem, non modò ritus externi seriò peragendi, verùm etiam internam, mentalemque intentionem. Primò, quia nonnullorum Sacramentorum formæ deprecatoriæ sunt, ut Extremæ Unctionis: ad validam autem precationem satis non est, si eam exterius seriò, ac liberè pronunciemus, nisi interna quoque accedat intentio: *Orandum est enim spiritu, orandum est mente*, ut loquitur Apostolus 1. *Cor. cap.* 14. Secundò, quia Sacramentum Eucharistiæ in Christi memoriam peragendum est: *Hoc facite in meam commemorationem*, inquit Christus *Lucæ* 22.: Christi vero memoria esse non potest, nisi ultra intentionem peragendi ritum illum externum, secreta quoque accedat intentio mortis sacrificium offerendi.

Verùm & hæc duo minus urgent. Non primum de Sacramento Extremæ Unctionis: quia tametsi valida precatio esse non possit, nisi interna intentione, seu potius attentione fiat, dum nuda, simplexque precatio est, atque ad beneficium aliquod simpliciter obtinendum: benè tamen ubi sacramentalis atque consecratoria precatio est, atque publica, ad conficiendum Sacramentum. Ad hanc enim, ut loquitur Doctor Angelicus 3. *part. Quæst.* 64. *Art.* 8. *sufficit expressio intentionis Ecclesiæ, quæ verbis sacramentalibus seriò prolatis continetur*. Neque satis advertunt, qui hanc nobis argutiam objiciunt, eodem planè sophismate catholicæ fidei dogma impeti posse. Quo etenim jure valida precatio esse non potest, nisi interior accedat attentio; ita quoque nisi fides accedat: ergone Ecclesia reclamante, fidem in Ministro necessariam effutiemus, ut stet validum Extremæ Unctionis Sacramentum? Absit.

Nec secundum de Eucharistia plus movet. Falsum quippe est, mortis Christi memoriam esse non posse, nisi ultra intentionem seriò peragendi ritum externum sacrificii, secreta quoque accedat intentio mortis sacrificium offerendi. Satis enim Christi mortis commemorationem facit, qui quod a Christo in illius memoriam institutum est, seriò, & liberè facit: tametsi ad piam, religiosam, fru-

fructuosamque Sacrificii celebrationem, alia longè multa desiderentur. Quid quod hæc ipsa Eucharistiæ consecratio, Christi mortis commemoratio est, imò mystica mors atque mactatio?

V. Hinc solutam habes argutiam alteram, qua non ita pridem laudatus antea Vir eruditus, mihique summè colendus, in publica disputatione religiosum systematis nostri Defensorem urgebat. Ut quis, ajebat ille, virtutis actum exerceat, satis profectò non est, si opus illius externum impleat, nisi simul virtutis finem intendat, ac etiam attingat: E. G. ut quis charitatis actum in pauperem exercere censeatur, satis non est si suas in sinum ejus profundat opes, nisi sublevandæ illius inopiæ animo faciat, ac etiam propter Deum: imò si alio fine fecerit, peccabit haud dubiè: Itaque, colligebat ille, ut quis sacramentalem actum exerceat, sacrumque obeat ministerium, satis non est, si ritum externum perficiat etiam seriò, liberèque, nisi finem quoque sacramentalis actus intendat, ac etiam assequatur: atque ita nisi velit & characterem imprimere, & gratiam infundere, & peccatum delere, aliosve in suscipientibus effectus edere, ad quos producendos unumquodque a Christo Domino institutum est Sacramentum.

Ex antedictis, inquam, solutam habes argutiam illam. Aliud quippe est sacramentalis actus, (E. G. baptismalis ablutio, Eucharistiæ consecratio, Chrismatis inunctio, manuum impositio) uti virtutis, religionis nimirum & pietatis est actus; aliud sacramentalis actus, ut nudè, atque simpliciter sacramentalis est, seu perfectivus Sacramenti. Equidem ut Minister, quicunque ille sit, seu baptizans, seu consecrans, seu manus imponens, virtutis actum suo illo ministerio exerceat, pietatis nimirum, & religionis, finem illorum actuum debet intendere; nec satis illi est, si ritum illum, seu officium, opusque illud externum exerceat: quia virtutes non ab officiis, sed a finibus speciem trahunt; verùm ut actum purè, simpliciterque uti sacramentalem exerceat, perfectivum scilicet Sacramenti; necesse profectò non est, ut ex recto fine agat, seu finem, ob quem instituta sunt Sacramenta, sibi præstituat, Deumque finem omnium ultimum præ oculis habeat. Quia sacramentalis actio, ut purè sacramentalis est, non a fine agentis, seu ministrantis speciem habet: uti monet Doctor Angelicus *in 4. Sent. Dist. 6. Quæst. 1. Art. 2. Quæstiunc. 2. ad 2.* Quod miror ab erudito Disputatore non fuisse tunc observatum; & in quot absurda sua illum traheret disputatio: Quæ si quid evinceret, consequens foret, non modo nulla esse Pelagianorum Calvinianorumque Baptismata, (quod sæpius absurdum observavimus secuturum) verùm etiam nulla prorsus esse, cassa, atque irrita quæcunque Sacramenta ab improbo, & simoniaco Ministro conficiuntur: quippe qui non re-

cto

ćto fine, sed studio contradendæ pecuniæ, rem sacram facit.

VI. Improperant tandem aliqui Catharino, sententiam hanc ad impietatem aditum pandere, & ad sacrilegia viam sternere. Qui enim, inquiunt illi, ea opinione imbutus erit, ritum duntaxat externum seriò peraget, de interna verò intentione ritum illum uti sacramentali peragendi, minimè curabit.

Quasi verò? Quidni ergo, si superis placet, ita quoque adversus Ecclesiæ Catholicæ dogma argutantur, quo credimus probitatem, & fidem ad Sacramenti valorem nequaquam in Ministro desiderari? Quidni inquam opponunt, hoc nostræ fidei caput ad impietatem aditum pandere, & ad sacrilegia viam sternere: quia qui eo imbutus erit, de adhibenda fide, probitate, ac sanctitate minimè curabit? Falsum itaque est, doctrinam illam ad impietatem aditum pandere. Qua etsi sanctitatem, probitatem, fidem, internamque intentionem, ritum uti formaliter sacramentalem peragendi, minimè postulemus, ut Sacramenta rata, validaque sint; postulamus tamen, ut ipsis conferentibus sancta, & licita sint. Quia tametsi qui ea non adhibet omnia, Sacramentum nequaquam irritet, suoque effectu vacuet, peccat tamen longè gravissimè, illud iniquè, & irreligiosè tractando. Quare unusquisque Minister, sicut de adhibenda fide, & sanctitate, ita quoque de interna, secretiorique illa intentione afferenda solicitus esse debet; ne sacrilegè peccet, validum Sacramentum illicitè, impiè, & irreligiosè ministrando.

VII. In praxi minus tutam dictitat domesticus Impugnator, atque ita Innocentii XII. decreto vetitam, quo declaravit, *illicitum esse, in Sacramentis conferendis, sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiori*. At quis, quæso, Catharini sententiam ad praxim spectare dicat? in qua non definitur, quid fieri licitè possit, quidve non possit? quam liceat in conferendis Sacramentis intentionem habere, quam non liceat? Imò tota, si rectè pensetur, speculationis est ista quæstio; in qua cum certò supponatur, non licere Ministro in praxi, externam duntaxat, in Sacramentis administrandis, intentionem adhibere, id unicè disputatur, sitne validum Sacramentum, quod cum ea sola externa intentione fuerit ministratum? Uti planè speculationis non praxis est quæstio altera; quæ cum certò supponat, non licere Ministro sine fide Sacramentum aliquod celebrare; id quærit unicè, ratum ne sit validumque, quod sine fide fuerit celebratum.

Si quo tamen pacto ad praxim obliquè trahatur agitata hactenus Controversia, remque penitius spectemus; periculum longè minus sententiæ nostræ subest, quam oppositæ. Etenim vel Minister Sacramenti probus est, vel improbus: Si probus est, de ejus pro-

bitate minimè dubitandum, quin secretiorem illam intentionem adhibeat, ad Sacramentum religiosè, pièque ministrandum: si improbus, eandem intentionem nihilosecius adhibebit, ubi semel persuasum habuerit, nihil malignis consiliis suis, impiæque Sacramenti irritandi voluntati prodesse posse defectum illum secretioris intentionis, de qua hactenus disputavimus. Nemo enim gratis impius est, nemo sine aliqua lucri spe sacrilegium patrat. Habetque hic locum Ciceronis dictum, *Oratione pro Sexto Roscio: Sic vita hominum est, ut ad maleficium nemo conetur sine spe, atque emolumento accedere.*

Quocirca non omiserim Moralis Theologiæ Professorem admonere, (quamquam sum ego a Probabilistarum laxitatibus alienissimus) non teneri nos semper tutiores in praxi opiniones amplecti; sed tunc tantùm, dum sunt itidem aliis probabiliores, aut saltem æquè probabiles. Quapropter etsi fortè daremus contrariam Catharino sententiam tutiorem esse, & a periculo remotiorem; illud subinde quærendum esset, utrum esset insuper probabilior, aut saltem æquè probabilis: quod nusquam ego concesserim, nusquam probaverit adversarius.

VIII. Habet etiam id commodi sententia nostra, quod infinitos propemodum scrupulos amoveat, qui in hac tanta impiorum Ministrorum turba facilè nascuntur; num latentem illam, atque secretam intentionem habuerint, numve occulta malignitate Sacramentum irritarint. Quanquam enim internam intentionem illos etiam adhibuisse præsumi debeat, quoties ritum externum seriò peregerunt: timeri tamen aliquatenus potest: cum ex iis tam multi inventi sint, qui eam se non habuisse professi sunt. Imò nota aliunde quorumdam, in externa vivendi ratione, improbitas facit, ut eos eo malitiæ aliquando devenire, facile suspicemur. Qui enim malè, & improbè vivunt, malè & improbè sæpius agunt, etiam ubi publica obeunt ministeria.

Medetur & ea sententia gravi incommodo, quod in isto sæculorum fine contingere facilè potest; uti & in Galliis ante annos octoginta contigisse notum est. Da enim Sacerdotem iniquum, & impium, animarum curæ præfectum, in populosa aliqua Civitate, qui seriò quidem forinsecus universa ex Ecclesiæ præscripto peragat, in Sacramentorum administratione; interius verò occulta secretaque intentione cuncta retractet: Ecclesia, quæ nihil mali in homine ficto deprehendet, illum suo sinet officio defungi: & tamen nulla erunt, juxta sententiam oppositam, Sacramenta ab eodem administrata: æternum ergo ex illius nequitia peribunt pueri, in speciem tantùm ab eo tincti, si ante rationis diluculum ex hac luce rapiantur. Qui verò ad rationis usum pertingent, per

Ba-

Baptismum quidem flaminis, seu desiderii salvari potuerunt: at si illos ad Ordines promoveri contingat, subindeque Sacramenta tractent, & administrent, Sacerdotes reipsa non erunt, ob characteris baptismalis defectum, qui per desiderium minimè resarcitur: & si Sacerdotes ipsi non sint, qui tamen esse putabuntur, quot inde, Deus bone! mala succrescent?

IX. Clamant aliqui, *Ecclesia iis in casibus supplet*. Est hoc tritum imperitorum effugium, quo suam ignorantiam produnt, non laqueum evadunt. Aut enim cum suo illo Ecclesiæ supplemento, in errorem incidunt patentissimum, aut ad sententiam nostram volentes nolentes accedunt. Quid enim per ipsos supplet Ecclesia iis in quibus ex defectu interioris intentionis, irritum Sacramentum existimant? Horum certè alterutrum: nimirum aut Sacramentum ipsum supplet Ecclesia, ut scilicet obtineatur Sacramenti effectus sine Sacramento, quod nullum est: aut certè intentionem supplet necessariam Sacramento; ut nempe sine ea interna Ministri intentione perficiatur Sacramentum. Primum Ecclesia supplere non potest. Producere enim effectum Sacramenti sine Sacramento, pertinet ad potestatem excellentiæ, quæ, Theologorum omnium assensu, solius Christi Domini propria est: nec alius præter Christum præstare potest, ut quis Christianus sit sacro charactere insignitus sine Baptismate; ut quis Sacerdos sit sine Ordinatione; ut quis Corpus Christi consecret sine Sacerdotio. Si autem alterum ab Ecclesia iis in casibus suppleri dicant; ut nimirum sine ea, quam putant necessariam, intentione interiori Ministri, perficiatur Sacramentum; hoc ipsum est, quod volumus, quod asserimus, quod cum Catharino defendimus. Non enim alio titulo propugnamus, perfici Sacramentum absque interna illa secretaque Ministri intentione; quàm quia intentio ipsa Ecclesiæ, sacramentalibus verbis expressa perficit Sacramentum, juxta celebratum illud Angelici Doctoris dictum, quod in sententiæ nostræ probationem attulimus, 3. *part. Quæst.* 64. *Art.* 8. *ad* 2. *Minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, cujus est Minister. In verbis autem, quæ profert, exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti.*

Clamant alii, supplet eo in casu summus Sacerdos Christus, in gratiam saltem parvulorum, qui defectu intentionis interioris in Ministro, baptizati non sunt; ut scilicet salutem ipsi sine Baptismate consequantur: ita docente D. Thoma *in* 4. *sent. Dist.* 6. *Quæst.* 1. *Art.* 2. *Quæstiuncula* 1. *ad* 2. Sit ita porro, si lubet, suppleat summus Sacerdos, ad effectum salutis æternæ obtinendum, si ex hac luce ante rationis usum pueri rapiantur: non supplet tamen ad characteris impressionem, ut ii rationis usum assecuti, sacris Ordinibus ritè validèque initientur. Id verò si fortè contingat,

quot

quot inde nascentur mala? Sed nec supplere summum Sacerdotem in pueris ad salutem, pro certo ponit Doctor Angelicus: imò fieri posse putat, ut re ipsa non suppleat justo judicio, sed occulto. *Si sit puer*, inquit ille, *creditur piè, quod summus Sacerdos scilicet Deus defectum suppleat, & salutem ei conferat: si tamen non facit, non injustè facit, sicut nec in illo, qui Sacramento non subjicitur*. Viden ut id in dubio ponit?

Certè D. Augustini diserta sententia est, non supplere summum Sacerdotem Christum Baptismatis defectum, iis in parvulis, qui præcipiti morte sublati, sine Baptismo rapiuntur, tametsi festinent parentes illorum, accurrantque Ecclesiæ Ministri, ut Baptisma periclitantibus conferatur: sed illos regno Cœlorum exclusos, malè perire pronuntiat, *Lib. de Dono Perseverantiæ cap.* 12. *Plerumque festinantibus parentibus, & paratis Ministris, ut Baptismus parvulo detur, Deo tamen nolente non datur, qui eum paululùm vita non tenuit, ut daretur*. Et *Lib. de natura, & Gratia cap.* 8. *Ego dico parvulum natum in eo loco, ubi ei non potuit per Christi Baptismum subveniri, morte præventum, idcirco talem fuisse, id est, sine lavacro regenerationis exiisse, quia esse aliud non potuit. Absolvat ergo eum* (Pelagius) *& aperiat ei contra sententiam Domini regnum Cœlorum, sed non eum absolvit Apostolus*. Quid itaque certum, indubitatumque dicamus, supplere summum Sacerdotem parem Baptismatis defectum, iis in parvulis, qui ex occulta, secretaque Ministri malitia baptizati non essent? Cum nec sollicita piorum parentum festinatio, nec religiosa Ministrorum diligentia, hujusmodi supplementum, pueris aliis præcipiti morte sublatis, a Divina misericordia valeat obtinere.

X. Succlamant nonnulli, providebit Deus ne defectus iste contingat; utque Ministri internam illam, occultamque intentionem semper adhibeant. Oh dictum benè! providebit Deus? Non providere, eventu comprobatum est. Namque & eam secretam intentionem se non adhibuisse, nonnulli tandem extremis vitæ metis admoti professi sunt. Sed si ad Dei providentiam recurrendum dicunt, ne ista contingant: cur non potius Deum providisse dicunt, in ipsa Sacramentorum institutione, ne id unquam Ministrorum nequitia possit accidere? Ita nempe Sacramenta instituendo, ut quo jure a Ministrorum fide, & sanctitate minimè pendent, ita ab illa interiori intentione minimè pendeant; utque nulla secreta intentionis retractatione irritari possint, suoque effectu vacuari; dum ritus exterior seriò, liberè, prudenter, omnique semoto joco peragitur.

CA-

CAPUT XV.

Domestici impugnatoris momenta ab Auctoritate expediuntur.

I. NOstrarum ad objecta quæque Responsionum hic finis erat, in priori editione. Quia verò domesticus Impugnator suis etiam objectis nos & Catharinum nostrum aggreditur, iis quoque responsa dabimus, strictim tamen atque summatim; quod eorum pars magna in antedictis occupata jam fuerit.

Opponit itaque loco primo, ex Sacris Litteris vulgatum illud Apostoli dictum 1. *ad Corinthios* 4. *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei*. At, subdit ille, qui externam duntaxat, in Sacramenti alicujus administratione, adhibet intentionem, dispensator dici non potest; cum vel sic Sacramentum conficere nolit, ut Sacramentum est, ut sacrum, & Christo Domino institutum: non est itaque verus Christi minister, nec verum conficit Sacramentum.

Huic obvia responsio est, ac sæpius inter disputandum insinuata: aliud nempe ad ratam validamque dispensationem desiderari in Christi ministro; aliud ad piam religiosamque postulari. Ad primum quidem satis est, si seriò prudenterque, sana & integra mente, id velit homo minister, quod uti sacrum, uti Sacramentum a Christo est institutum: ad alterum necesse est insuper, ut quod fidelibus administrat, tale velit esse, quale Christus instituit. Et primi quidem ratio decretoria hæc est: quia non habent ritus illi a ministrorum genio quod sacri sint, quod sacramentales sint, sed a Christo institutore, legislatore atque magistro. Quare tales re ipsa sunt ritus illi, sibique verè & integrè constant, modò seriò ac liberè ministrentur; quamquam fortè talia nolint esse, qui sacrilegè administrant. Et certè, si ut rata & valida sint Sacramenta, necesse esset, ut qui ea fidelibus administrant, talia illa fidelibus vellent esse, qualia Christus instituit, necesse pariter esset, ut ea quoque vellent esse fidelibus salutaria, suorumque effectuum productiva; cum ea uti talia Christus instituerit. (E. G. Baptismum, ui peccatum originis delentem, & imprimentem characterem) quod tamen domesticus Impugnator fatetur, ministris non esse ad validam Sacramentorum dispensationem necessarium. Recole quæ diximus *cap. 9. n. 5.*

Oppo-

Opponit secundo loco domesticus Impugnator Christi Domini mandatum *Lucæ* 22. de Cœna Eucharistica, in ipsius passionis ac mortis *Commemorationem* facienda: quod impleri non posse probat ab Sacerdote consecrante, nisi internum habeat animum consecrandi. At est illud a nobis abundè solutum ac refutatum *cap.* 14. *num.* 4.

Addit loco tertio ejusdem Christi Servatoris Oraculum, *Joannis* 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis:* probatque pro viribus, non esse re ipsa ab Sacerdote dimissa peccata, nisi ea dimissa velit interna mente intimoque cordis affectu. Quod perinde a nobis est occupatum *cap.* 10. *n.* 4. Ubi palam est demonstratum, Sacerdotem ex hoc ipso peccata dimittere, quod sacra ablutionis verba seriò liberèque pronunciet; imò ex hoc ipso censeri ea velle dimittere dum ea pronunciat. Qui enim verba, quibus Christus absolvendi vim indidit, pronunciare vult, liberèque pronunciat (si aliàs sacro Charactere sit insignitus) absolvere velle censetur: si autem aliter statuat animo, videlicet non absolvere, contraria velle convincitur: quo casu prior voluntas alteram vincit ac superat, ut hæc nihil officiat absolutionis efficaciæ, veritatique Sacramenti.

Ad laudata sacrarum Scripturarum oracula, tanquam corollarium & adminiculum, addit Religiosissimus Disputator libri Missalis Romani Rubricas, *communem*, ut ipse quidem autumat, *Ecclesiæ sensum referentes*: ex quarum parte septima, quæ est *de defectibus in celebratione Missarum occurrentibus*, invictum sibi putat argumentum elicere. Cujus tamen futilitatem ac levitatem ostendimus *cap.* 14. *nu.* 2. novosque Censoris nostri conatus, quibus vim illi roburque addere studuit, repulimus, propulsavimus.

II. A Divinis Scripturarum oraculis ad Conciliorum Romanorumque Pontificum decreta progreditur domesticus Impugnator. Cujus quidem potissimum argumentum ex Florentina & Tridentina Synodis delibatum, ad hanc summam reduci potest, paucisque constringi.

Dum necessariam in ministro intentionem decernunt eæ Synodi, *faciendi quod facit Ecclesia*, ritum a ministro perfici volunt, non præcisè secundum se se, & *materialiter* spectatum; sed uti sacrum, uti sacramentalem, uti religiosam Ecclesiæ cæremoniam, a Christo Domino institutam; quandoquidem uti talem exercet Ecclesia: at in Systemate Catharini, non intendit minister, ritum E. G. Baptismatis perficere, ut Sacer est, ut Sacramentalis, ut religiosa Ecclesiæ cæremonia est; cum totum irritum velit esse, & inane baptismatis simulacrum: non habet itaque, quam sacræ Synodi postulant, intentionem.

Ad

Ad quod millies a nobis responsum est: Catharini ministrum, Sacramentum aliquod iis in circumstantiis celebrantem, quibus agere tenetur, agitque reipsa ut Ecclesiæ Minister est postulatus & requisitus, remque sacram ex publico facit officio; (etsi intus secretò perverso faciat animo) ritum ipsum, puta baptismalem intendere, saltem virtualiter & implicitè, ut sacramentalem, ut sacrum, ut cæremonialem, intentione ut ita dicam ministeriali, etsi non privata & personali: seu intentione quam adhibet ut publicus administer, etsi non intentione quam afferat ut persona privata. Intentio quippe Ministri, ut Minister est celebrans ex officio, ipsamet Ecclesiæ intentio est, Sacramentalibus formæ verbis expressa, ut docet Doctor Angelicus *in 4. sent. dist. 6. quæst.* 1. *art.* 2. & 3. *par. quæst. 64. art.* 8. Atque adeo tam seriæ liberæ solemnique Sacramenti celebrationi indivulsa est illa a Sacris Synodis postulata intentio, quàm indivulsa illi est seria & libera formæ pronunciatio.

Instat ille tamen: Externus Sacramenti ritus (ut externa corporis ablutio cum Ss. Trinitatis invocatione) cum sit per se se indifferens, & ad multos fines fieri possit, ad esse Sacramentale determinari nequit, ab extrinsecis aliquibus circumstantiis; ad quas minister sola externa intentione ductus ac motus, nequidem attendit aliquando; sed determinari duntaxat potest per Ministri intentionem, ut post D. Thomam, antiquiores omnes Theologi docuerunt.

Ad quod similiter respondetur: determinari quidem non posse ab extrinsecis circumstantiis solis ac nudè sumptis, posse tamen spectata quoque conditione personæ, publico Ecclesiæ nomine celebrantis. Quæ quidem publica Ministri persona ad hujusmodi circunstantias non potest non attendere, dum in iis ministerium exercet suum: ac si fortè ad eas non attenderet, perinde sacrum opus, sin minus religiosè ac piè, at certè ritè ac validè faceret. Quemadmodum Judex pro tribunali sedens, auditis antea partibus, voce, vultu & habitu senatorio sententiam pronuncians, non potest ad eas muneris & officii sui circumstantias non attendere; ac si ad eas non attenderet, perinde rata validaque sententia foret. Ubi verò Doctor Angelicus externum Sacramenti ritum; per se se indifferentem, ad esse sacramemtale determinari docet per Ministri intentionem; ritum per se se indifferentem appellat extra debitas circunstantias, qui ex ipsis circumstantiis desinit esse indifferens; determinaturque ad esse sacramentale per intentionem Ministri, ex officio tunc, & non aliàs celebrantis.

Eccur ergo, succlamat fervidus Actor, laudata Concilia Florentinum, & Tridentinum, *de intentione faciendi quod facit Ecclesia*

dixere semper suis in decretis ; nusquam tamen *de intentione faciendi seriò ritum externum;* cum duo hæc a Theologis nonnullis distingui, certissimè scirent?

Respondeo, id factum, propterea quòd non soleant Sacræ illæ Synodi in eas disputantium inter se Theologorum quæstiones ingredi ; satisque officio suo consultum putent, si quæ fidei sunt, adversus heterodoxos decernant atque definiant. Porro tametsi fidei dogma sit, intentionem in Ministro desiderari faciendi quod facit Ecclesia, (quod sacris laudatarum Synodorum Canonibus est definitum) non perinde fidei dogma est, desideratam intentionem illam, in seria duntaxat liberaque Sacri ritus celebratione esse positam. Quamquam & id falsum est quod obtenditur : de seria quippe sacri ritus celebratione dixit obiter Concilium Tridentinum *Seff.* 14. *de Sacramento Pœnitentiæ cap. 6.* & in Catharini sententiam inclinavit magis, etsi minimè definierit, ut superiùs *cap. 6. & 10.* probatum est.

III. Pergit concellita noster *ex Seff. 14. cap. 6.* Concilii Tridentini contra nos disputare. Definit eo loci sacra Synodus, nullam esse absolutionem, quam impartitur Sacerdos, *cui animus seriò agendi, & verè absolvendi desit:* porro animus ille seriò agendi & verè absolvendi, a Synodo desideratus, externus duntaxat intelligi nequit, qui a seria actione, atque a plena, & integra absolutionis formæ prolatione minimè distinguitur ; a qua tamen eum distinguit Synodus Tridentina: Itaque interna absolvendi desideratur intentio.

Ad hæc: Dum serium agendi verèque absolvendi animum postulat sacra Synodus, jocosum prorsus excludit ac derisorium, quantumvis occultum, nulloque externo signo proditum; qualem ad validam absolutionem sufficere voluit Catharinus: itaque &c.

Rancida argutia illa est, a nobis in antecessum occupata atque convulsa *Cap.* 10. *n.* 3. *&* 4. iis omnibus detersis officiis atque pigmentis, quibus eam Catharini osores obliniunt; inde maximè natis, quod ad Lutheri systema non satis advertant, in quod unum sua illa decreta edidit Synodus Tridentina.

Dictis tamen insistit vir subtilissimus : Esse potest, inquit, ratum ac validum Sacramentum, sine externo Ministri animo Sacramenti setiò peragendi ; modò interior illi conficiendi Sacramenti animus insit. Si quis enim Christianus apud infideles ac barbaras gentes constitutus, internum secretumque haberet animum pueri baptizandi, exterius tamen fingeret verba se jocosè pronunciare, lotionemque ludicrè facere, ne a barbaris Christianus agnosceretur, adiretque periculum capitis; is tamen verum baptisma conficeret, ut Theologi plerique docent: Non ergo ab externo sacri ritus perficien-

ficiendi animo, nec a feria ejufdem celebratione Sacramentum habet, quod ratum fit validumque, fed ab interna intentione intimoque propofito voluntatis.

Subtilitatem gratulor difputanti. Scire tamen illum oportuit, jocum illum ac ludum oculis infidelium ac barbarorum objectum & explicatum, talem re ipfa non fore, quem putat ipfe. Quia non ad ludendum baptifma a Chriftiano Miniftro tunc fieret, fed ad infideles ipfos ludendos atque fallendos: eoque fine atque confilio ludum fieri, facti circumftantiæ fatis oftenderent. Quapropter judicio æqui æftimatoris, feria prudenfque foret ea baptifmatis miniftratio, pro conditione perfonarum; quia prudentia tunc poftularet, ut cum ludo, & joco miniftraretur: joco inquam, non quo baptifmus luderetur, fed baptifta poneretur in tuto, dum adftantes barbari fallerentur. Ad eum fanè modum, quo David profugus a facie Saul, & Achis Getharum regis, ad quem declinaverat, perfidiam extimefcens, prudenter omnino fapienterque fecit, dum ejus in Aula fimulavit infaniam, ut legitur *lib.* 1. *Regum c.* 21. quia ut vitæ fuæ confuleret, totam illam coram Rege Achis fcenam lufit, ludique fpectatores ea arte fefellit. Nec dubitandum quin, fi ea in occafione facrum aliquod minifterium ex officio objiffet, ratum illud validum fuiffet; quia non ad ludibrium Minifterii, fed ad irrifionem Getharum, fcenam illam totam egiffet.

IV, Mitto quod fubjicit argumentum, ex Matrimonii Sacramento petitum; quod fine interno contrahentium confenfu ftare non poffe, Romani Pontifices una cum Doctore Angelico docuerunt. Tam multa enim ad illius folutionem diximus *Cap.* 11. (ad quæ ne muffat quidem ille) ut planè nos tædeat pigeatque, eandem modò telam novo opere redordiri.

Mitto pariter alterum, quod fusè latèque profequitur, ex pervulgato Alexandri VIII. decreto defumptum; ne ea ad ravim recinere cogar, quæ ad illius explicationem fufiffimè latiffimèque funt dicta toto *Capite* 12. ut ad ea tandem momenta veniam, quæ ex Doctoris Angelici auctoritate delibavit: quamquam & ea magna ex parte a nobis occupata jam fuerint.

V. His itaque paralogifmis D. Thomam in hanc fcenam volentem nolentem inducit. Contendit, inquit ille, D. Thomas 3. *par. quæft.* 66. *art.* 8. *ad* 3. Miniftrum, qui baptifmum cum trina immerfione dare intenderet, baptifmum fola prima immerfione non confecturum, quamquam integra formæ verba in ipfa prima immerfione proferret: at id non alia ex cauffa contingeret, quam ex defectu intentionis, baptifmum prima illa immerfione conferendi: qui enim baptifmum cum trina immerfione dare intendit, non intendit in fola prima conficere, fed in ultima: igitur ad ratum vali-

dumque baptismum, internam baptismi conficiendi postulat intentionem, ultra factam seriò immersionem, debitamque formæ prolationem; in quibus suam illam externam intentionem posuit Catharinus.

Insuper, contendit idem Divus Thomas 3. *parte quæst.* 60. *art.* 8. *in corpore*, Ministrum vera legitimaque forma baptizantem, baptismum minimè confecturum, si Evangelicis formæ verbis alia fortè adderet, quæ debitum illius sensum non tollerent, quibus tamen ritum in Ecclesiam vellet inducere, qui non sit in Ecclesia receptus: Itaque solam baptismatis conferendi seriam intentionem sufficere non censuit D. Thomas, ad validam Sacramenti confectionem. Sic ille.

Paralogismos vocavi ego, nec verbi pœnitet. Quod etenim ad primum attinet, de eo Ministro non agit Doctor Angelicus, qui occulta secretaque mente baptismum cum trina immersione conferre constituisset; sed qui mentem illam suam externè significasset: Uti E. G. facit ille, qui baptismum in Ecclesia Græca nunc celebrat, aut qui prioribus olim sæculis in Ecclesia Latina celebrabat. Quare quod nullum eo casu perficiatur Sacramentum, non ex unius interioris intentionis defectu oritur, sed exterioris; qua potius e contrario significavit, nolle se prima illa, & unica immersione perficere Sacramentum, sed trina, & ultima.

Quod ad alterum spectat, duo sunt quæ reponam. Primùm, non apertè definire Doctorem Angelicum, perfectum re ipsa non fore eo in casu baptismatis Sacramentum, sed *ita videri* duntaxat: Undè & ait: *non videtur perfici Sacramentum; quia non videtur quod* Minister *intendat facere id, quod facit Ecclesia*. Secundò, Argumentum hoc, si quid probaret, plus probaturum, quam velit ille qui disputat, imò quam velit tota Theologorum natio: nempe probaret, non modò nullum esse baptismatis Sacramentum, sine interiori intentione faciendi quod facit Ecclesia; verùm etiam esse nullum, si stante interna illa intentione faciendi quod facit Ecclesia, altera accedat intentio, qua exoticum ritum aliquem in Ecclesiam velit inducere. Utramque enim intentionem habere supponitur minister in argumento, cum habeat ille propositum baptizandi, seu ritum celebrandi quem Ecclesia celebrat, ut vel sic baptizando ac celebrando, illicitum ritum aliquem in Ecclesiam inducat: id porro nemo dixerit Theologorum.

Quare quod ait loco laudato Doctor Angelicus. *Non videri perfici Sacramentum, si minister per hujusmodi verborum formæ sensum minimè tollentium additionem, intendat alium ritum inducere, qui non sit ab Ecclesia receptus*, de eo ministro dicit, qui suam illam exotici ritus inducendi intentionem aliquo signo manifestat.

festat. Eam enim manifestando, significare videtur, non habere se quoque intentionem verè baptizandi; sed illudendi. Atque ita non videtur perfici Sacramentum, defectu scilicet externæ intentionis, quam non videtur habere, imò quam se non habere, significat.

VI. Eundem Doctorem Angelicum longiùs accersit, & ad sui præsidium trahit, argumento hoc non incurioso efformato. Quærens SS. Doctor *in* 4. *Sent. dist.* 5. *quæst.* 2. *Art.* 3. Utrum dæmon in forma hominis apparens baptizare queat, negando respondet, & postea subjungit: Quod si dæmon *baptizare se fingeret, semper esset timendum, quod non faceret intentione baptizandi, quæ ad Sacramentum exigitur, sed intentione decipiendi: quia non esset probabile, quod tantum bonum homini procuraret, sicut est spiritualis regeneratio:* sed, subjungit ille, si exterior intentio ad baptismi veritatem sufficeret, non esset ita timendum, quod diabolus non intentione baptizandi, sed decipiendi ablueret: ad oculum namque pateret, num mimicè tantùm, ideoque absque ulla intentione, an contra seriò, ideoque cum externa intentione externum ritum perageret: igitur exterior intentio ad Sacramenti veritatem juxta D. Thomam non sufficit.

Subsumptam hujus argumenti propositionem nulla ego cunctatione negaverim: imò de diabolo timendum omnino dixerim, an ritum Sacramentalem re ipsa perficeret, ageretque verè, quod agere videretur. Quia periculum semper esset, ne oculos ipse nostros & aures ludificaret, ut ab eo sensibiliter fieri videremus & audiremus illusi, quod ad speciem tantùm, & ludicra fascinatione factitaret. Quare metus semper esset, ne externam, quam necessariam omnino volumus, intentionem non haberet; quæ in vera sensibilique rei sacræ tractatione posita est, non in ludificationibus atque præstigiis. Cum contra, de bono Angelo, si sacrum aliquod ministerium obiret, certò tenendum esset, verè id actum esse, quod externè appareret, ratumque omnino esset habendum. Quia ex quo bonus est Angelus, illudere nobis non potest. Hinc sanctum Amphilochium ab Angelis consecratum Episcopum legimus, apud Nicephorum Callixtum *Lib.* 11. *Historiæ Ecclef. Cap.* 20. illiusque Ordinationem ab Episcopis comprovincialibus ratam esse habitam.

VII. In eos subinde Theologos stilum acuit Vir eruditus, qui cum externam sacri ritus celebrandi intentionem, seriamque illius celebrationem certis in circumstantiis sufficientem agnoscant, extra eas tamen circumstantias insufficientem existimant. Quo in ordine cum me esse profitear, audiam attentiùs disputantem. Sic igitur ille summatim.

S. Thomas 3. *parte quæst.* 64. *art.* 8. *ad* 1. intentionem postulat in ministro, *qua subjiciat se Christo principali agenti, ut scilicet*

licet intendat facere quod facit Christus, ex Ecclesia: sed intentio, qua minister certis in circumstantiis externum Sacramenti ritum ita seriò peragit, ut tamen intus occultè secretòque derideat, non eum Christo subjicit ut principali agenti, juxta Theologos illos; cum ministrum externa intentione determinari nolint ad agendum ut illius ministrum, illiusque nomine, sed externis potius circumstantiis: pugnant igitur ipsi secum.

Insuper, idem D. Thomas in ejusdem Articuli octavi corpore intentionem postulat in ministro, qua ritus externus, E. G. baptismatis, per sese ad varios effectus indifferens, *determinetur ad unum, id est sacramentalem effectum:* At intentio exterior, qua minister certis in circumstantiis positus, externum Sacramenti ritum peragere decernit, ita tamen ut occultè secretòque derideat, ritum externum ad esse Sacramentale determinare non potest; aliàs eundem ritum extra hujusmodi circumstantias, ad esse Sacramentale perinde determinaret: quod tamen ii negant Theologi, qui ab extrinsecis tantùm circumstantiis ritum externum ad esse Sacramentale determinari arbitrantur: pugnantia itaque loquuntur.

Hornm ego Theologorum nomine respondeo, falsa suppositione laborare utrumque argumentum: quod non satis intelligat Disputator, quid sibi Theologi illi velint, dum ministros certis in circumstantiis celebrare volunt, ut cum sola externa intentione, deficiente nimirum interna, verum perficiant Sacramentum. Non enim id illi volunt ac dicunt, quasi ex eorum sententia, externæ circumstantiæ ritum ipsum ad esse Sacramentale determinent, qui potius ex ministri intentione determinatur: sed quia, cum minister Sacramentum tantùm perficiat, dum agit uti persona publica, & publicus Ecclesiæ Christique minister, eam ille publicæ personæ conditionem duntaxat induit, dum in hujusmodi circumstantiis operatur, suumque in iis ministerium exercet. Extra enim eas circumstantias positus agit ut persona privata, non publica, publico non fungitur ministerio: sed privato ducitur genio. Idcirco nihil se a D. Thoma diffidere profitentur Theologi illi: quia quam postulat SS. Doctor intentionem, quæ ritum externum *ad esse Sacramentale determinet, ministrumque Christo principali agenti subjiciat,* eam illi intentionem esse contendunt, qua minister, uti persona publica, totiusque Ecclesiæ publicus actor, sacris operatur: qualis profectò non est; nec esse amat, nisi dum iis in circumstantiis publicum ministerium exercet.

CAPUT XVI.

Ejusdem Impugnatoris momenta a ratione convelluntur.

I. Is functus Argumentationibus ab auctoritate, quatuor rationum momenta exequitur. Primam rationem sic effert, quam etiam *efficacissimam* jactat.

„ Sacramenta omnia sub conditione etiam „ tacita secundò administrantur, quando de „ illorum valore dubium est. Si autem Sa„ cramentum jam revera collatum fuerit, „ quod existimatum est nullum, non denuo tentata illa iteratio„ ne confertur: adeoque Sacramentum sub hujusmodi tacita con„ ditione secundò administratum, nullum est. Undè porro nullum? „ non ex defectu materiæ & formæ, quæ debitè applicantur exte„ rius: non defectu subjecti, quasi Sacramenti illius recipiendi „ capax non sit; cum de illis quoque Sacramentis hìc sermo sit, „ quæ pluries recipi possunt: non demum ex intentionis externæ „ defectu, qui in apposita conditione appareat, cum de tacita con„ ditione loquamur: ergo ex solo internæ intentionis defectu id „ in eo ministro provenit, qui sacramenti materiam & formam „ adhibet exterius. Ac proinde ut Sacramentum ratum sit ac va„ lidum, interna ministri intentio necessaria omnino est; ita ut si „ illa desit, Sacramentum non fiat.

Verùm quam ille efficacissimam jactat rationem, levissimam, ne dicam ineptissimam dico. Sacramentum enim pœnitentiæ E. G. *quod pluries recipi potest*, si in dubio dè illius valore, sub tacita conditione, iteretur, quod tamen re vera perfectùm antea fuerit, nullum est iteratum, non quidem defectu intentionis internæ, sed defectu materiæ, videlicet peccatorum, quæ nulla jam sunt, ex quo primum validè collatum fuerat Sacramentum. Imò defectu subjecti, videlicet pœnitentis, etiam nullum est, quia ab iisdem peccatis, a quibus jam supponitur absolutus, secundò absolvi per sese non potest.

Addo, Sacramentum dubium & incertum, secundò quidem conferri posse, ac etiam debere, sub conditione tamen, non tacita, sed expressa ac declarata, per formam ab Innocentio III. præscriptam, *Cap. de quibus*, *extra de baptismo & ejus effectibus*; cujus hæc verba sunt: *De quibus dubium est an baptizati fuerint, baptizantur his verbis præmissis: si baptizatus es, non te baptizo; sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo in nomine Patris & Fi-*

Filii & Spiritus Sancti. Quo casu ergo continget, verum re ipsa fuisse Sacramentum, de cujus veritate dubitabatur, nullumque idcirco est quod secundò confertur; ex defectu externæ etiam intentionis est nullum; cujus aperta declaratio in ipsa formæ prolatione facta est, *si baptizatus es, non te baptizo*.

II. Altera ratio, qua unum ex præcipuis nostris fundamentis convelli putat, sic se habet: „ Ideo juxta adversarios, satis est „ externa intentio ad conficiendum Sacramentum, quia ad conficienda Sacramenta satis est, quod homo se gerat exterius tanquam Ecclesiæ ministrum: sed id satis non est; tum quia qui „ vult duntaxat gerere se exterius tanquam Ecclesiæ ministrum, „ vult tantùm exterius apparere tanquam Ecclesiæ minister: hic „ autem veram intentionem non habet faciendi quod facit Ecclesia, quæ tamen necessariò requiritur, sed illam duntaxat simulare intendit; cum qui intentionem habet faciendi quod facit „ Ecclesia, non tantùm exterius apparere, sed re vera esse minister velit: Ergo. Tum quia nullus est in conficiendo Sacramento Ecclesiæ minister, prout equidem requiritur, qui Christi minister re vera non sit; cum Sacramentum nemo conficiat, nisi „ quatenus est Christi instrumentum, ejusque verus minister: sed „ Christi minister re vera non est, qui exterius tantùm gerit se, „ tanquam illius & Ecclesiæ ministrum: esto enim apud homines, „ qui de internis non judicant, satis sit quod quis se gerat exterius tanquam eorum ministrum; id tamen apud Christum, qui „ omnia novit, sufficere non potest. Ergo &c.

Pura putaque hallucinatio illa est, qua id nobis affingitur, quod nusquam venit in mentem. Nusquam enim somniavimus, ad conficienda Sacramenta satis esse, quod homo se gerat *exterius tanquam Ecclesiæ ministrum*: imò volumus eum exterius re ipsa esse ministrum, nec tantùm apparere. Porro minister exterius est, nec tantum apparet, qui seriò liberè omnique semoto joco Sacramentalem ritum observat: habetque ille revera intentionem faciendi quod facit Ecclesia, seu ritum Ecclesiasticum celebrandi, ex quo seriò liberèque facit ac celebrat: (quomodo enim seriò liberèque faceret, nisi vellet atque intenderet? cum omnis actio libera seriaque a principio intrinseco sit cum cognitione finis) quamquam intus secretòque, impotenti, cassa, irritaque voluntate, Sacramentale nolit esse, quod est. Est & ille non modò apud homines, sed & apud Christum D. qui novit omnia, minister verus; quia tametsi multa illi deesse Dominus videat, quæ ad ministerii sanctitatem spectant, internam præ cæteris intentionem, qua velit esse sacramentale, quod ipsius ingratiis & injuriis sacramentale est; nihil tamen deesse illi videt, quod ad ministerii substantiam attineat.

III.

III. Tertia ratio, quam fusè latèque prosequitur, ita paucis constringi potest. Ideo juxta adversarios, ratum esset ac validum Sacramentum, dum à ministro confertur, qui ritum externa duntaxat intentione ductus exercet, quamquam intus secretòque retractet, quia ritus externus seriò peractus, in certis saltem circumstantiis, est essentialiter Sacramentum: at id esse longè falsissimum, quatuor patet exemplis; in quibus ritus externus seriò peragitur, etsi Sacramentum, ob contrariam intentionem internam, minimè perficiatur.

1. Duorum Sponsorum, qui seriò coram Parocho probatisque testibus, sibi invicem fidem spondent; Vir quidem alteri dicens, *Ego te in meam accipio*, secretò tamen subjungens *ancillam*: fœmina vero, *Ego te accipio in meum*, secretò subintelligens *herum*: qui tamen idcircò Matrimonium minimè contrahunt, judicio Nicolai I. Innocentii III. & Clementis VIII.

2. Parentis alicujus exemplum est, qui filium suum ad balnea ducens, sanitatis procurandæ caussa, eundem his verbis pronunciatis ablueret; & quidem seriò graviterque: *Ego te abluo in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* nihil de conferendo baptismate cogitans, sed Deum verbis illis simpliciter invocans, ut benè illi ac prosperè cedat lotio. Quo tamen casu baptismatis Sacramentum minimè confertur.

3. Sacerdotis exemplum est, qui consecrationis Eucharisticæ verba seriò libereque super duodecim proferret hostias; undecim tamen, quas ne determinaret quidem, duntaxat consecrare intenderet. Quo pariter casu irritam cadere hostiarum omnium consecrationem, Missalis Romani rubricæ statuunt.

4. Exemplum est Colchorum & Ægyptiorum, qui Diodoro teste *lib.* 1. *p.* 17. externum Circumcisionis ritum observabant, & quidem, ut credere par est, seriò & prudenter: quamquam Ægyptios & Colchos circumcisionis Sacramentum habuisse, nemo dixerit.

Sic certè fervidus Disputator plurimam messem una falce metit: sed ad nihilum valituram. Priora quippe exempla jam ante discussimus, atque ad præsens institutum nihil omnino valere demonstravimus. Primùm quidem de Conjugibus *Cap.* 11. *Num.* 2. 3. 4. & 5. Alterum de parente filium abluente, *Cap.* 14. *Num.* 1. Tertium de Sacerdote indeterminatas hostias consecrante, eodem *Cap.* 14. *Num.* 2. Postremum verò de Colchis & Ægyptiis futiliùs longè est, duplici de caussa. Primò quia Colchi & Ægyptii Mosaici ritus substantiam minimè servabant: quippe qui non circumcidebant in colle præputii: cum & mulieres circumciderent, quibus præputium profectò non est. Secundò si ipsam quoque Mosaici ri-

tus substantiam externè tenuissent, eumdemque seriò prudenterque servassent, ipsa tamen personarum Circumcidentium conditio, quæ nec verum colebant Deum, nec Judaicam religionem profitebantur, palam apertèque significasset, eas ritum illum uti profanum etiam exterius exercere: atque ita non habere intentionem faciendi quod synagoga faciebat.

IV. Quarta eademque ultima ratio, quam *a priori rationem* dictitat, sic procedit. „ Minister sive sit postulatus, & loco sacro „ præsens, sive privatim & sponte agat, Sacramentum non conficit, nisi potestate ad conficiendum Sacramentum sibi data uti „ velit: hæc enim potestas ministro concessa est, ut ea more humano & liberè utatur: sed ille qui externum ritum secundum „ se præcisè & materialiter spectatum peragere decernit, ita ut in „ corde statuat, *Nolo Sacramentum conficere, nolo facere quod facit Ecclesia, volo rem illam modo tantùm profano celebrare, nolo baptizare, sed tantum lavare*, non vult uti potestate ad conficiendum Sacramentum sibi data, ut per se satis manifestum est: „ nec enim Christus dedit hominibus potestatem lavandi vel proferendi seriò verba Baptismatis; cum homines potestatem illam „ non a Christo, sed a se ipsis habeant: Ergo, &c. Sic ille postremum fabulæ actum ludit.

Cui sæpe responsum est, Ministrum hujusmodi voluntate ministeriali, seu quam habet uti publicus Ecclesiæ minister, uti velle potestate ad conficiendum Sacramentum sibi data, hoc ipso quod ea sponte ac liberè utitur; quamquam ea potestate uti nolit privata voluntate, seu quam habet ut homo privatus. Quæ quidem cum potius velleitas sit, quàm vera voluntas, effectum prioris, quæ vera voluntas est, nequaquam impedit in publico ministerii exercitio. Quod *Cap. 9. Num.* 4. fusius explicavimus, patetque familiari Judicis exemplo. Qui dum publicum munus exercet, sedensque pro tribunali, auditis antea partibus, gravi voce, vultu habituque senatorio sententiam dicit, E. G. *Titium innocentem pronuncio*, rata illa validaque sententia est, etsi fortè intus occultè secretoque animo Titium nollet absolutum. Quia prior absolvendi voluntas, tot illis signis externis manifestata ac declarata, personæ publicæ, qualem re ipsa tunc gerit ac refert, voluntas est, non privatæ.

Addiderim, huic propositioni, cui tota vis argumenti hujus incumbit, *debet Minister velle uti potestate sibi data ad conficiendum Sacramentum*, geminum posse subesse sensum. Vel enim *τὸ velle* cadit super *uti*, ut sit sensus, debere Ministrum simpliciter velle uti ea potestate, quam ei Dominus dedit ad conficiendum Sacramentum: vel *τὸ velle* cadit supra *τὸ ad conficiendum Sacramentum*,

tum, ut sit sensus, debere Ministrum velle conficere Sacramentum, dum sibi data utitur potestate. Ac primo quidem sensu intellectam propositionem, nulla data distinctione concedo; cum certo certius sit, Ministrum ea semper potestate uti velle, dum ea reipsa utitur, suumque exercet ministerium. Secundo tamen sensu acceptam propositionem ita distinguo: *Debet velle minister conficere Sacramentum*, velle, inquam, virtualiter, & implicitè concedo; distinctè atque expresſè nego. Ex quo porro Minister ritum sacramentalem seriò, liberèque exercet, iis in circumstantiis, in quibus agit publico Ecclesiæ nomine, virtualem implicitamque habet Sacramenti conficiendi intentionem; quamquam intus secretòque totum velit esse irritum & inane: ut fusè *Cap.* 10. *num.* 3. demonstratum est.

V. Hactenus domesticum adversarium caussam suam orantem audivimus, ac pro modulo nostro refutavimus. Ne quid tamen omittamus eorum, quæ caussam ejus utcumque juvare possunt, objectionem addemus alteram, judicio quidem nostro minimè contemnendam, qua caussa ejus accisa jam ac deplorata erigi posse videatur.

Objiciet igitur aliquis: Idcirco ex mente Doctoris Angelici, ad perfectionem Sacramenti non est in Ministro necessaria interna ac secretior intentio, quia sufficit expressio intentionis per verba Sacramentalia ab Ecclesia instituta: at ex eodem Doctore Angelico, non in omnibus Sacramentis ea sit intentionis expressio per verba ab Ecclesia instituta; sed in iis tantum quæ habent in forma actum ministrantis expressum; igitur non est universim verum Catharini systema, sed in aliquibus duntaxat Sacramentis ut ut maximè locum habet. Liquet id totum ex integro D. Thomæ contextu *in* 4. *sent. dist.* 6. *quæst.* 1. *art.* 1. *ad* 2. *In Baptismo, & in aliis Sacramentis, quæ habent in forma actum exercitum, non requiritur mentalis intentio, sed sufficit expressio intentionis, per verba ab Ecclesia instituta.*

Quæ tamen objectio triplici observatione diluitur. Primò quæ hic habet Doctor Angelicus de Sacramentis, quæ habent in forma actum exercitum, (quod nempe non requiratur in eis mentalis intentio, sed sufficiat expressio intentionis) non ad aliorum Sacramentorum exclusionem dictum esse; sed ad quandam istorum prærogativam & excellentiam fuisse notatum; quia id in eis potiori titulo potiorique ratione contingit, quod aliàs absolutè in omnibus accidit. 2. Unicum ad summum esse Eucharistiæ Sacramentum, in cujus forma ministrantis actus non sit expressus. 3. In forma Sacramenti Eucharistiæ, in qua ministrantis actus expressus non est, Christi D. instituentis actum expressum esse: quippe cum

suis ipse verbis, in forma Consecrationis contentis, Eucharistiam consecravit atque instituit. Quare quod in aliis Sacramentis facit expressio intentionis, per formam ministrantis actum exprimentem, hoc facit in Eucharistia, & quidem meliori titulo, expressio intentionis per formam Christi D. instituentis actum referentem. Atque ita stat semper Doctoris Angelici pronunciatum, sufficere expressionem intentionis per verba in Sacramentorum celebratione proferri solita.

VI. Instabit tamen ille: Si stant quæ a nobis hactenus dicta sunt, ac sæpius inculcata, intentionem scilicet in Ministro desideratam, ad ratam validamque Sacramenti confectionem, externam duntaxat esse, in seria scilicet, & libera celebratione positam, in iis maximè circumstantiis, in quibus gerit se tanquam Ecclesiæ Ministrum; consequens est, Sacerdotem privatim ac veluti furtim consecrationis Eucharisticæ verba super panem, & vinum proferentem, sine Templo, sine Altari, sine Calice, sine Corporali, cæterisque aliis ad Ecclesiæ ritum spectantibus omissis, Corpus Christi minimè consecraturum; quamquam internam haberet intentionem consecrandi. Tunc enim externa illi intentio deesset, & extra circumstantias illas positus esset, ex quibus determinandus erat ad agendum tanquam Ecclesiæ Minister, & nomine publico. Et tamen Doctor Angelicus Sacerdotem illum eo in casu validè consecraturum docet 3. *parte quæst.* 83. *art.* 3. *ad* 8. *Si Sacerdos verba consecrationis proferat super materia debita, cum intentione consecrandi, absque omnibus prædictis, scilicet Domo, & Altari, Calice, & Corporali consecratis, & cæteris hujusmodi per Ecclesiam institutis, consecrat quidem in rei veritate Corpus Christi; peccat tamen graviter ritum Ecclesiæ non servans*. Quibus paria habet *in* 4. *sent. dist.* 13. *quæst.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 6. *in corp. Remotis his quæ non sunt de essentia rei, nihilominus res manet: Undè cum hujusmodi ritus, & quantum ad determinationem horæ, vel loci, vel indumentorum, non sint de essentia Sacramenti, sed de solemnitate, si omittantur: nihilominus consecratum est sacrificium, dummodo adsint ea, quæ sunt de essentia Sacramenti, scilicet ordo, & intentio ex parte consecrantis, & materia, & forma ex parte consecrati: tamen graviter peccat, qui aliter facit, & degradandus esset*.

Erit qui huic argumento reponat, Sacerdotem illum, de quo agit Doctor Angelicus, intentionem etiam externam habere; quia quod facit exterius, nempe *prolationem verborum super debita materia*, etsi faciat indebitè, externè demonstrat se velle facere, facitque re ipsa seriò, sine joco, sine ludo. Quidni quoque reponat aliquis, adesse eo in casu circumstantias, sin minus omnes, at saltem

tem aliquas, quæ Sacerdotem determinent ad agendum tanquam Ecclesiæ ministrum? Nempe si fuerit Sacerdos ille tunc postulatus & requisitus de facienda præcipitanter consecratione Eucharistica, ut sacrum Viaticum daretur proximè morituro. Hæc enim postulatio, quamquam stultissima, Sacerdoti fieret, ut publicum ministerium Ecclesiæ nomine exerceret.

Valeat utcumque poterit ea responsio, addiderim tamen ego ad solutionis cumulum: Catharini systema, quod hucusque defendimus, in eo esse positum, quod deficiente interna mentalique intentione, sufficiat externa, in iis maximè circumstantiis, ex quibus determinatur homo ad agendum tanquam Ecclesiæ Minister; non autem quod ea exterior intentio necessaria sit semper, etiam ubi adest interior atque mentalis. Stant porro illa duo, alterumque alteri non repugnat. Valet inquam aliquando Sacramentum cum interna intentione collatum, etsi desit externa; modo tamen Sacramentum non ludatur externè, (quia tunc ludus externus ostenderet internam intentionem nequaquam adesse) Valetque pariter Sacramentum cum externa intentione collatum, etsi fortè desit interna; modò externæ circunstantiæ hominem determinent ad agendum uti Ministrum Christi Domini, & Ecclesiæ. Primus casus ille ipse est, quem proponit hic Doctor Angelicus; potestque aliquando accidere Sacramento Eucharistiæ; quia cum sola materiæ consecratione perficiatur, quin alteri conferatur, potest a Ministro, non invitato, non postulato, non requisito, sed sponte sua celebrari. Alter casus est ab Ambrosio Catharino propositus, cujus in explicatione, ac defensione versamur. Isque in aliis Sacramentis frequentùs accidit, quæ a Ministris postulatis, & requisitis conferri solent. Utcumque sit, non repugnat Doctoris Angelici resolutio Ambrosii Catharini systemati, ut est a nobis explicatum & propugnatum.

C A-

CAPUT XVII.

Quæ, & qualis in Sacramentis administrandis, eadem in suscipiendis, desideratur intentio.

I. HActenus de intentione Ministri in Sacramentis perficiendis cumulatissime disputavimus, ut & Lutheranorum errores refelleremus, & Catharini sententiam omni momentorum genere tueremur. Superest ut ex antedictis positisque principiis, peculiare quoddam de suscipientium intentione consectarium colligamus.

Et certè eadem prorsus & suscipientium Sacramenta, & ministrantium ratio subest, quod ad ipsam attinet substantiam ut ita dixerim intentionis: ac quemadmodum nullum, irritumque esset Sacramentum, quod a Ministro nullam faciendi quod facit Ecclesia intentionem habente conferretur; ita nullum, irritumque esset, quod ab homine nullam recipiendi quod administrat Ecclesia, intentionem habente susciperetur. Quæ, & qualis in Ministrantibus postulatur intentio, secundum varias Theologorum opiniones, eadem planè desideratur in suscipientibus. Quemadmodum enim Christus Sacramentorum administrationem, actionem humanam esse voluit, atque ita ex rationis judicio, & voluntatis electione prodeuntem; ita eorumdem Sacramentorum susceptionem ejusdem conditionis esse voluit: humanam scilicet, rationalem, & liberam; non modò ut gratia recipiatur sacramentalis, quam nemo ambigit non nisi a volente suscipi posse; verùm etiam ut character in suscipientium animis imprimatur.

Hinc Innocentius III. *Cap. Majores, extra de Baptismo, & ejus effectibus; Ille qui nunquam consentit susceptioni Baptismatis, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti.* Et Doctor Angelicus 3. *part. Quæst. 68. art. 7. ad 2. Si adulto deesset intentio suscipiendi Sacramentum, esse rebaptizandus.*

Hujus porro Decreti rationem præmittit ibidem Sanctissimus Doctor, prorsus invictam: *Dicendum*, inquit, *quod per Baptismum aliquis moritur veteri vitæ peccati, & incipit quandam vitæ novitatem, secundum illud Rom. 6. Consepulti sumus Christo per Baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris; ita & nos in novitate vitæ ambulemus: Et ideo sicut ad hoc quod homo moriatur veteri vitæ, requiritur secundum Augustinum in habente usum liberi arbitrii voluntas, qua eum veteris*

teris vitæ pœniteat, ita requiritur voluntas, qua intendat vitæ novitatem, cujus principium est ipsa susceptio Sacramenti. Et ideo ex parte baptizati requiritur voluntas, sive intentio suscipiendi Sacramentum.

Hujus & altera ratio esse potest: quia per Baptismum contrahitur obligatio profitendæ, observandæque Christianæ Religionis. Quamquam autem contingere possit, ut puer nondum rationis usum assecutus obligationem aliquam contrahat nesciens, parentibus scilicet, vel tutoribus consensum ejus vice præbentibus; adultus tamen, qui sui juris est, obligationem contrahere nequit, nisi volens atque consentiens. Nemo itaque sine voluntatis assensu baptizari validè potest. Quod idem de aliis Sacramentis proportione quadam statuendum est; nec in re compertissima demonstranda nobis est immorandum, quæ ne ab ipsis quidem Protestantibus in dubium revocatur. Quamquam sub initium sæculi decimi aliter opinatus sit Auxilius Presbyter, in Præfatione *libri 2. de Ordinationibus Formosi Papæ*, & *Capite ultimo; si quispiam nolens credere in Christum, per vim baptizatus fuerit, & postmodum in Christum credere acquiescit, nunquid iterum baptizandus erit? Minimè ...... His ergo de compendio prælibatis evidentius patet, ut ille qui per vim baptizatus est, si postea in Christum credere voluerit, baptizandus iterum non sit; sed magis hortandus, ut quod invitus suscepit, amando & operando usque in finem custodiat. Igitur per hanc formulam intelligi datur, ut qui sacrum Ordinem invitus accepit, si postmodum ministrare voluerit, ulteriùs jam in eodem Ordine non sit consecrandus: sed potius admonendus, ut quod per vim coactus suscepit, per dilectionem reverenter ministrare studeat.* At hoc inter Auxilii nævos a viris eruditissimis numeratur. Nec immeritò. Qui enim baptizatur aut ordinatur invitus, nihil Characteristicum accipit; atque ita nihil, si subinde consensus accedat, retinet, nihil habet, quod custodiat, aut quod valeat ministrare.

II. In contrarium tamen videtur esse: primò, quod nonnulli seu Judæi, seu Gentiles ad Baptismum suscipiendum metu suppliciorum adacti legantur, imprudenti quorundam Principum zelo: qui tamen validè quantum ad characteris impressionem baptizati dicuntur, in actis Concilii IV. Toletani, & *Cap. Majores de Baptismo, & ejus effectibus*. Quæ porro metu suppliciorum aguntur, non liberè, sed necessariò facta censentur.

Secundò, quod nonnullæ mulieres, ex sententia Judicis, cogantur aliquando nubere, quibus nollent, viris: Virique vicissim, interminatis gravissimis pœnis, quas nollent, uxores ducere compellantur. Est autem Matrimonium legis Evangelicæ Sacramentum.

Tertiò, quod infinitos propemodum narret Historia, qui nolentes,

tes, repugnantes ac prorſus inviti Sacerdotio, & Epiſcopatu ſunt initiati. Imò ea eſt Divi Auguſtini digna ſententia: *Indignus eſt Epiſcopatu, qui non fuerit ordinatus invitus*. Non itaque deſiderari videtur voluntas in ſuſcipientibus Sacramenta, ſeu intentio id recipiendi, quod illis adminiſtrat Eccleſia.

Verùm nec iſta nos movent, ut a dictis, probatiſque reſiliamus. Non primum quidem de Judæis metu ſuppliciorum ad Baptiſmum adductis: quia quæ metu ſuppliciorum aguntur, ſi tamen ſeriò agantur exterius, adeo ut metus ſuppliciorum agendi voluntatem externam extorſerit, ea liberè facta dicuntur, libertate non quidem abſoluta, ſed conditionata: quandoquidem tales ut ſupplicium devitent, id volunt quod abſolutè noluiſſent. Ita Innocentius III. *Cap. Majores; de Baptiſmo. Is qui terroribus, atque ſuppliciis violenter attrahitur, & ne detrimentum incurrat, Baptiſmi ſuſcipit Sacramentum, talis characterem ſuſcipit Chriſtianitatis impreſſum, & ipſe tanquam conditionaliter volens, licet abſolutè non velit, cogendus eſt ad obſervantiam fidei Chriſtianæ*. At tales re ipſa fuere Judæi illi, quos Siſebutus Hiſpaniarum Rex, pio quidem, ſed imprudenti zelo ad Baptiſmum ſuſcipiendum metu mortis adegit: metus mortis, ſuſcipiendi Baptiſmatis externam illis voluntatem excivit: atque adeo validè baptizati, a IV. Synodo Toletana ſunt dicti. Cæterum ſi qui metu ſuppliciorum ad Baptiſmum adiguntur, repugnantem animum ſemper prodant, nec excitatam metu periculi ſuſcipiendi Baptiſmatis voluntatem ultimò tandem oſtendant, ſed conſtanter repugnent, & obluctentur; ii certe validè baptizati cenſeri non poſſunt, quantumvis unda luſtrentur, ut ex Innocentio III. & Doctore Angelico paulò antea demonſtravi.

Nihilo magis movet momentum alterum, de contracto Matrimonio. Quæ enim mulieres ex ſententia Judicis coguntur aliquando nubere quibus nolunt, non ideo coguntur, nubant nolentes, ſed ut audita ſententia Judicis, id velint quod antea nolebant. Neque verò refert, ſi quis fortè dixerit, cogi quandoque viros ſententia Judicis ad ducendas quas nollent uxores, ſub graviſſimis etiam pœnis, puta exilii, carceris, triremium, proſcriptionis bonorum; quæ metum gravem inferunt etiam conſtantibus viris: quæ autem hujuſmodi metu fiunt, involuntariè prorſus facta cenſentur. Id inquam minimè refert. Alius enim metus eſt juſtè, & a legitima auctoritate incuſſus: alius qui injuſtè ac violenter præter jus & æquum incutitur. Ac iſto quidem ſecundi generis metu quæcunque fiunt, præter voluntatem facta judicantur: quia, ut loquitur D. Thomas, *in hujuſmodi agendi principium totum eſt ab extrinſeco*. Verùm quæ primi generis metu fiunt, Judice ſcilicet juſtam pœnam comminante, conditionatè ſaltem voluntaria reputantur, nec tunc

agen-

agendi principium totum eſt ab extrinſeco; quia metus id homini velle facit quod juſtum eſt, quodque excluſo metu velle deberet. *Leg. Continet, Digeſt. de eo quod metus cauſa ſit*. Cæterum ſi lata ſententia Judicis, adhuc tamen conſtantiſſimè uxorem ducere nollet, matrimonium hujuſmodi metu externè contractum, in foro interiori nullum eſſet, propter defectum interioris conſenſus in conjugem; in foro tamen externo validum cenſeretur.

Ultimum momentum de Ordinationibus, præ reliquis futile eſt. Qui enim inviti, ac repugnantes Sacerdotio, aut Epiſcopatu initiati leguntur, ante Ordinationem quidem, at non in ipſo Ordinationis actu repugnarunt. Nimirum ſuæ tenuitatis, ut ſibi ipſis videbatur, conſcii, ac ſacri miniſterii pondus reveriti, aliquandiu reſtiterunt; ſed poſtmodum præpoſitorum imperio, aut etiam poſtulantis plebis importunitati ceſſere, in ſe, ac de ſe fieri conſentientes, quidquid Eccleſia Præſuleſque vellent. Quod D. Auguſtinus illorum unus ſapienter obſervat, *Epiſt. 173. ad Donatum*. *Tam multi ut Epiſcopatum ſuſcipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, cuſtodiuntur, patiuntur tanta, quæ nolunt, donec eis adſit voluntas ſuſcipiendi operis boni*. Nunquam igitur ſacris Ordinibus initiantur, niſi ſuperata priſtina repugnantia, ſuæ Ordinationi conſentiant. Qui verò ad extremum uſque repugnantes atque inviti inaugurantur, ab officiis repelluntur, utpote perperam atque futiliter initiati; eorumque ordinatores pœnis Canonicis ſubjiciuntur, *Can.* 7. Tertii Concili Aurelianenſis: *Si quis invitus, vel reclamans fuerit ordinatus, ab officio quidem deponatur, ſed non a communione pellatur. Epiſcopus autem, qui invitum, aut reclamantem præſumpſerit ordinare, annuali pœnitentiæ ſubditus, Miſſas facere non præſumat*.

III. Pro coronide capitis hujus obſervet ſtudioſa Juventus, quod licet *cap. 4. num.* 4. dixerim, deſiderari abſolutam intentionem in Miniſtro, in ſuſcipiente verò conditionatam, nulla tamen eſt hic contradictio; quia dum dico, unam eamdemque intentionem deſiderari in recipiente Sacramentum ac in conferente, loquor de ſubſtantia intentionis, hoc eſt, ſi in miniſtro ſufficit externa intentio, eadem ſufficit in ſuſcipiente, & ſi in miniſtro deſideratur interna, eadem interna deſideratur in ſuſcipiente. Quamquam tamen quantum ad modum talis intentionis, alius modus intentionis deſideratur in miniſtrante, quam in ſuſcipiente; In miniſtrante deſideratur abſoluta & præſens, in ſuſcipiente ſufficit conditionata atque præterita, qualis reperitur in dormiente & ebrio. Cur autem major atque expreſſior intentio deſideretur in Miniſtro, quam in ſuſcipiente, ratio eſt, quia miniſter ſe habet per modum agentis, & ſuſcipiens per modum patientis.

CAPUT XVIII.

Suscepti sine ulla prorsus consensione, & intentione etiam externa, Sacramenti Ordinis exempla duo producuntur, & explicantur.

I. DUo tamen Ordinationum exempla prisca prodit Historia, in quibus vix, ac ne vix quidem ordinatorum consensus in ipso ordinationis actu accessisse videri potest: ex quibus gravissimum in oppositum petitur argumentum.

Primum est Pauliniani Monachi, fratris D. Hieronymi, quem S. Epiphanius Episcopus Salaminæ, illata vi per multos Diaconos apprehendi jussit, tentoque ore, ne magnos ejulatus mitteret, primò quidem Diaconum ordinavit; tum verò post dies aliquot, eadem illata vi, ingenti difficultate, ac tento rursus ore, totis viribus obluctantem, ac renitentem, Presbyterum consecravit. Factum refert ipsemet S. Epiphanius *in Epist. ad Joannem Jerosolymitanum. Cum celebraretur Collecta in Ecclesia villæ, quæ est juxta monasterium nostrum, ignorantem eum, & nullam penitùs habentem suspicionem, per multos Diaconos apprehendi jussimus, & teneri os ejus, ne fortè liberari se cupiens, adjuraret nos per nomen Christi; & primùm Diaconum ordinavimus, proponentes ei timorem Dei, & compellentes ut ministraret. Valde quippe obnitebatur, indignum se esse contestans. Vix ergo compulimus eum, & persuadere potuimus testimoniis Scripturarum, & propositione mandatorum Dei. Et cum ministraret in sanctis sacrificiis, rursus cum ingenti difficultate tento ore ejus ordinavimus Presbyterum; & iisdem verbis, quibus antea suaseramus, impulimus, ut sederet in Ordine Presbyterii.*

Alterum exemplum est Macedonii Monachi sanctissimi, & admirandæ simplicitatis viri, quem S. Flavianus Episcopus Antiochenus, ignorantem, ac penitus nescientem, Presbyterum ordinavit. Cum enim S. Flavianus illius sanctitatis fama permotus, eundem sacerdotio vellet initiare, certò tamen sciret, eum dubio procul repugnaturum, quod eo se titulo reputaret indignum; illum per speciem cujusdam accusationis, e montis cacumine, in quo habitabat, evocavit in Ecclesiam, ibidemque ignorantem penitus quid ageretur, Presbyterum consecravit. Cum verò peracta Ordinatio-

ne

ne significatum illi fuisset, esse illum Sacerdotio initiatum, adeo excanduit, ut primùm quidem verbis, atque conviciis proscinderit universos; deinde accepto baculo, quo innixus propter senium incedebat, Episcopum ipsum, & alios qui aderant, insecutus sit: ac demum in montem suum aufugerit. Factum refert Theodoretus *in Historia religiosa Cap.* 53. Iine verò suæ ipsorum Ordinationi consensisse putandi sunt, qui aut penitus ignorantes, ac nescientes, aut aperta vi obnitentes, repugnantesque sunt ordinati? Et has tamen Ordinationes ratas, validasque fuisse, evincit Sancti Epiphanii, & S. Flaviani, a quibus peractæ sunt, auctoritas summa: evincit consensus utriusque Ecclesiæ, quæ & Paulinianum, & Macedonium in susceptis Ordinibus ministrare jussit, uti & re ipsa ministrarunt. Non ergo desideratur consensio, externaque intentio suscipientis Sacramentum.

II. Si quid ego hac in re valeo, si quid intelligo, in his etiam Ordinationibus consensus Ordinatorum accessit, qualis ad validum Sacramentum sufficere potest. Ac primò quidem Macedonius, qui ignorans, nesciensque dicitur ordinatus, consensit Ordinationi suæ, dum fieret, non *explicitè* quidem atque distinctè, sed *virtualiter*, ut Schola loquitur, *& implicitè*. Quanquam enim distinctè nesciret, quis, & qualis esset ritus ille, quem Episcopus super illum exercebat, consensit tamen, ut supra se ipsum ritus ille exerceretur. Imò ut erat vir religiosus & pius, æstimare par est, consensisse illum, ut ritus ille eum in se effectum haberet, quem habere vellet Ecclesia; etsi effectum illum, qualis scilicet esset, tunc temporis ignoraret; quem postea dum didicit, vehementer commotus est, intelligens fuisse se eo ritu Presbyterum ordinatum. Atque hoc est quod dico, consensisse Macedonium Ordinationi suæ dum fieret, sin minus *explicitè* atque distinctè, at certè *virtualiter*, *& implicitè*. Id pressius Juris periti dicunt, Macedonium ordinatum esse consentientem, atque volentem, voluntate facti, etsi non voluntate juris: quia consensit in factum, quod erat Ordinatio, etsi nesciret factum illud Ordinationem esse. Quemadmodum qui peccat ex ignorantia, expressè quidem atque distinctè peccare non vult, quia nescit id esse peccatum, quod agit; vult tamen *implicitè* peccare, quia lubens ac volens actum illum admittit, qui re ipsa peccatum est.

Paulinianus verò D. Hieronymi frater vim quidem pertulit, ut ordinaretur: per Diaconos ingenti difficultate apprehensus est, quin & illi obstructum fuit os, ne obtestaretur Episcopum, quominus ordinaretur: at totum id in procinctu Ordinationis factum est, ad illius repugnantiam revincendam. Fieri autem potuit, ut quo momento Ordinatio fieret, quamquam illi obstructum esset os, repen-

tina voluntatis mutatione assensum præbuerit, feceritque, ut vulgò dicitur, de necessitate virtutem. Quod an re ipsa fecerit Paulinianus, D. Epiphanius Ordinator ejus ex ipsius testificatione rescire subinde potuit: atque ita illius Ordinationem, externa quidem specie violentam, interno tamen voluntatis actu susceptam, & acceptatam, ratam, validamque pronunciaverit. Nisi res ita se habuerit, non dubitaverim affirmare, Pauliniani Ordinationem, tametsi a D. Epiphanio factam, nullam prorsus atque irritam fuisse, juxta Innocentii III. Definitionem sæpe laudatam, *Cap. Majores; extra de Baptismo, & ejus effectibus: Ille qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti*. Illud itaque certum, indubitatumque, suscipiendi Sacramenti voluntatem, & intentionem in suscipiente desiderari, ut ratum illud stet, validumque, ubi suscipiens sui juris est, & adultus; quales professò sunt quotquot sacris Ordinibus, ut Paulinianus, & Macedonius, initiantur.

III. Quod observare operæ pretium est, ne quis puerorum exemplum nobis opponat; qui non modò nescientes, sed & crepitacillo, atque ploratu veluti repugnantes, sacro Baptismate initiantur. Nemo quippe nescit, quale quantumque sit puerorum, adultorumque discrimen. Isti, utpote juris sui, judicii, rationisque compotes, suo quoque jure, judicioque utuntur, ubi Sacramenta suscipiunt; remque sacram humano more, libera scilicet voluntate, & electione in se, & supra se fieri volunt: isti sui juris nondum effecti, usumque rationis nondum assecuti, alieno ducuntur arbitrio: aliena parentum, tutorum, susceptorum, atque gestantium voluntas, loco rectæ rationis illis est, quam habere deberent, si re ipsa adulti essent: atque ita ea ipsa seu ratione, seu voluntate ad Baptismum accedunt, fidemque Ecclesiæ profitentur: ut & in ipsis locum etiam habeat ea Christi D. sententia, *Marci 16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur*. Quod tam eleganter, tam eruditè D. Augustinus adversus Pelagianos disputans explicavit, ut mirari mihi subeat, hac nostra ætate larvatum scribillatorem inventum esse, qui hac ipsa de caussa litem sanctissimo Doctori intentarit; ac veluti exorbitantem errorem sugillarit, quod ille *Epistola 217. ad Vitalem Carthaginensem*, inter fidei regulas octavo loco posuerit: *Pueros per ora, & corda parentum, tutorum, susceptorum, atque gestantium credere, fidemque catholicam profiteri*.

Movit scilicet stomachum novo scribillatori ea Sanctissimi Doctoris loquendi formula frequentissima; propterea quòd, ut ipse quidem autumat, necesse omnino non sit, parvulos per ora, cordaque aliorum, fidem Catholicam profiteri, ut salutem con-

fe-

ſequantur æternam : cum tam multi, ut ait, aut intra Eccleſiam, aut extra Eccleſiam validè baptizentur, ob ſufficientem Miniſtrorum intentionem; quorum tamen nulli ſunt ſeu parentes, ſeu patrini, ſeu geſtantes, qui fidem pro illis catholicam profiteantur.

Vah inſulſum Auguſtini reprehenſorem, ineptumque argutatorem! Ignorat ſcilicet quod in ſacris Chriſtianæ Religionis inſtitutionibus docentur pueri: Illos ſcilicet parvulos, qui vel in Eccleſia, ſine Sacramenti ſolemnitatibus, nullis parentibus, aut patrinis offerentibus, caſu aliquo baptizantur; aut extra Eccleſiam, ex parentibus infidelibus procreati, ſacra lotione tinguntur; Eccleſiæ tamen, cui tunc aggregantur, ore & corde perindè ac cæteros credere: ipſamque Eccleſiam iis in caſibus fidem pro iis parvulis profiteri; parentumque ac patrinorum, offerentium, atque tutorum vices omnino gerere. Quin etiam parentes quoſcumque patrinoſque fideles, qui pueros offerunt baptizandos, fidemque pro iiſdem ir. Baptiſmate profitentur, ipſius Eccleſiæ nomine pueros offerre, fidemque profiteri: adeo ut illos veriùs Eccleſia offerat, quam vel ipſi parentes, tutores, atque patrini. Quod eleganter pro more ſuo explicat Auguſtinus *Epiſt. 98. ad Bonifacium*, *Offeruntur*, inquit, *parvuli ad percipiendam ſpiritalem gratiam. non tam ab eis, quorum geſtantur manibus, .. quàm ab univerſa ſocietate Sanctorum, atque fidelium. Ab omnibus namque offerri rectè intelliguntur, quibus placet, quod offeruntur; & quorum ſancta, atque individua charitate, ad communicationem Sancti Spiritus adjuvantur. Tota hoc ergo mater Eccleſia, quæ in Sanctis eſt, facit; quia tota omnes, tota ſingulos parit.*

In quocumque ergo Baptiſmate, credunt Parvuli, per ora geſtantium, atque parentum: In iis tamen, qui caſu, & ſine ſolemnitatibus baptizantur in Eccleſia, aut qui ex parentibus infidelibus nati, extra Eccleſiam ſacro Baptiſmate initiantur, Eccleſia ipſa geſtantium, offerentium, atque parentum officium præſtat ſola, quod in aliis parentum geſtantiumque miniſterio præſtat.

Stat ergo inconcuſſa Auguſtini Sententia, ab inepto Cenſore temerè vellicata: *Pueros per ora geſtantium, & offerentium Deo credere*. Quæ ſanè eo minus vellicari debuit, ac reprehendi, quod & ſacrorum Conciliorum, & Romanorum Pontificum ſententia ſit: Concilii ſcilicet Carthaginenſis anno 418. habiti, Gelaſii Romani Pontificis, *in Epiſtola ad Epiſcopos per Picenum conſtitutos*, Cœleſtini I. *Epiſtola ad Gallicanos Epiſcopos*: quibus omnibus communis eſt phraſis illa Auguſtiniana, *Pueros ſacro Baptiſmate tinctos, per ora, cordaque geſtantium, & offerentium Deo credere;*

re ; Chriſtique mandatum hoc ſaltem pacto illos implere : *qui crediderit , & baptizatus fuerit , ſalvus erit ; qui verò non crediderit , condemnabitur .* Ut planè nemo poſſit hanc Auguſtini Sententiam reprehendere , niſi parem ſacris Conciliis , Romanis Pontificibus, totique Eccleſiæ injuriam irroget, paremque ipſiſſi erroris notam affricet.

C A-

CAPUT XIX.

Novæ refutati modo larvati Scriptoris querelæ repelluntur.

I. HÆc nos parcè ac modicè de incurrenti quæstione in priori Editione dixeramus, ut larvatum Scriptorem data occasione refelleremus; qui tot inter errores, quos D. Augustino ignoranter ac petulanter affricuit, hunc etiam recensere ausus erat, quod *pueros per ora & corda parentum, susceptorum, atque gestantium credere, fidemque catholicam profiteri*, uti catholicæ fidei regulam posuisset. At ecce sexto post mense a publicatis hisce nostris Ambrosii Catharini Vindiciis, dum refutatum D. Augustini Censorem, pœnitentia ductum, ac salutari pudore suffusum putabamus; qui illatam Doctorum maximo atrocem injuriam fleret in angulo; contra ille in animum erectus, prioris instituti propositique tenax prurientem calamum rursus acuit, miseramque chartulam surda ac latente manu disseminat, dictione lutulentam & barbaram, in qua illepidis ineptisque jocis rusticè ludens, mordaciori se stilo a nobis perstrictum queritur: illatam sibi in ipsa quæstionis summa calumniam expostulat; futiliter verò in iis quæ verè scripsit oppugnatum se dicit, falsisque allegationibus refutatum: quin etiam justæ molis Disputationem editurum se minitatur, qua ictus nostros validiùs multò depellat.

Quis viri hujus genium non miretur, ac philautiam? Nempe mordaciori se sale perfrictum queritur, quod eum *larvatum scribillatorem*, *insulsum ineptumque Augustini reprehensorem atque censorem* appellaverim: dum is ipse miseram unius folii typographici scriptiunculam, ementito *Angeli Cupetioli* nomine, misit in publicum, inquinato sordidoque stilo textam, rusticèque consarcinatam; qua D. Augustinum variorum errorum, non in physicis modò, sed & in moralibus, ac de divina gratia, audacius incusat: imò Doctorem Sanctissimum nonnulla posuisse ait doctrinæ capita, ex quibus *innumerabilium animarum damnatio* certissimè consequatur; eumdemque nonnullas de divina gratia fidei regulas statuisse contendit, quæ secutis inde temporibus, a summis Pontificibus Pio V. Gregorio XIII. Urbano VIII. ac nuper a Clemente XI. proscriptæ damnatæque sint. Ita ne mitius audacia tanta perstringi debuit aut potuit?

Sed

Sed neque meliori titulo illatam sibi, in ipsa quæstionis summa, calumniam expostulat Augustini censor & osor. Eccur enim ita? Nempe, ut ait ille, quia in ea movenda quæstione, *an pueri per ora parentum, susceptorum, atque gestantium credant, fidemque catholicam profiteantur*, factum non negat ipse, sed facti necessitatem: seu, ut libet exponere, non inficiatur, quin in Baptismate credant parvuli, per ora parentum atque gestantium; sed hanc fidem esse parvulis necessariam negat unicè, ut salutem consequantur æternam: cum contra, Ego negatum factum ipsum illi fidenter exprobrem.

Lepidè profectò atque subtiliter, ut impactam sibi calumniam ostendat! Imò, repono ego, & factum negat Censor, quale ab Augustino positum est; & si facti necessitatem negasset unicè, impugnati nihilosecius Augustini pariter reus esset: factum, inquam, quale ab Augustino positum est, inficiatus est censor. Augustinus enim factum generatim & universè in quocumque puerorum baptismate contingere docet; ac etiam in illo ipso, quod sine solemnitate confertur; quo casu pueros credere docet totius Ecclesiæ corde & ore, eosdem illos gestantis & offerentis: Augustini verò censor & osor factum universim accidere negat; in iis saltem Baptismatibus, quæ a solo Ministro, rectam faciendi quod facit Ecclesia intentionem habente, nullo præmisso Catechismo, nullisque adhibitis patrinis ac susceptoribus, conferuntur. Imò non esse fidei professionem ad salutem pueris necessariam ostendere satagit; quod re ipsa, atque in facto ab iis pueris absque solemnitate baptizatis nulla fiat, qui tamen perinde ac cæteri quique salvantur. Ecquæ ergo Augustini Censori impacta calumnia est? quid affictum? quid temerè tributum ac perperam? Quanquam etiam, ut dixi, si facto generatim & universè concesso, facti necessitatem duntaxat negasset & oppugnasset, Augustini perinde depressi & impugnati reus esset. Cum eam, per ora gestantium & offerentium, imò per os & cor totius Ecclesiæ, sacri symboli professionem, a baptizandis pueris factam, esse illis ad salutem necessariam docuerit sanctissimus Doctor; quod iste perfractè negat.

II. Neque obest, aut Censoris, in Augustino vellicando, audaciam excusat, quod vulgata nunc misera scriptiuncula nobis occentat: sat benè salvari posse pueros per solum habitum fidei, in ipsa Baptismatis collatione illis infusum; eosdemque illius infusi habitus ope, ad Christi sententiam jure ac merito pertinere, *qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*. Non advertit enim imprudens, ultra fidem illam *habitualem*, quæ una cum habitu gratiæ sanctificantis, in ipsa Baptismatis collatione pueris illis infunditur, quæque illis est propria, verèque interna atque inhæ-

rens,

rens, fidem etiam *actualem* aliquam illis esse; qua nimirum, spondente, ac respondente pro ipsis susceptore atque patrino, ac ipsa præsertim Sancta Matre Ecclesia, singulos fidei articulos, de quibus interrogantur, se credere pueri profitentur. Quæ idcirco *aliena fides* ab Augustino dicitur, seu *fides alterius corde ac voce professa*, pueris tamen, pro quibus sponsio fit, imputata, adscripta, atque ut ita dixerim *appropriata*.

Hanc ille nervosè defendit ac probat *sermone* 294. *de Baptismo parvulorum Cap.* 11. certamque, quod notandum magis, contendit esse Catholicæ Ecclesiæ sententiam, contra quam ne hiscere quidem liceat, ac mussitare. *Ad verba aliena sanatur parvulus, quia ad factum alienum vulneratur. Credit in Jesum Christum? fit interrogatio: respondetur, credit. Pro non loquente, pro silente, pro flente, & flendo quodammodo ut subveniatur orante, respondetur, & valet. An etiam hoc serpens ille persuadere conatur, quia non valet? absit a cordibus qualiumcumque Christianorum. Ergo respondetur, & valet. Conspiratione quadam communicat spiritus; credit in altero, quia pecavit in altero. An verò invenit vitam præsentis sæculi, quem parturivit infirmitas; & non invenit vitam futuri sæculi, quem parturivit charitas?* Et *cap.* 18. *Credit in altero, qui peccavit in altero: Dicitur, credit; & valet, & inter fideles baptizatos computatur. Hoc habet auctoritas Matris Ecclesiæ hoc fundatus veritatis obtinet Canon: contra hoc robur, contra hunc inexpugnabilem murum quisquis arietat, ipse confringitur.*

Et *sermone* 176. *De verbis Apostoli: Ipsi pueri portantur ad Ecclesiam: & si pedibus illuc currere non possunt, alienis pedibus currunt, ut sanentur. Accommodat illis Mater Ecclesia aliorum pedes, ut veniant, aliorum cor, ut credant, aliorum linguam, ut fateantur: ut quoniam quòd ægri sunt, alio peccante prægravantur, sic cum hi sani sunt, alio pro eis confitente salventur. Hoc Ecclesia semper habuit, semper tenuit; hoc a Majorum fide percepit: hoc usque in finem perseveranter custodit.*

III. Ex quibus profectò Augustini sententiis duo, si sensum habet, querulus Censor intelliget. 1. Fidem illam *externam atque actualem*, quam pueris baptizatis adjudicat Sanctissimus Doctor, non solius esse baptizantis Ministri, formam Baptismatis proferentis, ut cavillari modò lubet, sed susceptorum, & offerentium, imò verò totius Ecclesiæ, sacri Symboli articulos corde & ore profitentis. 2. Fidem illam *externam atque actualem*, quam pueris adjudicat Augustinus, ut in iis Christi Domini sententia locum habeat, *Qui crediderit, &c.* non illius esse commentum, ad Pelagianos refellendos excogitatum; sed certum planè fidei caput,

Sanctæ Matris Ecclesiæ auctoritate perpetuaque traditione firmatum. Atque ita justo nos titulo nonnihil in ineptum Augustini Censorem efferbuisse; quòd tritam illam loquendi formulam, *pueros per ora gestantium, & offerentium Deo credere*, ex communi Ecclesiæ sententia, a Doctore Sanctissimo usurpatam, temerè vellicasset. Justo inquam titulo: quamquam fortè quæ illic obiter indicavimus, Conciliorum atque Pontificum loca, ut eam esse Ecclesiæ sententiam, quam is in Augustino sugillat, ostenderemus, non ita essent per oscitantiam ad amussim exacta, cum de hac ipsa Ecclesiæ sententia satis superque jam constet; nec distincta, ut in aperto fiat, Conciliorum atque Pontificum testimonia congerenda sint.

Non sunt tamen, quæ obiter indicavimus, Concilii Carthaginensis, Cœlestini I. Gelasii I. testimonia falsò temerèque laudata, ut eorum auctoritate audacem Augustini reprehensorem refelleremus. Quamquam enim phrasim illam Augustinianam totidem verbis usurpasse non legantur, doctrinæ tamen summam approbasse, communemque sententiam habuisse, non est dubium. Communem, inquam, cum Augustino sententiam habuit Concilium Carthaginense anni 418. cui, ut loquitur D. Prosper *Cap. 2. contra Ingratos; os ingeniumque Augustinus erat*. Communem habuit Cœlestinus I. *in Epistola ad Galliarum Episcopos;* qui Augustini reprehensores (quorum in numero larvatus Cupetiolus est) pro potestate repressit; eundemque *Magistrum optimum*, *nullo unquam sinistræ suspicionis rumore aspersum* pronunciavit; iis profectò titulis, & elogiis minus dignum, si in ponenda fidei regula, de pueris per ora cordaque gestantium, & offerentium fidem Ecclesiæ profitentibus tam immaniter aberrasset: imò iis omnibus silentium imposuit, qui Augustino, *tanquam necessarium modum in debellandis Pelagianis excessisset*, *obloquebantur:* Quod nunc palam apertèque Cupetiolus facit, dum Augustinum in ea ponenda fidei regula *excessivè* locutum, tam audacter quam barbarè dicit, nititurque probare. Communem præ cæteris sententiam ea de re Gelasius I. habuit, *in Epistola ad Episcopos per Picenum constitutos*: Ubi *infantes in suscipiendo Baptismate catechizandos*, ait, *ut ad vitam possint perpetuam pervenire*. Ecquid porro catechismus est, nisi ea fidei professio, quam per ora & corda parentum atque gestantium, maximè verò Sanctæ Matris Ecclesiæ, infantes faciunt; quamque illis ad salutem necessariam voluit Augustinus? qua in re Sanctissimum Doctorem erroris arguit Cupetiolus.

IV. Instat nihilosecius querulus censor, quem ad sacras Christianæ Religionis institutiones, in quibus docentur pueri, amandave-

veram, ut addisceret: *Parvulos illos, qui vel in Ecclesia sine Sacramenti solemnitatibus, nullis patrinis aut parentibus offerentibus, casu aliquo baptizantur; aut extra Ecclesiam, ex parentibus infidelibus procreati sacra lotione tinguntur, Ecclesiæ tamen, cui aggregantur, corde & ore perinde ac cæteros credere: ipsamque Ecclesiam iis in casibus fidem pro iis parvulis profiteri; parentumque ac patrinorum, offerentium atque tutorum vices omnino gerere:* instat, inquam, & Cardinalis Bellarmini Institutiones Italico idiomate scriptas adiisse se dicit, ubi *Capite 9. de Sacramento Baptismatis* duntaxat scriptum legit: *Quantumque i fanciulli piccioli non conoscano quello, che pigliano, supplisce la Chiesa, che per mezzo del Compare, o della Comare, risponde, e promette per loro; e questo basta:* nihilque præterea de iis parvulis additum legit, qui parentibus, ac patrinis absentibus baptizantur; num pro iis quoque respondeat ac promittat Ecclesia: meque propterea falsæ allegationis incusat; suamque catholicæ hujus veritatis ignorationem, quam illi pridem exprobraveram, lepida ista excusatione cohonestat: *Debemus nos Itali Italicas Institutiones legere: has ego solas scire teneor, & solum harum ignorantia mihi vitio verti potest.*

Ecquis quæso plagosum illum mihi dedit Orbilium, qui nomine *sacrarum Christianæ Religionis Institutionum, in quibus docentur pueri*, ad quas illum instituendum amandaveram, peculiarem librum aliquem intellexit, & quidem a Bellarmino scriptum, ad cujus lectionem fuerit a me provocatus? Quisve mihi Theologum illum dedit, qui, quòd Italus sit, solos sibi legendos libros Italos putat, & quidem a solo Bellarmino conscriptos, ut illorum duntaxat ignoratio vitio illi verti possit? Audiat igitur, & intelligat, se non ad peculiarem librum aliquem, sed ad Christianæ Doctrinæ Scholas, in quibus instituuntur pueri, ac de religione benè docentur, fuisse a me amandatum; ut ibi a piis & eruditis Institutoribus discat, quod in Italico Bellarmini libro (nec enim omnis in omni venditur merx taberna) discere non licuit: Pueros scilicet, nullis adhibitis patrinis, ac susceptoribus baptizatos, Ecclesiæ filios perinde ac cæteros fieri; quæ illis fidei suæ vocem impertiat, cor præstet suum & vota; pro illis flagitet, spondeat, clamet, & credat: ut & hac quoque ratione in illis Christi Domini oraculum locum habeat, *qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Id si querulus Censor, sub *Angeli Cupetioli* larva delitescens, in Augustiniani cujuspiam Institutoris schola discere renuit, (quippe qui Augustinum, in ea tradenda doctrina, exorbitasse, excessisse, veras fidei regulas ignorasse petulanter affirmat) ex Di-

vo Bernardo discere ne gravetur, hoc idem pari cum Augustino constantia & elegantia docente, *Serm. 66. in Cantica*, cujus hic aurea verba subjicere non gravabor. *Quid enim si infans pro se loqui non potest, pro quo vox sanguinis fratris sui, & talis fratris, clamat ad Deum de terra? Astat, & clamat nihilominus Mater Ecclesia: Quid tamen infans? Nonne & ipse videtur tibi inhiare quodammodo fontibus Salvatoris, vociferari ad Deum, suisque vagitibus clamitare: Domine, vim patior, responde pro me? Flagitat auxilium gratiæ, quia vim patitur à natura. Clamat innocentia miseri, clamat ignorantia parvuli, clamat addicti infirmitas. Ita ergo clamant hæc omnia, sanguis fratris, fides Matris, destitutio miseri, & miseria destituti: & clamatur ad Patrem. Porro Pater se ipsum negare non potest, Pater enim est. Nemo mihi dicat, quia puer non habet fidem, cui Mater Ecclesia impertit suam, involvens illi in Sacramento, quousque idoneus fiat, proprio non tantùm sensu, sed & assensu, evolutam, puramque percipere. Numquid breve pallium est, ut non possit ambos cooperire? Magna est Ecclesiæ fides. Numquid minor fide Chananææ Mulieris, quam constat & filiæ sufficere potuisse, & sibi? . . . . . Numquid minor fide illorum, qui Paralyticum per tegulas demittentes, animæ illi simul, & corporis obtinuere salutem? . . . . . Qui hæc credit, facile huic persuadebitur, meritò Ecclesiam præsumere, non solùm parvulis baptizatis in sua fide salutem, sed etiam interfectis pro Christo infantibus coronam Martyrii. Quæ cum ita sint, nullum præjudicium sustinebunt regenerati de eo, quod dictum est,* Sine fide impossibile est placere Deo; *cum sine fide non sint, qui in testimonium fidei Baptismi gratiam perceperunt. Sed neque de eo, quod item dictum est,* Qui verò non crediderit, condemnabitur. *Quid enim est, credere nisi fidem habere?*

V. Unum fortè Augustini Censorem morari poterit, quominus a sua illa supina hallucinatione resipiscat: quod scilicet pueris illis, qui sine solemnitatibus baptizantur, nulla fiat de Symboli articulis interrogatio: credat ne in Deum Patrem Omnipotentem? Credat ne in Jesum Christum Filium ejus Unigenitum? Unde consequens esse videatur, nullam quoque ab Ecclesia Matre fieri, pro iis pueris, de Symboli articulis responsionem.

Hoc si malè torquetur pungiturque scrupulo Cupetiolus, illud sciat: uti quisque potest fidem suam etiam non interrogatus profiteri; ita potest Sancta Mater Ecclesia pro parvulo de fide non interrogato sponsionem facere, suamque illi vocem, ut profiteatur, accommodare. Præterquamquod vel ipsa formæ Baptismatis pronunciatio, tacita quædam de fide interrogatio est, qua a bapti-

ptizando puero quæritur, an credat in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, quorum in nomine baptizatur: quo Mysterio Christianæ Religionis maximo cætera omnia *implicitè* continentur.

Sed bono Cupetiolo saniorem mentem precati, ad præcipuum institutum nostrum, a quo deflectere coacti sumus, incurrentis quæstionis occasione, redeamus.

CAPUT XX.

Externa in suscipiendis Sacramentis Intentio sufficit, ut rata fiat, validaque, quoad characteris impressionem.

I. CÆterum qua ratione in antedictis demonstravimus, ad validam Sacramenti collationem satis esse, si externa Ministro adsit intentio, in seria ritus externi celebratione consistens, ubi interna non adest; ita ad validam Sacramenti characteris imprimentis susceptionem, satis esse volumus, si externus suscipientis adsit assensus, in seria nempe ritus externi susceptione positus; etsi interna suscipiendi desit intentio; imò si secreta sit, menteque abdita repugnantia. Eadem enim, ut sæpius in antecedentibus inculcavimus, quantum ad intentionem attinet, ratio subest ministrantium, & suscipientium Sacramenta; ubi suscipientes juris sui sunt, & adulti, de quibus tota præsens vertitur controversia. Ita pronunciarunt Theologi Parisienses anno 1675. sententiam rogati, occasione Petri Lavardini Episcopi Cenomanensis, qui tectus, fictus & fallax, totusque in simulationem compositus, imò, ut fama seu vera seu falsa ferebat, irreligiosus planè atheus & impius, fuerat ordinatus & consecratus Episcopus. Nempe satis esse, ad validam Ordinationem, responderunt; quod Petrus irreligiosus licet & impius, volens tamen ac lubens, in se & supra se sacrum Ordinationis ritum exerceri permiserit; nullo repugnantis animi, dum inauguratio fieret, dato signo; sed Ecclesiastica ceremonia seriò & amoto joco suscepta. Uti legere est apud Jacobum Santabovium Doctorem Sorbonicum, *in solutionibus Casuum Conscientiæ, Tomo 2. Casu* 17.

Quod multò magis Judæorum illorum, Saxonumque exemplo compertum est; qui cum ad Baptismum suscipiendum interminatis pœnis adacti fuissent, solùmque forinsecus consensissent, externamque duntaxat suscipiendi Baptismatis intentionem præbuissent, validè tamen baptizati, & sacro charactere initiati judicati sunt ab Adriano I. Rom. Pont. *Epist.* 8., ab Innocentio III. *Cap. Majores de Baptismo, & ejus effectibus*, a Concilio Toletano IV. quorum decreta in antedictis recitavimus. Compertum & illud est eorum exemplo, qui cum Baptismum fallaciter suscepissent, hoc est, data foris, non intus consensione, uti verè baptizati reputati sunt ab Augustino *Lib. 7. de Baptismo Cap.* 53. *Jam præteritis Majorum statutis non dubito, etiam illos habere Baptismum, qui*

quam-

quamvis fallaciter id accipiant , in Ecclesia tamen accipiunt , vel ubi putatur esse Ecclesia ab eis.

Certè si priscis Ecclesiæ sæculis persuasum fidelibus fuisset, ad validam E. G. Ordinationem necessarium esse, ut qui ordinatur, interno etiam mentis actu velit in se ac supra se Ordinationis ritum exerceri, satisque non esse, si ritum seriò forinsecus excipere velit, ac re ipsa externè recipiat seriò atque prudenter; tot illi viri pii ac religiosi, qui suæ infirmitatis conscii, Episcopalem, aut etiam Sacerdotalem gradum refugiebant, quod eo se indignos existimarent, non opus habuissent, tot ac tantas ab instante plebe, ac etiam ab urgentibus præpositis, molestias tolerare, ut suæ tandem Ordinationi forinsecus consentirent. Negato enim interno illo mentis assensu, negataque secreta illa intentione, ordinationem importunè sibi factam elusissent, atque ita non ordinati, non consecrati (quod illi pro sua humilitate vehementer optabant) remansissent. Imò si ipsi Consecratores & Ordinatores Episcopi ea fuissent opinione imbuti, internam scilicet Ordinandorum intentionem desiderari, nec sufficere illis externam, de rata validaque Ordinatione iis in casibus maximè dubitassent; quandoquidem meritò suspicati fuissent, pios illos humilesque viros suam illam internam animi repugnantiam, secretumque renisum in ipsa etiam sacri ritus susceptione tenuisse, ut factam sibi consecrationem nullam cassamque redderent.

Idem de iis, qui ad Baptismum suscipiendum interminatis pœnis adducti sunt, dici potest. Si enim persuasum illis fuisset, cassum nullumque fore Baptisma, si internus illi secretusque mentis negaretur assensus, seriò licet externè susciperetur; quid illi tantas molestias devorassent, ut Baptismum declinarent atque refugerent? Negato enim secreto illo occulto internoque mentis assensu, (quod illis facillimum erat ac tutum) non baptizati mansissent, tametsi forinsecus sacra unda lustrati. Illud itaque certum, fuisse olim communiter æstimatum, externam duntaxat in suscipientibus Sacramenta intentionem desiderari, ut rata sint validaque quoad Characteris impressionem, uti & hæc sola desideratur in Ministris.

II. Quapropter haud satis capio, quid sibi velint nonnulli Catharini sententiæ vindices, qui cum externam Sacramentalis ritus seriò peragendi intentionem in Ministris sufficere firmiter teneant; parem tamen intentionem externam sacri ritus suscipiendi, sufficere negant in suscipientibus, ut ratum in eis sit, validumque Sacramentum, quoad characteris impressionem. Cum hanc ipsam intentionem externam, in ipsis quoque suscipientibus, satis superque sufficere dixerint laudati Pontifices, Concilium Toletanum, ac ipse etiam D. Augustinus.

Cer-

Certè quotquot ita de suscipientibus Sacramenta philosophantur, ab ipso Catharino longè abeunt, quem tamen hac in materia sequi ambiunt. Is enim parem omnino suscipientium & ministrantium conditionem esse contendit, probatque sat benè *sub finem Opusculi de Intentione Ministri*. *Idem est*, inquit, *de intentione recipientis Sacramentum. Nam & ipse si accedat ficto animo atque hæretico, non credens ullum Sacramenti effectum, si tamen se subdit consuetudini Ecclesiæ, & patitur de more se baptizari, recipit nihilominus Sacramentum, id est Characterem, licet non gratiam. Neque potest dicere, ego non intendebam recipere Characterem, cum non crederem: quia respondebitur illi, cur igitur passus es in te fieri quæ facere consuevit Ecclesia, ex quibus provenit ille effectus, quem ipsa prædicavit eventurum cunctis, quovis animo ad hoc sacramentum accedentibus? Unde nec reiteratur in his Baptismus, etiam suam prædicantibus fictionem; qua tamen recedente, ac fide adveniente absque dolo, ipse etiam collatus Baptismus effectum gratiæ operatur, ut rectè Theologi docent. Et hanc esse Doctrinam Ecclesiæ planam, & absque scrupulo procedentem, quam ipse quoque usus perpetuus comprobavit, non dubito: quam tamen & Apostolicæ Sedis, & Concilii cognitioni ac censuræ ingenuè subdo.*

Nec me movet, quæ ab illis Theologis affertur, discriminis ratio Ministros inter & suscipientes, ut suum illud commentum cohonestent: quod nempe, ut inquiunt, Ministri Sacramenta conferant, uti personæ publicæ, Ecclesiæ scilicet nomine; quibus idcirco satis est, si eam intentionem adhibeant, quæ illis inest, ut personæ publicæ sunt, externam nimirum sacramentalibus verbis expressam, quæ totius Ecclesiæ intentio est: suscipientes verò Sacramenta suscipiant, ut personæ privatæ, quibus idcirco necesse sit, ut eam intentionem adhibeant, quæ illis inest, ut personæ privatæ sunt, internam nimirum, atque mentalem, quæ privatorum ut privatorum intentio dicitur. Non ea, inquam, ratio me movet, uti profectò nec movit Augustinum, laudatosque Pontifices. Quia tametsi suscipientes Sacramenta, uti privatæ personæ suscipiant, eaque ratione privatam quoque intentionem debeant adhibere; externa tamen illa intentio, qua ritum illum externum suscipere volunt, ac re ipsa suscipiunt, privata quoque in illis est: non secus ac altera interna, atque mentalis, quam pro sua fraude, & iniquitate non habent quotquot fallaciter, & simulatè suscipiunt. Neque mirum quod externa illa intentio, in Ministris quidem publica dicatur, & sit, quæ privata in suscipientibus est, diciturque; quia in Ministris voluntas est publici ministerii exercendi, ad bonum, & commodum alienum, non suum: in suscipien-

pientibus voluntas est sacri ritus suscipiendi, ad sui proprium, privatumque commodum, non alienum.

III. Illud moveret me magis, in ea facti specie, quam expendimus, quo nimirum jure, quove titulo, Baptismata suppliciorum metu suscepta, rata, validaque pronunciaverint Romani Pontifices, Adrianus I., & Innocentius III., & Toletanum Concilium IV. cum aliàs exploratissimum sit, quæ fiunt metu gravi in constantem virum cadente, ea nulla prorsus, irritaque censeri? *Cap. ad audientiam, extra de iis quæ vi metusque causa fiunt*. Quo jure quove titulo consensus ille qualiscumque, a Saxonibus, & Judæis metu suppliciorum olim extortus, ut caput sacræ lotioni suscipiendæ submitterent, abundè sufficiens fuerit judicatus, ut validè baptizati censerentur: cum consensum matrimonialem, pari, imò longè minori suppliciorum metu extortum, insufficientem jura decernant, ad contrahendum validè Matrimonium? *Capite cum locum, extra de Sponsalibus, & Matrimonio, & Cap. Consultationi, sub eodem titulo*.

Ea, ut verum fatear, difficultas diu me multumque torsit, ac valdè anxium habuit: ubi tamen rem totam accuratiùs, ac maturiùs expendi, radius mihi tandem affulsit, quo tenebras illas omnes depuli, ac longè fugavi. Do itaque lubensque concedo, quæ fiunt metu gravi in virum constantem, & fortem cadente, ea nulla prorsus, irritaque censeri: at nego metum, quo vir interna mente, animoque obfirmato Judæus, ad Baptismum suscipiendum, interminatis etiam suppliciis, adigitur, in virum fortem, atque constantem ullo modo cadere: cum contra potius metus duntaxat sit hominis ignavi, imbellis, animique pusilli.

Quod ut intelligat studiosa Juventus, hanc sibi regulam habeat dignoscendi timoris; sit ne viri constantis, & fortis, an potius pusillanimis, & ignavi. Facienda est mutua comparatio, mali scilicet imminentis, quod timetur, & mali, ad quod eligendum terroribus quis, & minis impellitur. Ac tum si judicio viri prudentis, fortis, atque constantis majus æstimatur, & gravius malum, quod imminet perferendum, quàm quod eligendum, amplectendumque proponitur; tunc certè imminentis mali metus, quo quis ad malum aliquod eligendum inducitur, viri constantis, & fortis metus est; quæque eo timore fiunt, nulla jure censentur, & irrita: si autem e contrario prudentis, atque constantis viri judicio, minus æstimatur, ac levius, quod imminet perferendum malum, quàm quod per minas proponitur eligendum; tunc sanè metus, quo quis ad eligendum istud inducitur, viri imbellis est, ignavi, animique pusilli: quæque eo timore fiunt, non illicò nulla censentur, & irrita. Sic dum sicarius intento in jugulum gladio, Titio mor-

tem comminatur, nisi in Bertam consentiat ad Matrimonium; si consenserit Titius, metu in virum fortem cadente dicitur consensisse, adeo ut nullus, irritusque consensus judicetur: quia vir etiam fortis, & constans, mortem sibi intentatam majus esse malum judicat, quam consensum in Bertam, quamvis illa putetur ingrata. Contra verò, dum tyrannus immane supplicium, diramque mortem Christiano homini minitatur, nisi Christum, ejusque religionem ejuret; hic si ejuraverit, metu in virum fortem cadente ejurasse non dicitur, sed gravissimi sceleris reus habetur: quia fortis, & constans vir, quodcumque supplicium, ipsamque mortem, malum longè minus æstimat, quam Christi, ejusque religionis ejurationem. Cujus rei rationem assignat Doctor Angelicus *in 4. Sent. Dist. 29. Quæst. 1. Art. 2. Quia vir fortis, & constans sequitur rationem rectam, per quam scit aliquid, pro quo sit dimicandum, vel faciendum, semper aut minus malum, vel majus bonum eligendum est, & ideo constans & fortis ad minus malum sustinendum cogitur metu majoris mali; non autem cogitur ad majus malum, ut vitet minus malum; sed inconstans & pusillanimis cogitur ad majus malum faciendum, propter metum minoris mali sicut ad peccatum propter metum corporalis pœnæ.*

IV. Jam ad rem nostram veniamus: dum homo interna mente, animoque obfirmato Judæus, qui unam Judaicam religionem uti veram agnoscit, ac sanctam, Christianam verò ex adverso uti falsam execratur, ac vanam; is, inquam, dum ad Baptismum suscipiendum, ejurandumque Judaismum, suppliciorum, ipsiusque mortis comminatione compellitur; si forti atque constanti animo est, quodcumque supplicium perferendum, ipsamque mortem subeundam, minus longè malum æstimare debet, quam Baptismatis susceptionem, Judaicæque religionis ejurationem, quandiu in illo conscientia erronea perdurabit. Atque ita si eo suppliciorum metu concutitur, ut & Judaismum ejuret, & sacrum Baptisma suscipiat, non est metus ille viri fortis, atque constantis, sed ignavi, imbellis, & pusillanimis. Ea ergo pervulgata juris regula, *quæ fiunt metu cadente in constantem virum, nulla judicantur, & irrita*, nihil planè obfuit, quominus Romani Pontifices, atque Concilia, ea Judæorum quorumdam Baptismata, rata, validaque pronunciare potuerint; in quibus suscipiendis, externum illorum consensum metus suppliciorum extorserat: cum virorum constantium, & fortium metus ille non fuerit, sed ignavorum, & pusillorum.

Sed est alterum quod opponant Catharini oppugnatores, quodque Theologis Parisiensibus objecere, qui illos in consilium adhibuerant, in casu Episcopi Cenomaniensis. Si, inquiunt illi, ut valida sit Ordinatio, satis est, quod quis volens ac lubens sacrum Ordi-

Ordinationis ritum in se ac supra se exerceri permittat, etsi is nulla sit religione ac fide; poterit & Judæus, & Turca, Judaicæ, & Mahumeticæ superstitionis retinens, Episcopus apud nos esse: cum & possit uterque Ordinationem Episcopalem suscipere, seu facta sponsione, seu amicorum inductu, seu alia quacumque ratione; quamquam pristinam superstitionem nec exuerit, nec reliquerit.

Quasi verò? Ecquis nesciat, ad validam Ordinationem illud primum desiderari, ut qui sacrum ritum in se & supra se exerceri permittit, sit antea baptizatus? Qualis profectò Judæus, aut Turca cum esse non possit, nisi pristina superstitione relicta, nunquam certè contingere potest, ut aut Judæus, aut Turca superstitionis suæ retinens, apud nos Episcopus extet. Si tamen mihi Judæum, aut Turcam dederis, qui volens ac lubens Baptisma susceperit, ac tum postea sacrum Ordinationis ritum in se ac supra se exerceri permiserit, quamquam sit ille irreligiosus, & impius, sine lege etiam, sine Christo, sine Deo; erit & ille & validè baptizatus, & validè ordinatus, quamquam in sui damnationem, atque interitum. Quia, ut docet Augustinus, *ubi fides non est, fideique resistitur, Sacramenta Christi esse possunt, quamquam prodesse non possint. Lib.* 3. *de Baptismo contra Donatistas, Capite ultimo*. Eamque doctrinam confirmat perpetua Ecclesiæ praxis, quæ nullos unquam de quacumque hæresi vel schismate, in quo ritè baptizati aut ordinati fuerant, venientes, secundò baptizavit, aut ordinavit.

Urgent illi tamen: Ut rata sit validaque Sacramenti susceptio, illud saltem desideratur, ut seria sit: At dum vir irreligiosus, & impius, sine fide, sine Christo, sine Deo, sacrum Baptisma, aut si mavis Ordinationis ritum, in se ac supra se exerceri permittit, non est tunc seria Sacramenti susceptio, sed illusio; quique sic affectus ad Ordinem suscipiendum accedit, cæremoniam illam nonnisi *mimicam gesticulationem*, uti Calvinus, agnoscit: non est igitur rata & valida, etiam quantum ad Characteris impressionem, Sacramenti susceptio.

Cui jam responsum a nobis est datum, dum de Sacramentorum administratione, quæ perinde seria debet esse, disputaremus: actum nimirum humanum serium dupliciter dici; primò, quia nec fictus est nec simulatus, propterea quòd actus exterior interno respondeat; secundò, quia nec jocularis est neque scenicus; dum scilicet quidquid in actu externum est, semoto ludo fit atque joco, etsi fortè interno mentis actui minimè respondeat. Porro ut rata sit validaque Sacramenti susceptio, necesse omnino non est, ut primo sensu sit seria, sed secundo. Quo sanè pacto vir ille irreligiosus, & impius ad Episcopatus ordinem dicitur accessisse: cum extra jo-

cum omnem, & ludum, motu, gestu, habituque gravis accesserit, prudensque ad interrogata composito sermone responderit. Ac licet pro impietate sua, & quo tunc laborabat errore, sacras illas cæremonias, mimicas gesticulationes intus in animo reputaret; easdem tamen externè, non mimicè sed seriò graviter, ac prudenter excepit. Quod sin minus ad salutem, at saltem ad characteris impressionem (quod hìc unicè quæritur) satis fuit.

Stat igitur certum & inconcussum, in perficiendis Sacramentis, parem esse suscipientium, & ministrantium conditionem: tamque esse illa rata validaque, modò seriò liberèque suscipiantur externè, quam si seriò liberèque forinsecus ministrentur: tametsi intus occulta secretaque mente repugnent qui recipiunt, aut qui ministrant.

C A-

CAPUT XXI.

Num parentum infidelium consensus desideretur, ad Baptismum ipsorum filiis conferendum?

I. QUæ a nobis sæpius mota est difficultas, de necessaria Infidelium adultorum intentione, & consensione, ad ratum validumque baptisma suscipiendum, postulat ut ad operis coronidem inquiramus, qualis in parentibus infidelibus desideretur assensus, ut ipsorum filii licitè ac debitè baptizentur: licitè dico debitèque: cum aliàs certò certiùs sit, pueros illos validè baptizari, seu consenserint parentes illorum, seu fortè dissenserint.

Nulla, ut verum fatear, pluribus æquivocis controversia subest: quæ ut longè semoveantur, nonnulla sub ipsum statim initium movere juvat, quæ germanum legitimumque movendæ quæstionis sensum aperiant.

II. Infidelium triplex Ordo de more distinguitur. Alii nempe fidem aliquando saltem in Baptismate susceperunt, sed susceptam postmodum reliquerunt, quos & hæreticos dicimus; quod nimirum relicta Ecclesia fidem ac religionem sibi eligunt pro arbitrio: αἵρεσις enim idem est ac electio, ab αἱροῦμαι, quod est eligo. Alii fidem non re quidem, sed figura saltem susceperunt, figuratum tamen non agnoverunt: quos Judæos, a Juda Tribus nobilissimæ Capite sæpe dicimus, sæpius etiam Hebræos, incertæ originis vocabulo nuncupamus; seu ab Abrahamo, ut aliquibus visum est, seu ab Heber, primigeniæ linguæ cultore ac servatore, ut lubet aliis; seu demum, quod verius autumo, a primæ illorum habitationis loco. Hebræus enim transfluvialem sonat, hoc est, habitantem trans flumen, nempe Euphratem in Mesopotamia; quæ prima Majorum illorum habitatio fuit, juxta illud *Josue 24. Trans flumen habitaverunt patres vestri ab initio Thare pater Abrahæ, & Nachor: servieruntque Diis alienis*. Alii demum infideles, qui tertium Ordinem constant, fidem nullo unquam pacto, nulla ratione, nec re ipsa, nec in figura suscepere: seu verum illi Numen colant, sed profanis omnino ritibus, uti Turcæ; seu nullum agnoscant, ut Athei; seu falsum adorent, ut Idololatræ. Hos Gentiles Scripturæ nuncupant; quod aliàs, uno excepto Judææ populo, ceteræ gentes idololatriæ tenebris involverentur. Nonnumquam etiam Ethnicos dicunt, paris potestatis vocabulo: græcè enim Ethnicus, ab

ἔθνος,

ἐθνος, gentilem sonat. Ac tum demum Pagani sunt dicti, quasi pagorum habitatores, quo ex tempore extra urbes in pagis habitare jussi sunt, Constantini Magni Imperatoris edicto.

III. Nunc ergo ubi de filiis Infidelium quæstio vertitur, sint ne parentibus dissentientibus ac repugnantibus baptizandi, de Infidelium primi Ordinis, hoc est, Hæreticorum filiis controversia non est, quos constat posse dissentientibus atque invitis parentibus baptizari. Cum enim parentes hujusmodi fidem Ecclesiæ in baptismo promiserint; eidemque sin minus facto, at certè jure summo subjiciantur; aliunde verò filios suos & Christiana fide imbuere, & in Christiana Religione educare teneantur; id ni fecerint, ut faciant cogi debent; ac si renuant, possunt illis invitis ac repugnantibus, ipsorum filii baptizari, tum Ecclesiæ auctoritate, tum Christianorum Principum potestate, mandati Ecclesiastici executionem procurantium. De filiis igitur secundi ac tertii Ordinis Infidelium, Judæorum nimirum, atque Gentilium, quæstio venit; qui cum Ecclesiæ potestati non subsint, haud ita facile intelligitur, quo jure posset Ecclesia illorum filios, iis quidem dissentientibus ac repugnantibus, baptizare.

Sed & illorum secundi ac tertii Ordinis Infidelium, Judæorum dico atque Gentilium, aut aliter Barbarorum, non una omnium eademque conditio est. Quamquam enim subjectione civili duntaxat atque politica, Christianis Principibus subesse soleant, præsertim verò Judæi, ut habet Innocentius III. *Capite etsi Judæos, extra de Judæis, & Saracenis*, & D. Thomas 3. *parte quæst. 68. art. 10. ad* 2. fieri tamen potest, ut pœnali etiam servili ac despotica subjectione tanquam mancipia Principibus pareant; si nimirum vel bello capti, vel pecunia redempti fuerint. Ac istorum quidem ut est diversa conditio, ita & de ipsis distincta est difficultas; num iis saltem vis a Principibus possit inferri, ad ipsorum filios baptizandos.

IV. De filiis porro dum loquimur, illos duntaxat intelligimus, qui nondum rationis usum sunt assecuti. Si enim illius usum adepti fuerint, nemo non videt, illorum ipsorum, non itidem parentum assensum esse quærendum, ut sacro baptismate initientur. Uti etiam dum de conferendo iisdem sacro Baptismate quærimus, non de valida, sed de licita collatione disputamus. Aliàs enim validum fore Sacramentum nemo ambigit, si debita materia & debita forma conferatur; seu parentes assensum dederint, seu fortè negarint; cum id nonnisi externa conditio fit. Quare licitum ne sit, ac summo jure permissum, unicè quæritur. Qua in re ad propositæ quæstionis resolutionem, primam hanc cum Doctore Angelico regulam ponimus: Filii infidelium, Judæorum nimirum atque Gentilium,

tilium, ceterorumque barbarorum, Christianis Principibus civiliter tantùm atque politicè subjectorum, non possunt, dissentientibus ac repugnantibus parentibus, licitè baptizari, donec rationis usum attigerint.

Ii etenim pueri invitis parentibus baptizati, vel relinquerentur sub patria potestate, vel ab ea eriperentur: Si sub patria potestate relinquerentur, patentissimum subversionis illorum periculum esset, imò certa & indubitata subversio, cum primum rationis usum attingerent: perversa enim educatione, parentum errores animo imbiberent, susceptamque baptismate fidem ejurarent. Si autem ex adverso e patria potestate avellerentur, inter Christianos educandi, sacrum naturæ jus violaretur, quod in suos filios parentes obtinent, ut illos curent instituant foveantque, velut in spirituali quodam sinu: undè & illos, tenellos præsertim atque impuberes, meliori sanctiorique jure possident, quàm quæcumque fortunæ bona, quæ illis citra injuriam auferri non possunt. Cum itaque juxta sententiam Apostoli, *non sint facienda mala, ut veniant bona*, nefas omnino est, naturali ac sacro illo patriæ potestatis jure parentes exuere, ut citra subversionis periculum filii baptizentur. Nihil hìc auctoritas Principis valet, tametsi suprema. Quemadmodum enim civilis jurisdictio, qua pollet in subditos, non tollit ab eis dominium reale, aut quasi reale, quod habent in res suas; multò minus tollit ab eis naturale dominium quod habent in filios, præsertim tenellos atque impuberes.

V. Haud me fugit reponere aliquos, Infideles illos & patria potestate, & naturali quod in filios suos habent jure abuti, dum illos baptizari non sinunt; adeoque & naturali illo jure, & patria potestate exui posse, juxta tritum effatum, *qui abutitur jure aliquo, eo privari meretur*. Sit ita verò, privari propter abusum mereantur jure illo, privari tamen eo jure non possunt, nisi ab habente in illos auctoritatem, non qualemcumque, sed eo in ordine, quo jure illo suo abutuntur, in ordine nimirum ad fidem & religionem. Ecquis autem talem in illos obtinet auctoritatem? Non Ecclesia, quæ in illos duntaxat exercet auctoritatem, qui suscepto Baptismate suam illi fidem ac religionem obligarunt; non itidem in extraneos, de quibus ait Apostolus 1. *Cor.* 5. *quid mihi de his qui foris sunt judicare?* Non Princeps temporalis, qui in civilibus tantum & politicis dominatum in illos exercet, minimè tamen in rebus ad fidem & religionem attinentibus.

Certè si qui abutitur jure aliquo, eo privari a quocumque posset, tametsi auctoritatem in hujusmodi non habente, possem & ego privatus homo, & Petro divitias eripere, quibus ad luxum aliave fovenda vitia iniquè abutitur; & Paulo domum auferre, si

eam

eam verterit in lupanar; & Titio agrum, si ex fructibus usuras exerceat: quod quàm sit absurdissimum, nemo non videt. Auctoritas ergo desideratur, ut quis jure suo alterum privet, non qualiscumque, sed eo in ordine, in quo abusus admittitur.

VI. Quamquam quid opus est verbis, ubi publicum rei habemus experimentum? Augustini digna sententia est *Epist.* 54. *cap.* 5. *Si quid tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimæ insaniæ est.* Tota qua latè patet Ecclesia, Judæos civiliter ac politicè subditos habet, habuitque semper, a Constantini Magni temporibus; habent etiamnum hodie Christiani Principes, habent Christianæ Respublicæ, habent & ipsi Romani Pontifices: nemo tamen omnium, illorum filios invitis parentibus baptizandos sibi sumit: nemo pueros illos e patria eripit potestate, ut tutò, & citra subversionis periculum baptizentur. Aut ergo id sibi licitum fore putant, aut illicitum: si licitum putant, irreligiosi sunt qui non agunt, quod ex charitate & religione tenentur agere; utpote cedens in salutem animarum, & in Christianæ religionis incrementum: si contra illicitum putant, ac propterea non agunt, næ quæso audaces & impudentes, qui contra totius orbis Christiani sententiam, id licitum arbitrantur?

VII. Eandem illam a nobis positam regulam confirmat triplex exceptio, per sacros Canones data, tribus in casibus. Exceptio enim firmat legem, ut habet commune proloquium; quodque certis tantùm in casibus idcirco licitum dicitur, quod in iis patria potestas minimè lædatur, illicitum aliunde supponitur, ubi potestas illa patria violaretur.

Primus excipiendus casus est, si parentum infidelium alter convertatur ad fidem, filiumque baptizari velit, & apud se custodiri & educari, altero in infidelitate permanente, & filium baptizari nolente ac repugnante. Tunc baptizari filium posse, ac etiam debere, jura decernunt: *Cap. ex litteris; extra de Conversione infidelium*, quod est Gregorii IX. responsum, Argentinensi Episcopo datum, & *Cap. Judæi Caussa* 28. *quæst.* 1. quæ Concilii Toletani IV. definitio est *Cap.* 63. Nec immeritò: cum enim in eo discordantium parentum conflictu patria jura discissa sint; nec possit uniuscujusque parentis voluntas impleri; eam potius executioni mandare convenit, quæ proli simul favet & religioni.

Alter casus est, si puer infortunio aliquo procul a cura parentum sit avulsus, & in terram longinquam deportatus, absque ulla spe postliminii. Et hunc baptizari jura statuunt, cum nec periculum subversionis subsit ullum, nec patriæ potestati, e qua jam puerum illum casus eripuit, fiat injuria.

Ultimus demum casus est, si puer certò & indubitanter sit proximè

mè moriturus. Tunc scilicet parentibus insciis potest occultè & caute, si occasio tulerit, baptizari. Quod a S. Ludovico Bertrando factum historiæ produnt. Tunc siquidem procul abest subversionis periculum, nec filium parentibus eripit baptismi minister, sed mors ipsa proximè secutura. Si tamen fortè fortuna contingeret, puerum ita baptizatum, præter omnium expectationem convalescere; e parentum cura, propter subversionis periculum, deberet avelli; *Cap. Judæorum Caussa* 28. *quæst.* 1. & *Cap.* 60. Concilii IV. Toletani. E duobus siquidem malis, quorum alterum necessarium fuerit, minus est eligendum; imò jam tunc desinit esse malum, quia incipit esse necessarium: minus porro malum est violatio patriæ potestatis, violatione baptismatis, filiique subversione. Quamquam nec tunc propriè loquendo Ecclesia ipsa, aut Christianus Princeps, aut baptismi minister, a patria potestate filium eriperet, sed casus ipse recuperatæ salutis, qui baptizatum puerum, de vita desperatum & conclamatum, velut in vitam eduxit. Atque hæc de filiis infidelium civili tantum & politica clientela Christianis Principibus subjectorum.

VIII. Ceterum si parentes pœnali servili despotica subjectione, tanquam mancipia Christianis Principibus pareant, possunt iis inconsultis, ac etiam invitis & repugnantibus, illorum filii baptizari. Quæ altera ad propositæ quæstionis solutionem regula est.

Ac sic quidem decernit Doctor Angelicus 3. *parte*, *quæst.* 68. *art.* 10. *ad* 2. Ubi docet, filios Judæorum, non obstante servitute parentum, non posse illis invitis ordinariè baptizari, quia ordinaria illorum servitus, civilis duntaxat est: satis superque his verbis innuens, posse illos ex adverso invitis parentibus baptizari, si isti vel bello capti, vel pecunia redempti, uti mancipia serviliter pareant.

Suffragatur & ratio. Servi enim atque mancipia jure gentium & propriam libertatem, & jus proximum expeditumque patriæ potestatis amittunt. Sic enim una cum filiis domino subsunt, ut non modò sejungi ab invicem, verùm etiam seorsim divendi possint, pro Domini nutu atque arbitrio: adeo ut parens venditione quandoque cedat Hispano, filius Gallo, seu fortè Germano, aut etiam Indo. Qua semel distractione ac separatione facta, nullum, si baptizetur filius, subversionis periculum subest; nulla paterno juri, quo jam servus parens devolutus est, irrogatur injuria.

Nec modò baptismum mancipiorum suorum filiis eo pacto procurare Domini possunt, verùm etiam & debent: cum in jure paterno succedant patribus; vi cujus debet quisque Christianus baptismum propriis liberis procurare. Sic Patriarchæ ac Justi veteris Testamenti, non modò proprios filios circumcidebant, sed & servos tam vernaculos quàm emptitios, (*Exodi* 13.) quamquam minor

nor longè tunc esset circumcisionis necessitas, quam sit modò baptismatis. Non ideo tamen perinde possunt parentes ipsorum quantumvis servos baptizare invitos, ac repugnantes. Quia baptizandorum adultorum assensus de necessitate Sacramenti desideratur; nec suppleri ullo modo potest: cum contra parentum assensus, ad filiorum lustrationem, conditio duntaxat sit, quam in mancipiorum filiis supplet dominorum assensus, qui in eorum jura succeffere; supplet & Ecclesia, non solum validè, sed & licitè. Quia parentes ratione servitutis proximo, & expedito patriæ potestatis jure devoluti sunt; & ad dominos suos translatum est jus atque dominium.

CAPUT XXII.

Satisfit objectis contra geminas regulas superiori Capite datas.

I. REgulæ primæ a nobis datæ, de filiis Infidelium civiliter tantùm, atque politicè subjectorum, minimè baptizandis, nisi parentum consensus accesserit, repugnare videtur exemplum Mathathiæ viri sanctissimi, atque fortissimi, *lib.* 1. *Machabæorum Cap.* 2. memoriæ proditum: qui devicto Antiocho, eversisque profanis Gentilium aris, circumcidit omnes pueros incircumcisos, parentibus utique illorum inconsultis; qui suos circumcidi pueros passi non essent. Quod porro Judæis Principibus licuit, in tradenda Gentilibus circumcisione, potiori titulo Christiani Principibus, in tradendo Judæis baptismate, licitum erit.

Exemplum hoc nil ego moror, quod ad rem nostram trahi omnino non possit. Licere Christianis Principibus, quod Judæis licuit, quodque fecit devicto Antiocho Mathathias, concedo lubens; at illud maximè controvertitur, quid ille gesserit, seu quinam illi pueri fuerint, quos reportata victoria, in finibus Israel circumcidi jussit. Sunt enimvero qui putent, fuisse illos filios Judæorum, quos incircumcisos reliquerant parentes ipsorum, impiis Antiochi mandatis deterriti; qui Mosaicæ legis rituum, ac potissimum circumcisionis observantiam edicto vetuerat; adeo ut mulieres duas, quæ filios suos circumcidisse inventæ fuerant, per muros præcipitari jusserit, infantibus ad ubera suspensis, ut legitur *lib.* 2. *Machabæorum Cap.* 6. Quare Mathathias devicto Antiocho, sedataque persecutione, pueros illos hactenus incircumcisos creditur circumcidisse. Porro si sic est, nihil inde adversus statutam a nobis regulam extundi potest: Sed illud unicè, posse quoque Christianos Principes iis Christianorum filiis baptismum procurare, qui parentum vel incuria, vel impietate baptizati non essent: Quod quis neget? Alii pueros illos incircumcisos, a Mathathia circumcidi jussos; Gentilium pueros arbitrantur, sed bello captos, qui ex copiis Antiochi, victori Mathathiæ in prædam cesserant. De hujusmodi verò pueris, non est hic nobis controversia. Dum enim pueri non civiliter & politicè, sed serviliter tanquam mancipia, jure belli Principibus subsunt; possunt perinde & circumcidi, & baptizari parentibus inconsultis, & repugnantibus, uti altera statuta regula demonstravimus. Non itaque exemplo illo Mathathiæ, regula nostra prima concutitur; sed secunda firmatur; quam de Infidelibus servilem, & pœnalem subjectionem ferentibus statuimus.

II. Gravioris longè momenti videntur esse, & adversæ sententiæ suffragari Vvisigothorum leges, quæ Judæis vim non modicam inferunt, ad baptismum filiis procurandum. Ita quippe legimus *lib. 12. tit.* 3. *Si quis Judæorum, de his scilicet qui nondum sunt baptizati, aut se baptizare distulerit, aut filios suos vel famulos nullo modo ad Sacerdotem baptizandos remiserit; vel se suosque de baptismo subtraxerit, & vel unius anni spatium, post legem hanc editam, quispiam illorum sine gratia baptismatis transierit; horum omnium transgressor, quisquis ille repertus fuerit, centum flagella decalvatus suscipiat, & debita mulctetur exilii pœna. Res etiam ejus ad Principis potestatem pertineant; qualiter si incorrigibilem durior eum custodierit vita, perpetuò in ejus, cui eos Princeps largiri voluerit, potestate permaneat*. Quibus etiam planè consonant leges Hispanicæ, a Sisenando, Ervigio, & Egica Hispaniarum Regibus latæ, sexto, & septimo Christiani nominis sæculo.

Durum id sanè. Verùm si quis earum legum rationem habere velit, ut inde colligat, posse Judæorum filios invitis parentibus baptizari, colligat quoque necesse est, posse perinde parentes ipsos baptizari invitos, ac repugnantes. Pœnæ enim perinde decernuntur in eos, qui & se baptizare distulerint, & qui filios ad Sacerdotes non remiserint baptizandos. Et hoc tamen nemo negat illicitum esse, ac etiam irritum. Sed & si paulò penitius rem totam perpendamus, tantum abest ut Judæorum filios invitis parentibus baptizari posse putaverint Vvisigothi atque Hispani, ea lege pœnali constituta; ut potius non posse illos nisi consentientibus parentibus baptizari, persuasum habuerint. Quandoquidem illorum consensum metu suppliciorum extorquere tentarunt lata lege, non utique tentaturi, si minimè necessarium judicassent.

III. Sed cur, inquies, vis illa Judæis illata est ab Hispanis, & Vvisigothis? Respondeo pio quidem illorum Regum zelo factum id esse, sed imprudenti: quem non modò non probavit Ecclesia, sed improbavit apertissimè, *Cap. sicut Judæi, extra de Judæis, & Saracenis: Statuimus ut nullus invitos, vel nolentes Judæos, ad baptismum venire compellat*. Et *Cap.* 57. Concilii IV. Toletani, quod occasione pii hujus, sed imprudentis zeli Sisenandi seu ut alii vocant Sisebuti Regis habitum est, *de Judæis hoc præcepit Sancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferri .... non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes; ut integra sit forma justitiæ*. Et post pauca: *Ergo non vi, sed libera arbitrii facultate, ut convertantur, suadendi sunt, non potius impellendi*. Quod idem inculcatur *Cap. de Judæis dist.* 45. Nulla itaque legum illarum a Vvisigothis, & Hispanis latarum ratio habenda est.

Quia tamen, ut habet regula juris, *multa fieri probibentur, quæ tamen facta tenent:* ac etiam, *promittere liberum est, promissis stare*

ſtare neceſſarium: ſanxit non ſemel Eccleſia, ut qui metu ſuppliciorum excitati, baptiſma ſuſceperant, aut ſe ſuſcepturos ſpoponderant, quique aut baptiſma contulerant filiis ſuis, aut ſe promiſerant collaturos, factis ſtarent atque promiſſis; pœnis etiam graviſſimis intentatis, ſi vel a ſuſcepta ſemel Chriſtiana religione deſciſcerent, vel a promiſſorum fide reſilirent. Quo ſpectant pleraque Capitula Concilii IV. Toletani *a 56. ad 65. & Cap. 9.* Concilii XII. & totum fermè *Caput Majores, de Baptiſmo, & ejus effectibus:* At quid hæc omnia, rogo vos, ad præſens inſtitutum; cum de baptiſmate pueris conferendo diſputemus, invitis illorum parentibus, qui nihil unquam Eccleſiæ, ſeu liberè, ſeu ſuppliciis excitati promiſerunt?

IV. Addiderim ad cumulum ſolutionis, Hiſpaniarum Judæos, lege ab Egica Rege ſancita, & in XVII. Concilio Toletano confirmata, *Can.* 8. perpetua ſervitute fuiſſe damnatos; tum in pœnam perfidiæ, quod ſuſcepto ſemel baptiſmate, ad vomitum rediiſſent; tum in pœnam perduellionis, quod Regni faſtigium ſibi per conſpirationem uſurpare tentaſſent. Qua pœna mulctati cum eſſent, nil mirum, ſi illis etiam invitis, illorum filios baptizaſſent. Pœnali ſiquidem ſervituti addicti, patriæ poteſtatis jure excidunt. non *radicali* quidem, ut vocant, ſed proximo ſaltem & expedito.

Neque movet ſi fortè dixeris: poſſe ergo perinde quoſcumque Principes eadem arte Judæorum filios invitis parentibus baptizare; ſi nimirum civiliter ſibi ſubjectos pœnali ſervitute damnarint. Non movet inquam, quia hanc pœnam Judæis indicere nequeunt Principes ſine cauſſa, & quidem omnium maxima, qua vel morte damnari meruerint. Aliàs non vitatur injuria collati violenter baptiſmatis, ſed alia longè majori cumulatur.

V. A momentis ab auctoritate petitis feliciter expeditus, ad momenta rationum accedo. Inter quæ palmare illud eſt, quod ſuperiori Capite non ſegniter occupavi, quodque in hanc formam efferri poteſt. Idcirco non poſſent filii infidelium diſſentientibus ac repugnantibus parentibus baptizari, quia jus naturale patriæ poteſtatis violaretur: primò quidem, quod illis ipſis invitis filii baptizarentur, ad quos naturali jure pertinet, de mediis ad ſalutem neceſſariis illis providere: Secundò, quod infantes baptizati illorum poteſtati eriperentur, ſub quorum cura naturaliter degere debent: At parentes infideles eo jure tametſi naturali privari meritò poſſunt; cum illo tam indignè abutantur, baptiſmatis collationi repugnando, filioſque prava religione imbuendo: eſt enim commune proloquium, *quo quiſque abutitur jure, eo privari meretur:* Nihil itaque vetat quominus pueri baptizentur. Quod etiam firmatur exemplis. Si Pater E. G. filios ſuos vellet occidere, Princeps innocentiæ vindex filios ejus eriperet poteſtati, qua tam inſigniter abu-

abuteretur: Et si eos pejerare, & blasphemare doceret impius pater, hos quoque Christianus Princeps illius curæ atque institutioni subduceret, ob sacrilegum patriæ potestatis abusum. Quidni ergo pariter filios patriæ potestati surripiat, qua perinde in illorum perniciem pater abutitur, dum iisdem baptismum conferri non sinit, & Judaicas superstitiones illis instillat?

Una ego spongia jam delevi, quæcumque subtiles illi disputatores per multas paginas argutantur; multisque argumentis evici superiori Capite, eos, qui jure abutuntur suo, illo quidem privari posse, sed ab iis duntaxat, qui auctoritatem in illos habent, non qualemcumque, sed eo in ordine, in quo abusus admittitur. Porro infidelis, qui filio suo baptismum dari non vult, jure abutitur suo, in ordine supernaturali, nempe supernaturalem legem de fide, & Christiana Religione amplectenda violando: Princeps autem nullam in ordine supernaturali auctoritatem in illum obtinet, sed in ordine tantùm naturali, atque civili: igitur infidelem suo illo quo abutitur jure privare non potest. Multò minus Ecclesia poterit, cui ille nulla ratione subjicitur.

Quæ autem in oppositum proferuntur exempla, fortis sunt longè disparis. Qui etenim tentat occidere filium, aut eum pejerare, & blasphemare docet, peccat contra legem naturalem atque civilem, adeoque nil mirum si a Principe, cui utroque in ordine subditur, suo illo quo abutitur jure privari potest. Idem proportione dicendum de potestate defendendi innocentem: stare quidem illam penès Principem, ubi innocens injuriam patitur in ordine naturali atque civili; non itidem ubi injuriam patitur in ordine supernaturali; in quo certè patitur filius, cui infidelis parens baptismum denegat, aut illi conferri non sinit. Ad Ecclesiam potius vindicta illa pertineret, si ejus auctoritati subesset injurius parens: at ut ille minimè subest, ita & illa vindictam minimè sumit.

VI. At inquies fortasse mihi: Judæi hoc pacto peccantes in legem supernaturalem, dum filiis suis baptisma dari non sinunt, ab illo saltem Principe puniri, & patria potestate qua abutuntur privari poterunt, qui utraque in subditos auctoritate pollet, spirituali nimirum & temporali; qualis profectò est Romanus Pontifex, qui plures in ditionibus suis Judæos habet.

Lepidè verò atque argutè! Scilicet Papa in Judæos suarum ditionum utramque potestatem exerceat, spiritualem, & temporalem; sitque, si superis placet, etiam Pontifex Judæorum? Absit. In subditos quidem fideles utramque potestatem exercet Romanus Pontifex in ditionibus suis; in Judæos verò sibi subditos temporalem duntaxat exercet, estque illis unicè civilium Dominus, non princeps sacrorum.

VII. Majorem difficultatem habebit quorumdam observatio, qui di-

dicunt; Si Judæi Mosaicæ legis observantiam omnino negligerent, adeo ut nec filios suos circumciderent, nec Sabbatha sua, & Neomenias observarent, posset illos Princeps ad eorum omnium observantiam adigere. Imò tenentur fidei Quæsitores in hoc ipsum invigilare, ut suis legibus vivant, statutisque, ut ex Aymerici Placentini directorio compertum est. Cum tamen nonnisi contra legem supernaturalem, Mosaicam scilicet, ea in occasione Judæi peccarent. Quidni ergo pariter cogantur ad baptismum filiis conferendum; ac si renuant, patria potestate priventur; quamquam tunc in legem supernaturalem tantummodo peccent?

Verùm & id falsissimum est, Judæos nonnisi in supernaturalem legem peccaturos, si Mosaicam legem omnino negligerent. Imò & contra naturalem, & contra civilem perinde peccarent: in naturalem inquam, quia ex quo Mosaicam legem publicè profitentur, seque ad illius observantiam solemniter obligarunt, peccant contra promissi fidem, & contra rationis dictamen, si eam, durante quidem ac manente erronea conscientia, non observant: in civilem verò peccant; quia civili, & politica lege cautum est, ne cives ex leges vivant, hoc est, sine ulla omnino lege: nihil enim quieti Reipublicæ nocet magis. Exleges autem Judæi viverent, si ne legem quidem Mosaicam observarent. Idque Principi caussa est, cur illos ad Mosaicæ legis, quam professi sunt, observantiam possit adigere, adigatque re ipsa. At nil simile accidit, dum Judæi filiis suis baptismum dari renuunt, & Christianæ Religionis, quam nunquam professi sunt, instituta non servant.

VIII. Momentum rationis alterum petunt aliqui, contra eandem statutam regulam, ex generali Christi mandato, de baptismate mortalibus omnibus conferendo, *Matthæi ultimo*, *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti:* Cui tamen mandato infideles parentes obsistunt, dum filiis suis baptismum conferri nolunt. Quo posito, sic sibi videntur subtiliter disputare: ubi plurium dominorum invicem subordinatorum contrariæ sunt voluntates, nemo non videt superioris domini voluntatem implendam esse potius, quam inferioris; Deique præcepto potius, quam hominis repugnantis genio obsequendum: At Deus vult baptismum parvulis dari, parentes nolunt: filiis itaque baptisma conferendum est, parentibus licet repugnantibus, & obsistentibus. Maximè verò cum parentum assensus nonnisi conditio externa sit, quæ suppleri ab Ecclesia potest, suppletque re ipsa sæpenumero.

At & id minus cæteris urget. Quamquam enim supremi Domini voluntas implenda omnino sit, neglecta etiam inferioris Domini voluntate, ubi ita supremus Dominus se velle significat; minimè tamen ubi supremus Dominus voluntatem suam duntaxat im-

impleri mandat, accedente inferioris Domini voluntate, cujus jura sarta tectaque servari jubet. Sic E. G. Principi obediendum est potius quam Prætori; imò obediendum est Principi repugnante Prætore, si ita se velle significet Princeps: at si mandati sui observantiam nolit Princeps, nisi accedente Prætoris assensu, tantum abest ut repugnante Prætore impleri debeat, ut potius Principem offendat quisquis ita impleverit. Ita porro se res habet in præsentia. Vult equidem Christus Dominus baptismum omnibus hominibus dari, atque adeo pueris nondum ratione utentibus; at servato juris ordine, hoc est, accedente voluntate parentum, quorum sub cura naturaliter degunt; quæ quidem nisi accesserit, nec Deus quidem vult pueros baptizari.

IX. Certè si quid evinceret argutia hæc, perinde probari posset, baptizari debere adultos homines, etiam nolentes, ac repugnantes, hocce perbello sophismate. Ubi plurium dominorum invicem subordinatorum contrariæ sunt voluntates, superioris Domini voluntas implenda est potius quàm inferioris: sed Deus, qui supremus est Dominus, vult adultum hominem baptizari: igitur quamquam nolit ipse, nihilosecius est baptizandus. Quasi verò ! Vult equidem Deus baptizari adultum hominem; at non veluti truncum, ac stipitem; sed uti ratione utentem, & electione voluntatis. Quare si nolit homo, nec sic quidem Deus velle censetur, ut baptizetur.

Jam quod additur in argumento, parentum assensum in baptismate filiorum, conditionem externam duntaxat esse, futilitatis est plenum. Externa quidem conditio est, at naturali jure desiderata; quæ licet suppleri possit, ut sine illa baptismus validus sit, minimè tamen ut sine ipsa sit licitus; nisi parentes casu aliquo patriæ potestatis jure devoluti sint, aut illius usu sint impediti. Tunc enim nulla illis irrogatur injuria, si iis inconsultis pueri baptizentur.

X. Erit fortasse qui dicat, dominium despoticum, quod Princeps in servum seu mancipium obtinet, nihilo magis supernaturale esse, quàm dominium civile quod exercet in subditos: ut quid ergo, ratione dominii despotici, filios mancipiorum poterit baptizare invitis parentibus, non itidem filios civiliter subditorum? Respondeo id accidere, quia tametsi utrumque dominium per se se & immediate non se extendat ad baptismum pueris conferendum: (jus enim naturale ad supernaturalia per se se & immediatè ferri non potest) dominium tamen despoticum filios a parentibus separare in perpetuum potest, seu per venditionem, seu per donationem; qua semel facta separatione, per accidens velut evenit, ut Ecclesia baptismum filiis conferat. Hæc autem separatio civili duntaxat potestate licite fieri nequit, sed despotica tantum.

C A-

CAPUT XXIII.

Possint ne filii infidelium baptizari, ipsorum parentibus consentientibus, imò & postulantibus; si postulent illi alio fine, quam ut Christiani baptismate fiant, sed ut morbo curentur aliquo?

I. NOn est casus iste ad arbitrium fictus, sed accidit sæpenumero apud barbaras nationes; pro quo dilucidando solvendoque, Romanis Pontificibus supplicatio sæpius facta est.

Sic anno 1145. Romam ad Eugenium III. Legatus Armenus Episcopus retulit, teste Baronio *in Annalibus n.* 24. *Quod in confinio Armeniæ quædam gentes essent, quæ fœtus suos fœtentes generarent, eosque statim ad aquas Armenorum lavandos transmitterent: quos cum illi baptismatis unda tingentes, innatum eis fœtorem propellerent; mox tamen remissi, ad paganismi ritum & spurcitiam redibant. Quod utrum faciendum esset: item Romanam Ecclesiam consuluerunt.*

Non absimile quidpiam elapso proximè sæculo quæsiere nonnulli præcones Evangelici, vineam Domini in Imperio Ottomanico excolentes; qui Judæorum atque Turcarum filios, parentibus rogantibus ac etiam compellentibus, baptizaverant, ut fœtore nescio quo, morbove tabifico liberarentur, non ut sacra lotione fierent Christiani. Pro cujus dubii solutione non parùm laboratum est Romæ, Consultoribus & Cardinalibus in varias sententias abeuntibus: ut apud Cardinalem Albizium legere est *lib. de Inconstantia in fide Cap.* 37. *num.* 47.

Idem Eminentissimis Patribus ad solvendum propositus est Casus anno 1674. Cum enim varia Congregationi S. Officii solvenda dubia proposuisset Dominicus Navarette Ordinis Prædicatorum, in Regno Sinarum Missionarius Apostolicus; quorum unum in materia Sacramentorum his verbis expressum erat: *Audientes infideles Sinenses a Neophytis, quod baptismus a dæmone liberaret, sitque medicina ad hoc & similia salutaris; petunt baptismum liberis suis infirmis, sive a dæmonio vexatis. Quæritur an liceat præcisè ob prædicta motiva eos baptizare?* Horum dubiorum solutionem demandavit S. Congregatio binis tunc Consultoribus, RR. PP. *Laurentio Brancato de Laurea* Ordinis S. Francisci Minorum Conventualium, (quem postea summa merita ad Purpuram evexerunt,) & *Cajetano Mirabello* Clerico regulari. Iique post maturum exa-

men die tandem 22. Aprilis, ad hoc peculiare dubium responderunt, *Ob sola motiva illa non licet baptizare*.

Eo brevi responso solutam habes propositam titulo quæstionem; quam luculenta ratione jam solverat Doctor Angelicus *in* 4. *Sent. dist.* 31. *quæst.* 2. *art.* 2. *ad* 4. *Quamvis intendere sanitatis conservationem*, (& morbi cujusque depulsionem) *non sit per se malum, tamen hæc intentio efficitur mala, si ex aliquo sanitas intendatur, quod non est ad hoc de se ordinatum, sicut qui ex Sacramento Baptismi tantum salutem corporalem quæreret*.

Accedit & altera ratio, a nobis sæpius inculcata, quæ baptismatis collationem iis in casibus multò magis illicitam probat. Quod nempe pueri illi eo fine, postulantibus ac etiam urgentibus parentibus baptizati, sub eorum postea cura relinquantur; Undè certa & indubitata illorum subversio sequitur.

III. Non est itaque cur mihi quispiam objiciat, licuisse olim in veteri testamento cuicumque liberet semetipsum circumcidere, alio fine alioque consilio, quàm ut aggregaretur populo Dei, sed potius ut aliquo curaretur morbo, aut etiam ut majori valeret carnis fœcunditate. Nec enim inde consequens est, licere perinde cuipiam Sacramentum Baptismi suscipere, ut aliquo ex morbo convalescat, non ut fiat ea lotione Christianus.

Dispar enim est Circumcisionis ratio, quàm Baptismatis. Circumcisio enim, uti & alia veteris legis Sacramenta, sola constabat materia, absque forma; hoc est, sola fiebat abscissione præputii, absque ulla prolatione verborum, quæ formæ constituentis rationem haberent. Undè Sacramenti rationem non habebat, nisi fieret intentione implendi mandati, a Deo Abrahæ dati, ad quempiam aggregandum populo Dei. Si autem ea mente non fieret, Sacramentum re ipsa non erat, sed medica duntaxat operatio, quam exercere cuicumque liceret, ad depellendum morbum aliquem, de consilio medicorum, aut ad carnis fœcunditatem procurandam; quòd circumcisus fœcundior sit præputiato. Atque ita non violabatur ea præputii abscissione circumcisionis Sacramentum; cum vel sic facta, Sacramentum re ipsa non esset; uti nec modò Sacramentum est, dum frequentatur a Turcis, solo procurandæ fœcunditatis studio. At verò externa corporis ablutio, quam Baptismum de more dicimus, ex quo fit cum Sanctissimæ Trinitatis invocatione, quæ illius est forma constituens, Sacramentum hoc ipso est, quale est a Christo Domino institutum, ad spiritualem animæ mundationem. Quare si alia mente, alioque consilio fiat, quàm ut baptizatus mundetur animo, fiatque Christianus, profanatur ac violatur legis Evangelicæ Sacramentum, quod ea in occasio-

casione confertur; ingensque admittitur sacrilegium, tam ab eo qui recipit, quàm ab eo qui confert.

Perperam etiam opponat aliquis, Constantinum Imperatorem a Sancto Sylvestro Romano Pontifice fuisse baptizatum, ut lepra, qua diu antea laborabat, mundaretur, Baronio referente *in Annalibus ad Annum* 324. Perperam, inquam: ut enim mittam, quæ hac in parte ab Eminentissimo Scriptore referuntur, a ceteris fermè omnibus Historicis reiici; non sic tamen, ut a lepra mundaretur, baptizatus dictus est a Baronio Constantinus, quòd solam lepræ mundationem fieri vellet suscepto Baptismate, gentilitate retenta: Ecquis enim id sibi fingat animo, cum diu ante catechumenus esset Imperator, quàm baptismate tingeretur? Sed ut accepta baptismatis gratia, abstersoque per salutarem aquam vetustatis errore, Christum induens, atque in novam creaturam transiens, a lepra quoque, suscepti piè religiosèque Baptismatis merito, mundaretur. Quare nihil habet qualecumque falsò jactatur Constantini factum, quod ad rem ipsam de qua hic agimus trahi possit.

IV. Quid ergo, inquies, facturi sunt Ministri Evangelici, qui in Ottomanico Imperio a Turcis quandoque compelluntur, ad ipsorum filios baptizandos, non ut Christiani sacra lotione fiant, sed ut quibusdam corporis infirmitatibus liberentur?

Fuere qui Turcas illos iis in casibus ludendos existimaverint, luserintque re ipsa, dato pueris illorum in speciem tantum baptismatis Sacramento, violata nimirum sacri ritus materia vel forma. Sed hanc agendi rationem Romana Congregatio lato decreto damnavit: cujus est testis locupletissimus Cardinalis Albizius, laudato jam libro de *Inconstantia in fide Cap.* 33. *Num.* 56. *In sacra Congregatione fuit resolutum non licere Sacerdotibus, qui a Turcis compelluntur, ad baptizandos eorum filios, non ut Christiani evadant, sed pro salute tantum corporali, hoc Sacramentum administrare, non servata debita forma, vel materia; quia in eo nihil debet fingi, ut ex decreto sub die 6. Decembris* 1612. Damnavit & postea Innocentius XI. Anno 1679. die 2. Martii, Propositionem hanc *Num.* 29. proscribendo: *Urgens metus gravis est caussa justa Sacramentorum administrationem simulandi.*

Ex quo perinde videas, non licere alteram viam inire, a nonnullis excogitatam; Sacramentum scilicet ministrando, retractata ut loquuntur intus in animo intentione, id faciendi quod facit Ecclesia. Hæc etenim fictio esset nihilo tolerabilior superiori, quam sacra Congregatio illicitam declaravit. Præterquam quod secreta illa intentionis retractatio nihil planè valeret irritando Sacramento, uti tam multis evicimus argumentis.

Quapropter rejecta illa ludendi fallendique arte, quæ Ministros

Ecclesiasticos minimè deceat; Turcas illos tam iniqua tamque illicita a nostris Sacerdotibus, tam anxiè, ac etiam illata quandoque vi postulantes, dedocendos existimo, & a præconcepto errore illo suo, quantum fieri poterit, avocandos; serióque monendos, non esse a Christo Domino institutum Baptismatis Sacramentum, ut corporales depellat infirmitates; (quamquam miraculo id præstet aliquando) sed ut faciat infusa fide ceterisque virtutibus Christianos. Quibus si nolint monitis acquiescere, urgeantque hostiliter & tyrannicè, ut vi obtineant, quod jure non possunt; vitæ fortunarumque periculum potius est adeundum Ministris Evangelicis, qui vineam Domini iis in regionibus excolunt, quàm sacrum Mysterium profanandum ac violandum.

FINIS.

INDEX

Rerum notabilium, quæ in hoc quarto Volumine continentur.

D.

C

Cur

D

E

F

G

Gone-

Joan-

K

Leo

L

M

Mel-

Pe-

ctua-

T

	Errata	*Tiporum ita*	*emendanda*
In Front. lin. 26.	acuta		aucta
Pag. 8. lin. 12.	Actores		Sutores
Pag. 8. lin. 23.	nemque		nempe
17. lin. 37.	Farnesiis		Farnesii
21. lin. 16.	insulta		insulsa
23. lin. 14.	visionem		coitionem
26. lin. 1.	IV.		VI.
56. lin. 39.	Guimerium		Guimenium
75. lin. 11.	Fumerius		Furnerius
76. lin. 2.	in ducitur		inducitur
78. lin. 3.	morebatur		movebatur
78. lin. 8.	qua		quas
110. liu. 25.	Latam		post latam
137. lin. 19.	Mupsuesteni		Mopsuesteni
145. lin. 2.	Corromei		Borromei
145. lin. 35.	controvetsiis		controversiis
151. lin. 20.	Sacramentis		Sacramenti
156. lin. 3.	a Christo D. Concilio 1400. in Constantiensi		a Christo D. 1400. in Concilio Constantiensi.
156. lin. 12.	ut Gabriel		& Gabriel
156. lin. 15.	Zuingli		Zuinglii
156. lin. 25.	ubi forma		uti f rma
157. lin. 4.	quàm amarissimam		aquam amarissimam
157. lin. 35.	materis		materiis
160. lin. 15.	lutione		lotione
160. lin. 21.	corporam		corpoream
160. lin. 21.	adjicet		adjicit
160. lin. 36.	sensilibus		sensibilibus
161. lin. 4.	involueris		involucris
162. lin. 13.	opinantut		opinantur
247. lin. 27.	baptismati		baptismate
255. lin. 37.	incumbuit		incumbit
257. lin. 12.	offerant		offerunt
264. lin. 39.	Calis		Calicis
264. lin. 41.	Calicis		Calix